COMMENTARII
IN MARMOREUM NEAPOL.
KALENDARIUM
VOLUMEN TERTIUM


Quo Pars altera Junii continetur.

Accedit in EGESIPPI Historiam AMBROSIO vindicandam disquisitio.

Adtexuntur ad sex superiores menses

ADDENDA, INDICES

Et in calce AENEA sex posteriorum mensium TABULA.



S. P. F.

NEAPOLI AN. MDCCLV.
Ex officina Novelli de Bonis Typographi Archiepiscopalis
UTRIUSQUE POTESTATIS PERMISSU.

MENSIS JUNII

PARS ALTERA.

XVI P S ATHENOGENI

PLuries id mihi accidit, ut poſtquam meas commentationes in Sanctorum aliquem non tantum ſcripſiſſem, verum etiam formis typographicis commendaſſem; mox ſcriptor aliquis in manus venerit, qui alia omnia a me ſentiret; quem proinde opus fuit ſubjecta appendice refellere. At heic aliquanto aliter res cecidit. Nam ubi meam de uno non vero duplici Athenogene ſententiam ſcripto mandaſſem confirmaſſemque; percommode factum eſt, quod eo ſcripto nondum formis expreſſo, Sollerii (ad XVII. Julii) de S. Athenogene commentarius, quem, utpote alieno die collocatum, non ante videram, in manus inciderit. Sane is quoque unum (quod gaudeo) non duplicem ſtatuit. Sed quia is longe alia, quam ego, via ingreditur, nec ego in ejus ſententiam concedere valui; in iis in quibus a Sollerio & aliquot aliis mihi diſconvenit, eorum rationibus reſpondere coactus fui. Eoque hic de Athenogene uno commentarius haud paullo, quam initio fuerat, longior evaſit.

COMMENTARIUS

De uno non multiplici Athenogene.

CAP. I.

Quotuplex Athenogenes martyr apud antiquos reperiatur.

§. I.

Ex Latinorum Graecorumque monumentis martyres, quotquot Athenogenis nomen tulerunt, producuntur.

I. Jam primum omnium nihil antiquius S. Basilii testimonio ex lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium proferri potest. Ibi postquam catholicum de sancto Spiritu dogma ex eucharistico hymno vespertino ignoti auctoris confirmasset, haec statim subjicit: εἰ δέ τις καὶ τὸν ὕμνον Ἀθηνογένους ἔγνω, ὃν, ὥσπερ τι ἀλεξιτήριον (360) τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ καταλέλοιπεν, ὁρμῶν ἤδη πρὸς τὴν διὰ πυρὸς τελείωσιν, οἶδε καὶ τὴν τῶν μαρτύρων γνώμην, ὅπως εἶχον περὶ τοῦ Πνεύματος. *Quod siquis porro norit Athenogenis hymnum, quem tamquam scutum atque munimen sodalibus (*) suis reliquit tum, quum ad consummationem (**) per ignem festinaret, nae is quoque Martyrum sententiam, quidve de Spiritu statuerint, probe noverit.* Habes heic Athenogenem haud dubie martyrem: cujus carmen dogmaticum exstabat, quo carmine praeclarum de Spiritus Sancti divinitate testimonium legebatur.

Hunc athletam Mrologium Romanum die XVIII. Januarii his verbis celebrat. *Ibidem* (i. e. in Ponto) *Sancti Athenogenis antiqui theologi, qui per ignem consummaturus martyrium, hymnum laetus cecinit, quem & discipulis scriptum reliquit*. Vide quae ibi vir magnus (361) adnotat.

Quis

(360) Pro τι ἀλεξιτήριον legebatur antea τι ἄλλο ἐξιτήριον: quod vertebant *tamquam aliud aliquod valedictionis munus*. De voce ἐξιτήριος adeatur Suicerus in Thesauro praeter alios. Huc quod attinet; ut modo adscripta interpretatio stare posset, requirebatur vox δῶρον. Basilius ipse *caritatem*, quam Christus hereditariam reliquit, vocat ἐξιτήριον δῶρον (*valedictorium munus*, quod nim. a profecturis dari solet amicis) epist. 77. ad maritimos episcopos. Deinde illud ἄλλο prorsus heic importunum est. Quocirca cum Frontone in adnotatis praetuli lectionem cod. Regii (quam & merito Garnerius in suam editionem intulit) scribentis τι ἀλεξιτήριον. Quod vocabulum tum *Munimen* significat, tum etiam interdum *Amuletum*, aut generalius quodvis remedium.

(*) Hoc est in eodem asceterio cum Athenogene sese exercentibus. Graeca vox οἱ συνόντες absolute posita *sodales* notat, ut in illo Plutarchi, οἱ παῖδες ἀμείνους γίγνοιντ' ἂν τοῖς συνοῦσι.

(**) Haec Basilii τελείωσις διὰ πυρὸς, *consummatio per ignem*, quam in partem sit accipienda, dicam infra cap. 4. & seq.

(361) Nempe suspicatur hujus Athenogenis fuisse apologiam illam, quae sub Athenagorae nomine circumfertur. Ad id Cardinalem tum nominum similitudo impulit, tum quod, si diversus ab Athenogene fuisset ille Athenagoras, mirabile esset a nemine antiquorum factam fuisse Athenagorae mentionem. Sed fatendum est, meminisse tamen Athenagorae Epiphanium haer. 64. cap. 21. prout ille locus a Leopardo & Petavio scite emendatur.

Sane si Baronii conjectura staret (quam haud magnopere Tillemontius reprehendit tom. 2. in persec. M. Aur.) necesse esset S. Athenogenem sub M. Aurelio ponere, cui apologia illa oblata fuit. At aperte postea in suis Annal. idem Baronius ad ann. 196. n. 7. fatetur, nesciri quando S. Athenogenes e vivis excesserit.

Quis vero primus hunc martyrem in Romanum mrologium intulerit, adhuc quaeritur. Caſtellanus ac poſtea Sollerius (ex eo, opinor, quod nec Vſuardus, nec qui Vſuardum in uſum Romanae curiae amplificarunt, nimirum Bellinus, Maurolycus, Galeſinius; nec poſtremo Sirleti Menologium eo die de Athenogene verbum ullum fecerint) ſtatuerunt, id additamentum a Baronio ipſo profectum: huic autem diei potiſſimum inſeruiſſe, quod Moſeo & Ammonio Ponticis martyribus Athenogenem (quem ſcil. etiam Ponticum cenſuerit) congrue adnectendum putarit. Caſtellani verba reperies infra in Adnot. *369.* Et tamen in Annalibus ad annum 196. num. 7. ita de eo mrologii loco Baronius loquitur, quaſi qui ab antiquiore manu profectus eſſet. *Licet*, inquit, *Athenogenis martyrii natalis dies in tabulis eccleſiaſticis certus adſcriptus habeatur, nempe Januarii XVIII. die*; tamen tempus martyrii incompertum eſſe conqueritur. Verum nihil in ea loquendi ratione mirum. Martyrologium jam ante annales Noſter digeſſerat; idque ſtatim ab Eccleſia univerſa receptum in uſus fuit. Hinc porro in Annalibus ad Romanum Martyrologium (etiam qua parte a Baronio ipſo auctius prodiit) tamquam ad eccleſiae tabularium provocat.

II. Poſt Magnum Baſilium nihil Hieronymiano Mrologio eſt antiquius: in cujus apographis die XXIV. Julii haud obſcure quidam Athenogenes numeroſo comitatu circumſeptus ſeſe objicit, de quo infra accuratius agemus.

III. Tertius antiquitatis gradus Faſtis marmoreis Neapolitanis eſt tribuendus: in quibus hoc die XVI. Junii cuidam *Athenogeni* littera P. h. e. *paſſionis* nota praemittitur: per quam docere voluerunt, eum hoc die martyrio conſummatum, aut ſaltem (quod confundi ſolet) ſepulturam conſecutum.

IV. Fit & in Actis S. Gregorii Armenii apud Surium (cujus ſcripti ſicut auctoritas non magna, ita aetas incerta eſt) cujuſdam S. Athenogenis martyris mentio: cujus reliquias Gregorius in Eccleſia a ſe erecta cum Praecurſoris lipſanis collocavit. Sic ibi legitur cap. 34. *Cum ad hoc templum* (Herculis ſcilicet, ſitum in finibus Majoris Armeniae) *veniſſet, ſola oratione ... ab ipſis evertit fundamentis, & alterum excitat Domino .. & in eo deponit reliquias praecurſoris Baptiſtae, & martyris Athenogenis*.

V. Poſtremo ex omnibus Graecorum libris conſtat, eos die XVI. Julii quemdam Athenogenem Sebaſtiae cum decem ſociis obtruncatum coluiſſe: quem tamen Sollerius in diem XVII. ejuſdem menſis tranſtulit, quod parum equidem (362) probo.

§. II.

(362) Vtrumque Menologium (tum Baſilii tum Sirletianum) Menaea magna, Typicum S. Sabae, Horologium, Metricae ephemerides (in quibus hic hexameter legitur:

Ὀξὺ Ἀθηνογένην ξίφος ἔκταμεν ἑξ δεκάτῃ τε,

Truncat Athenogenem ſextodecimo enſis acutus)

ceterique Graecorum Libri tam editi quam Mss. non niſi die XVI. Julii hunc Athenogenem celebrant: quibus & Mrologium Rom. adhaeret. At quia Caſtellanus (tum in bimeſtri ad XVIII. Jan. tum in mrologio univerſali) ad XVII. Julii hunc martyrem tranſtulit; hunc opinor ducem ſecutus eſt Sollerius. Vterque autem perverſe fecit. Nam pro die XVII. nihil aliud affertur, quam Acta Suriana, ad quorum finem legitur, peragi memoriam *juxta ſupputationem Romanorum* (in menſibus ſcil.) *die XVII. Julii*. At per-

§. II.

S. Athenogenis Sebastiae passi elogia duo, ex Menaeis unum, ex Menologio Canisiano alterum.

Quandoquidem autem hujus athletae encomium, ex Basilii Menologio desumptum, a Sollerio productum fuit; heic alterum ex Menaeis elogium paullo, quam in Basilii Menologio, copiosius heic desiderari minime patiar: quod totidem de Graeco verbis est ejusmodi.

Hic Sanctus domo Sebastea erat sub Diocletiano principe. Qui a Philomarcho (363) *praeside una cum decem discipulis suis comprehensus, multosque cruciatus atque injurias simul cum illis perpessus, gladio conficitur. De eo sic porro narratur, antequam arriperetur, profectum in monasterium, ibi discipulos non invenisse, ut qui antea prehensi fuerant: adhaec cervae, quam in monasterio enutrierat, sibi obviam factae benedixisse, ac simul orasse, nequando sive ipsa, sive propaganda ab ea posteritas a venatoribus caperetur, sed ut* (364) *quotannis in Martyris memoriam tum ipsa, tum ex ea nasciturae hinnuleum unum in ecclesiam inducerent. Quod & factum est. Nam post sanctorum Evangeliorum lectionem in Ecclesiam ingredi cerva conspiciebatur, & hinnuleum suum* (365) *adhuc tenellum Sancto offerre, ac rursus exire. Quem qui convenerant, mactantes epulabantur, in gloriam atque honorem Sancti hilaritate affecti. Quod maximo sane miraculo oculatis juxta atque auritis testibus erat, tum fidelibus tum infidelibus.*

Multo brevius est Menologii Sirletiani elogium, ex quo tamen Athenogenis sedem episcopalem discimus. In eo igitur Menologio ad eumdem diem XVI. Julii sic legitur *Natalis beati martyris Athenogenis episcopi* (*) *Pidachthoes* (366) ex

quam credibile est, in Graeco horum Actorum primitus scriptas fuisse notas Graecanicas ις; ac deinde notam posteriorem, quippe evanidam, pro ζ acceptam, numero XVII. qui nunc Latine legitur, ansam dedisse. Quum autem Bollandistae in assignandis diebus ad Rom. Mrologium semper se conformaverint; cur heic tantum tum ejus tum Graecorum simul omnium auctoritatem deseruerunt? Factum nollem.

(363) Is etiam in Actis Graecis *Philomarchus* vocatur. Sed utrobique rhotacismo peccatum conjicio, ac pro *Philomarcho* (quod Graece nihil est) scribendum esse Φιλόμαχος *Philomachus*.

(364) Graece καθ' ἕκαστον χρόνον: quod totidem verbis in Basilii Menologio legitur. Quod (quia Graecis recentioribus χρόνος *annum* significat) sonat tantumdem quod singulis annis.

(365) Sic vertendum putavi, quod in Graeco erat νεβρὸν αὐτῆς μόσχον. Quo loco μόσχος adjective sumitur pro ἁπαλός *tener*. Quam notionem ei voci apud Homerum inesse, Eustathius aliique notarunt. Ergo hinnuleum recens natum cerva inducebat in templum. Vox μόσχος i. e. *tener* heic necessaria fuit: nam ceteroqui vox *Hinnuleus* ad cervinos omnes catulos extenditur, modo annum nondum excesserint.

Historia cervae hinnuleum suum afferentis aliquanto copiosius, non sine tamen incredibilibus circumstantiis, in Surianis actis affertur. Quidquid ejus rei fuerit; certe antiquam eam fuisse narrationem, illud significat, quod in Menaeorum strophis legitur hisce verbis: ἰδὲ καὶ ἡ ἔλαφος τὸν αὐτῆς σοι γόνον προσκομίζει θείῳ νεύματι. *Ecce cerva partum suum tibi affert divino nutu.* Vt autem infra notabimus, hymnographi illi, quos Menaeorum carmina auctores habent, maximam partem antiquiores sunt.

(*) Imo potius *Chorepiscopi*: id quod ex Actis Surianis constet. Sed Chorepiscopos haud raro pro episcopis habitos reperio.

(366) Scribendum est *Pidachthonis* aut *Pedachthonis*, ut in Actis Surianis legitur, ut ad ea notabimus. In Menaeorum rubrica paullo ante elogium historicum Athenogenes vocatur πηδαχθήσης *Pedachtheses* (quae vox nihili est) episcopus.

ex urbe Sebastia sub Imp. Diocletiano, qui detentus a Philomarcho praeside cum decem discipulis suis, multa tormenta cum illis ipsis passus, gladio percussus, capite obtruncatus, quievit in Domino. Ejusdem Athenogenis cum decem sociis acta satis cum recitatis elogiis convenientia exstant apud Surium in mense Julio, de quorum indole ac pretio alibi mihi sermo recurret.

C A P. II.

Quinque re vera, an pauciores nominis hujus martyres sint admittendi.

Ex quinque ὁμωνύμοις (*ejusdem nominis*) athletis superiore capite productis primum & ultimum [quos utpote celebriores, saepius heic & infra appellare cogemur] sic distinguemus, ut illum *Basilianum* aut *Basilii* Athenogenem, hunc autem Athenogenem *chorepiscopum* [nam in Actis Surianis *chorepiscopus Pedachthonis* fuisse scribitur] aut alia διοριστικῇ appellatione nuncupemus.

Jam primum omnium Athenogenes ille, quem Hieronymi mrologium diei XXIV. Julii inseruit, eumdem esse ac Pedachthonis chorepiscopum, tum par sociorum decas, tum etiam idem martyrii locus plane clamat. In quo quia ante me alii in pleno lumine caecutierunt; quae huc pertinent, ea omnia in substratam (367) adnotationem compuli.

L l l l 2 Ad-

(367) *Hieronymiani mrologii textus luxatus reponitur, & mendosus corrigitur. Ex quo sic sanato Athenogenes Sebastenus cum decem Sebastenis sociis, qui coluntur a Graecis, sese prodit. In hisce omnibus ad hunc diem eruditorum ἀορασία notatur.*

In Hieronymianis apographis foede mendosa ea tota periocha est, quae ad Athenogenem ejusque socios pertinet; sed ita tamen, ut plurimo commilitio stipatus procedat Athenogenes, & eidem Sebastea Armeniae civitas tribuatur: quorum utrumque peculiarem Athenogenis chorepiscopi a Graecis die XVI. Julii celebrati characterem constituit. Lucense apographum sic annuntiare incipit: *IX. Kal. Aug.* [i. e. die 24. Julii] *In Amiternina civitate miliario LXXXIII. ab urbe Romana via Salutaria* (h. e. *Salaria*) *natalis S. Victorini* [qui hodienum ibi colitur] *. In Arminia civitate natalis sanctorum Sabatie, Theozoni* &c. Verum haec luxata sunt, sic haud dubie reponenda, & simul corrigenda: *In Armenia, civitate Sebastia* [pro *Sabatie*] *natalis SS. Theozoni* &c. Ergo ut ab initio repetamus: *In Armenia civitate Sebastia Natalis SS. Theozoni, Victoris militaris, . . . Emiritae cum fratribus duobus, Statiani, Capitonis, Silvani, Stercati, ATHENOGINE, Caritonis.* Cum Lucensi mire consentit Corbejensis codex. At in vetustissimo Antuerpiensi sunt omnia foediora ac simul confusiora: nisi quod percommode pro *Sabatie* legitur diserte *Sebasti* ablativo casu, & Armeniae minoris civitas fuisse docetur his verbis: *Armenia minore Sebasti*. Hactenus inquam percommode, quia sic Lucensis tum ulcera tum luxatura sanatur. At deinde vitiosa sunt omnia, quia ex tribus & octoginta milliariis [quot scil. Amiternum ab Roma in Lucensi & Corbejensi abesse docetur] totidem reddidit martyres, ac Victorinum Amiterninum cum Sebastenis athletis (quorum minuit numerum) oscitanter permiscet. Vel sic tamen in eo juvat, quod inter hosce pugiles clare ATHENOGENI nomen adscribitur.

Illud vero in primis in recitato Hieronymiani mrologii textu notandum est, primum quidem, Athenogenem suosque commilitones fuisse ex Sebastia minoris Armeniae, cui etiam Graeci suum Athenogenem chorepiscopum vindicant: deinde [quod ad ταυτότητα mirifice interest] quum Graeci Athenogeni decem socios tribuant, ut in totum fuisse undecim oporteat; etiam in Lucensi supra adscripto textu omnino undecim numerari. Nam quod in Corbejensi inter *Victoris* & *Militaris* voces distinctio irrepserit [*Victoris, Militaris*; quasi si *Militaris*, quod professionem notat, sit nomen alterius martyris] id in eo perperam auxit numerum. Post *militaris* in Lucensi legitur, *Qui multa tormenta passus est*, quod a ceteris apographis abest.

Vides igitur ut Hieronymianorum fastorum Athenogenes cum suo commilitio ipsissimus ille sit, quem Graeci die XVI. Julii cum decem sociis colunt. Ac sane habenda est Hieronymiano mrologio gratia: quo nomenclatore, omnium decem S. Athenogenis nomina jam tenemus, alioqui ignoraturi. Et tamen non tantum Florentinio Sebastenos hosce cum Graecorum officiorum martyribus comparare nihil in mentem venit [verum quid homine diligentissimo facias, cujus id sagacitatem effugit;

Adhaec illum, cujus reliquias S. Gregorius Armenius in exstructa ab se ecclesia condidit (vide cap. I. num. IV.) certo certius est, non alium ab eodem Surianae historiae chorepiscopo fuisse. Vterque enim Athenogenes ad Armeniam, in qua Sebastea illa recensebatur, pertinet. His adde quod tam Athenogenis acta, quam Gregorii Armenii (utraque apud Surium) haud valde disparis aetatis atque indolis sunt. Quocirca in S. Gregorii historia non de alterius Athenogenis reliquiis agi potest, quam ejus qui tunc temporis celeberrimus apud Graecos erat. Neque id vero ab tenore actorum Armenii Gregorii abludit. Qui ubi ab Leontio Caesareae Cappadociae episcopo ordinatus fuit, in reditu Sebastiam minoris Armeniae adiisse videtur. Ibi quum S. Athenogenis illius Sebasteni reliquias secum abstulisset, mox ubi Majoris Armeniae fines attigit, in constructo ab se templo sacra ejusdem lipsana reposuit. Ita tribus hisce homonymis in unum coactis, tres deinde tantum Athenogenes reliqui fient, Basilianus, Chorepiscopus, & ille qui hodierno die in fastis Neapolitanis signatur.

At ne hodiernus quidem Neapolitanarum ephemeridum Athenogenes alius a chorepiscopo est: quod per haec maxime vestigia deprehendi. Hoc familiare Neapolitanis fuisse reperio, ut in eximiorum Sanctorum a se impense celebratorum gratiam eos quoque sibi colendos arriperent, quibuscum Sanctos illos aliquid habuisse commune, in eorum gestis legebatur. Sic in S. Mariae Aegyptiae gratiam S. Sophronium ejus vitae scriptorem, & S. Epiphanii causa sanctos Philonem Carpathium atque Polybium in hosce fastos intulerunt. Pluribus nunc quidem exemplis abstineo. Ex eadem igitur causa, quia Neapoli S. Gregorii Armenii tum cultus mirificus erat, tum etiam acta in ore omnium atque manibus versabantur; quumque in iis actis honorifica S. Athenogenis Sebasteni mentio fieret; ab eo factum ut Neapolitani procliviores in ejus cultum se praebuerint, cujus opinor acta peculiaria, ac fortassis etiam reliquias [simul cum capite Armenii Gregorii forsan advectas] eos habuisse, facillimum dictu est. Ita qui hodierno die Athenogenes a nostris signatur, is non alius ab eo est, quem Graeci in suis officiorum libris in diem non suum (ut alibi dicam) h. e. in XVI. Julii intulerunt. Jam vero si dixeris, levem hanc esse caussam, ac videri probabilius, S. Athenogenem a Neapolitanis cultum eumdem atque illum a Basilio tantopere celebratum fuisse (qui unus scilicet, reductis ad unum ceteris, restat) non repugnabo equidem. Jam enim ad ultimum certamen propero, quo Basilianus haud alius a Chorepiscopo docebitur.

C A P. III.

Vtrum Basilii Athenogenes diversus re vera a Chorepiscopo, qui in Graecorum officiis signatur, exstiterit.

Diversus visus est Baronio & aliis plurimis, qui ab eo fonte potarunt. Quid enim diversus non esset, quum is qui a Basilio extollitur, igni, contra vero qui a Graecis recentioribus, gladio peremptus fuerit? Taceo quod Basilii Athenogenes, si quidem ex Baronii & Tillemontii conjecturis idem atque Athenagoras fuerit, sub M. Aurelio ponendus esset; quum contra alter sub Diocletiano passus narretur. Taceo hoc inquam, quia jam cap. I. adnot. 361. explosimus.

Primo omnium Tillemontio Nota 14. in M. Aurelii persecutionem utriusque Athenogenis (368) ταυτότης (vulgo *identitas*)

git?] sed & Bollandista Sollerius, cui ad XVII. Junii multus de Athenogene ac sociis sermo fuit, nihil horum prorsus vidit. Sed majora profecto sunt Bollandistarum egregiorum in universam Sanctorum historiam merita, quam ut, *Vbi plura nitent in carmine, paucis offendar maculis*, ut ille ait.

(368) *Baronius dit qu'il est constant que ce* (Athenogenes scil. Sebastenus, idemque chorepiscopus Pedachthonis) *n'est pas l'Athenogene*

de

titas) ſuboluit. Deinde, uti fit, in nobiliſſimi critici caſtra primus (369) Caſtellanus, deinde Benedictinus (370) is, a quo tertius S. Baſilii tomus prodiit, ac noviſſime (371) Sollerius ſe tranſtulerunt. Ex quorum omnium ſententia Graecorum Athenogenes idem omnino eſt atque ille Baſilio cognitus.

Ac me quoque fateor, nihildum de horum criticorum ſuffragio conſcium, in eamdem unius Athenogenis ſententiam conſenſiſſe: quod maximum veritatis eſt indicium, nempe ubi a pluribus non ex compacto ipſa per ſe veritas judicium idem extorquet. Verum diverſis prorſus itineribus eamdem metam attigeram. Nam antea viri eruditi non alia ſe via ſperaverunt ἀντιλογίαν (*diſcordiam*) Baſilii per ignem conſummantis Athenogenem cum Graecis eumdem gladio perimentibus poſſe dirimere, quam ſi actorum Athenogenis, quae ſub Metaphraſtis nomine apud Surium circumferuntur, penitus frangerent auctoritatem, ac ficta a fundamentis omnia contenderent. Totus in eo propoſito prae ceteris eſt Sollerius, ad XVII. Julii ubi de hoc martyre commentatur, praeſertim §. 3.

At eſt ne credibile, actorum illorum quamlibet fallacium compoſitorem nullas ante ſe ſcriptas de Athenogene memorias ad manus habuiſſe, ac totam a fundamentis fabulam ingenio ſuo procudiſſe? Nil tale umquam a Graecis paſſionum ſcriptoribus, quamlibet mendaciſſimis, factum fuit. Metaphraſtes ipſe (cui vulgo hanc hiſtoriam tribuunt: recte an ſecus, in fine excutiemus) haud hoc umquam in more habuit: qui contra quas veteres reperit Sanctorum hiſtorias ſimplici aut ruſticano ſtylo conſcriptas, eas ſervato totius hiſtoriae ſubſtratu, eas tantum allocutionibus & circumſtantiis e veriſimili petitis, & pigmentis rhetoricis incruſtavit; numquam vero totum ab ſolo uſque aedificium eſt architectatus. Et quis, rogo, vel perditiſſimus fabulator non idem ſemper fecit,

de S. Baſile. Et l'on n'en peut douter, ſuppoſé que celui de Sebaſte ait eſté decapité & non brulé. Mais comme cela n'eſt fondé que ſur des autoritez tres peu conſiderables, il eſt plus aiſé de croire que ce n'eſt qu'un meſme Saint, que de dire qu'un martyr canonizé par S. Baſile ſoit demeuré abſolument inconnu a toute l'Egliſe. Sed quia in textu Artic. 9. in Baronii opinionem propenderat, qua S. Athenogenes idem atque Athenagoras ille M. Aurelii aequalis fingitur, ſtatim pergit. *En ce cas il faut dire ou que les actes de S. Athenogene Coreveſque ſe trompent encore en mettant ſon martyre ous Diocletien, ou que S. Athenogene eſt entierement different d'Athenagore.* Poſterius unice verum eſt.

(369) Caſtellanus in ſuo bimeſtri mrologii Rom. ad 18. Januarii p. 332. *La province de Pont où ſuffrirent ces martyrs fait ſouvenir Baronius de placer a leur ſuite S. Athenogenes qui y ſuffrit auſſi. On trouvera ſa note au 17. de Juillet, jour de ſon martyre.* Quandoquidem autem diem XVII. Julii (in quo Sollerium ſectatorem habuit: quum re vera diem XVI. ponere debuiſſet) diem martyrii ſtatuit, id clare demonſtrat, ſe Baſilianum Athenogenem eumdem atque illum qui chorepiſcopus fuit, exiſtimaſſe. Id quod & in mrologio univerſali ad XVII. Julii declaraverat: nam bimeſtre opus ob auctoris mortem continuatione caruit.

(370) Julianum Garnerium poſt editos priores duos Baſilii tomos, immortuum tertio [in quo eſt liber de Spiritu Sancto] certum eſt. Sive is igitur, ſive quivis alius, ad laudatum Baſilii librum de Spiritu Sancto cap. 29. ad verba illa, quae initio cap. I. recitavimus, ſic adnotat: *Libentius crediderim eumdem* (Athenogenem) *heic* memorari, *ac quem mrologia ad diem XVI. Julii cum aliis nonnullis Sebaſtiae ſub Diocletiano paſſum eſſe teſtantur. Exſtant etiam illius Acta apud Surium. Parvi refert, quod his in actis capite plexus, apud Baſilium igne conſumptus dicitur. Sunt enim acta illa prorſus inſincera, nec fidem merentur.*

(371) Videatur Sollerius V.C. ad 17. Julii, toto commentario, quem de S. Athenogene ſcriptum reliquit, ſed praecipue §. 3. ubi tamen non alio modo τὴν ταυτότητα ſive unum eumdemque Athenogenem tueri ſe poſſe ſperat, quam ſi uno falcis ictu Suriana Athenogenis acta in totum recidat, ac meram eſſe fabulam vociferetur. Eo enim jam ventum fuit, ut nodos ſecare quam ſolvere praeſtabilius, utpote facilius, ducatur. At iſto modo *Nil intra eſt oleam, nihil extra eſt in nuce duri.*

cit, aut nunc porro faceret?

Jam vero quia loco ignis, quo Magnus Basilius consumptum hunc martyrem docuisse creditur, ab novo historico gladium inductum expostulant: quaero quid dictu admirabilius aut cogitatu erat, quid postremo τραγικώτερον (nam his ferme Graecia mendax in martyrum certaminibus describendis perdite capiebatur) simplex ne ictus securis, an ingens pyrae rogique apparatus, & secuta martyris combustio? Quae igitur mens novo scriptori fuit, ut loco incendii tam ingloriam necem huic martyri inferret? Qui, siquid maxime comminiscendum erat, conflagrationem certe arcessere modis omnibus debuisset, quam variis episodiis exornare ad miraculum potuisset. Mitto hodiernae historiae S. Athenogenis simplex ac pedestre dicendi genus, ab offuciis alienum, quantum quidem ex ejus Latina interpretatione assequi conjectura licet. Itaque tum ratio tum etiam fides omnis humana concidat necesse est, si statuendum sit, quem S. Basilius crematum prodidisse creditur, eum recentiores Graecos diverso prorsus supplicio, quod nullam admirationem cieret, enectum suadere voluisse. Hisce de causis longe aliam viam mihi insistendam proposui: quam brevi jam exponere aggredior.

C A P. IV.

Quid Magnus Basilius τὴν διὰ πυρὸς τελείωσιν (consummationem per ignem) *vocaverit*.

S. Athenogenes teste Basilio [cujus locum supra cap. 1. descripsi] hymnum suis discipulis in munimentum adversus errores reliquit tum maxime, quando πρὸς τὴν διὰ πυρὸς τελείωσιν [*ad consummationem per ignem*] properabat. Quibus verbis non aliud viri docti designatum volunt, quam Athenogenem incendio absumptum pro Christo fuisse. Quod quia vulgatae ejus historiae repugnat; alii duos invexere Athenogenes, unum igni, alterum gladio confectum; alii unum malunt, sed acta omnia, quae obtruncatum narrant, in totum commentitia esse volunt. Ego & unum fuisse fateor, nec tamen Basilio cum actis ullo modo disconvenire ajo. Nam Basilii *consummationem per ignem* nihil esse aliud statuo, quam γενικῶς (*generaliter*) *martyrium*, cuicuimodi illud sit. Quod jam paullo uberius est demonstrandum.

Atque ut inde ordiar: Τελειόω (*consummo*) apud veteres Ecclesiae scriptores mysticum verbum est [& quidem a vetere Pagina (372) accepto significatu] & ad sacra ac nominatim ad consecrationes & initiationes pertinet. Eapropter nihil apud antiquos tritius, quam ut τελεῖν pro eo quod est *baptizare*, usurpetur, & τελεστὴς pro eo qui baptizat, & τελείωσις pro baptismate seu initiatione aut consecratione Christianorum. Putidum fuerit, si exempla congerere satagam, quae sunt passim obvia. Jam vero quia jam inde ab initiis Ecclesiae baptismus non tantum aquae, verum etiam sanguinis agnoscebatur: quod baptismi genus non aliud esse quam *martyrium*, est vulgo notissimum [quod proinde Tertullianus lib. de Patientia cap. 13. *secundam intinctionem* scite vocat] ab eo factum est ut passim ab omnibus scriptoribus martyres τελεσθῆναι (*consummari*, quasi dicas *baptizari*) dicerentur, & ut τελείωσις (*consummatio*) non tantum de priore lavacro per aquam intelligeretur, verum etiam de

(372) Budaeus quidem eam notionem apud Christianos antiquos tritam a duobus epistolae ad Hebr. locis repetit. Verum ab re: nam in iis locis τελειόω est simpliciter *perficio*. Magis est meo judicio, ut a Graeco LXXviralis translationis id manarit. Apud Seniores enim τελειοῦν τὰς χεῖρας est quod in Hebraeo dicitur *Implere manus* sacerdotum h. e. consecrare & initiare. Usurpatur ea locutio Exodi XXIX. 10. 29. 33. 35. Levit. VIII. 33. XVI. 32. XXI. 10. Num. III. 3. Hinc porro in eisdem Senioribus τελείωσις (ad verbum *consummatio*) idem est quod *consecratio*: unde *aries* aut *sacrificium* τελειώσεως h. e. *consecrationis*. Vide Exodi XXIX. 22. 26. 27. 31. 34. Levit. VII. 27. VIII. 21. 27. 28. 31. 33. Adde & 2. Mach. II. 9.

de posteriore per sanguinem. Ergo errant qui τελειοῦσθαι de martyribus sic, quasi sit *confici*, aut *absumi*, & finem vivendi nancisci, accipiunt. Negant enim antiqui ea notione τελείωσιν fuisse usurpatam: etsi alius (373) aliunde locutionis hujus originem adsciscebat. At non est dubitandum, quin vera earum locutionum ratio sit inde petenda, quia martyrium alter baptismus est: unde uterque baptismus communi τελειώσεως vocabulo donabatur. Nisi quod ubi distingui inter utrumque placuit, prior τελείωσις διὰ ὕδατος posterior διὰ μαρτυρίου vocabatur. Chrysostomus certe sic unum alteri opposuit. Hinc trita illa locutio, *Martyrio* (374) *consummari*, h.e. martyrio baptizari.

Atqui, inquis, si ita res habet τελείωσις διὰ πυρὸς [*consummatio per ignem*] apud Basilium, ubi de Athenogene, erit quidem alter ille martyrii baptismus, verum per ignem atque conflagrationem transactus. Non repugno, modo *ignis* nomine non elementarem accipias, sed metaphoricum illum, de quo Matt. III. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*. Scio hanc Praecursoris vocem variis interpretationibus patuisse. Verum illa potior est omnibus, qua ignis pro omnibus adversis rebus accipitur, quibus maculae criminum eluuntur: inter quas passiones martyrium eminet. Eam in partem alicubi Augustinus, & Auctor operis imperfecti in Matt.hom.3. illud dictum interpretantur. Ut eos omittam [Origenem scil. Ambrosium, Hilarium, Hieronymum] qui ignem purgatorium intelligere maluerunt. Nam non in altera vita solum igne καθαρτικῷ (*purgante*) vitia nostra excoquuntur, verum multo fructuosius hujus vitae malis ac praecipue martyrio. Ad Baptistae igitur dictum allusit Basilius, quando Athenogenem ad τελείωσιν sive *baptismum per ignem* properasse dixit, *ignis* nomine non elementarem intelligens, sed quodlibet martyrii genus; quia in eo Baptistae dicto *ignis* nomine martyrium, cuicuimodi sit, designatur.

C A P. V.

Objectionibus occurritur, ac mox interpretatio proposita ex ipso Basilio, & ex Menaeorum strophis confirmatur.

Dixerit aliquis, quum in Graecis martyrum historiis saepissime verbum τελειοῦσθαι (*consummari*) nominatim cum instrumento necis jungatur [uti quum aliquem ξίφει τελειωθῆναι, *ense consummari*, aut quo alio speciali mortis genere scribitur] nihil esse causae cur apud Basilium ἡ διὰ πυρὸς τελείωσις [*consummatio*

(373) Clemens quidem Alexandrinus in III. Stromateo pag. 430. martyrium τελείωσιν *consummationem* dici censuit ob excellentiam caritatis. *Martyrium* (τελείωσιν) *consummationem vocamus non ea de causa, quod* (per illud) *vivendi finem homo accipiat, ut &* ceteri (finem vivendi faciunt) *verum quod* (τέλειον ἔργον ἀγάπης ἐνεδείξατο) *perfectum caritatis opus praeseferat*.

Ex diverso Dionysius Alexandrinus apud Eusebium libri VII. undecimo cap. extremo, τοῖς ὁμολογηταῖς (*confessoribus*) in custodia detentis τοὺς τελείους [*perfectos*] *martyres* opponit, quasi vero confessione tantum initiarentur, sanguine vero effuso τέλειοι μάρτυρες, *martyres consummati* dicerentur. Ex quibus perspicuum est antiquos nunc hanc nunc illam τελειώσεως pro martyrio sumptae originationem tradidisse. Sed tamen a Dionysio tradita propius ad veram accedit. Nam confessores comparate ad baptismum hunc sanguinis, sic quasi catechumeni aut competentes habendi sunt, professione tantum sui nominis illustres. At ubi *secundam intinctionem*, uti Tertullianus vocat, perceperint, tum enim vero τέλειοι & τελειωθέντες [*consummati*] evadunt.

(374) Hieronymus, Rufinus, martyrologiorum auctores, & alii passim ea locutione utuntur. Sed praeivere Graeci. Eusebius extremo Cap. undecimo libri VII. *Faustus* ... *senex admodum plenusque dierum nostra aetate* (μαρτυρίῳ, τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, τελειοῦται) *capite amputato martyrio consummatur*, h. e. baptizatur. Parum apte Valesius, *Martyrium consummasse*: quod & plerique hodie usurpant [vulgatae scil. ejus verbi notionis ratione habita] quoties ea locutio, μαρτυρίῳ τελειοῦσθαι, Latine vertenda sit. Occurrit enim apud Graecos saepissime.

tio per ignem] non speciatim conflagrationis martyrium potius, quam universe quodvis martyrium, sive ignem metaphoricum designare debeat.

Respondeo pluribus me cogi causis, ut sic Basilii dictum interpreter.

I. Quia quum in Actis Athenogenis, tum longioribus Surianis, tum brevioribus, quae in Graecorum officiis exstant, nulla sit ignis mentio, ac gladio obtruncatus dicatur; non alia via patere potest, ut hae historiae cum Basilio concilientur, nisi quam ingressi sumus.

II. Basilius ipse eo loco se de martyrio universe loqui, non de aliquo speciali cruciatu innuit. *Hymnum*, inquit, *discipulis suis munimenti loco* adversus haereses *reliquit.* Ecquando? ὁρμῶν πρὸς τὴν διὰ πυρὸς τελείωσιν, *quum incenso studio ad consummationem per ignem contenderet*. Quod quidem in Basilii contextu tantumdem est, ac *quum martyrium anhelaret*. Certe enim quũ hymnum illum discipulis reliquerit, aliis utique reliquit, quam qui cum eo passi sunt; qui martyrio jamjam afficiendi, munimento adversus errores tunc quidem nullo indigebant. Adde quod in actis Surianis discipuli ante Athenogenem capti & obtruncati fuerunt. Imo hymnum quum ille scripsit, nondum credo prehensus fuerat, nec aliud ei obversabatur animo, quam universe martyrium, non speciatim combustio aut aliud pugnae genus, quod ignorabat.

III. Jam vero his quae diximus etiam Menaeorum strophae velificantur. Hymnos illos intelligo, qui in Menaeis praeter elogium historicum leguntur: qui quidem hymni elogio historico longe antiquiores sunt, ac magnam partem septimo aut octavo saeculo scripti. Hymnographorum illorum catalogum ab Allatio contextum in *de Graecor. libris*, & aliis habemus. Ergo in Menaeis die XVI. Junii, ubi de S. Athenogene, plura sunt carminum ἀποσπάσματα (*fragmenta*) quae de igne loquuntur, verum metaphorico, non elementari. In εἱρμῷ (*hirmo*) 1. cui Josephi hymnographi nomen praescribitur, sic legitur: *Tamquam hostia* &c. (τῷ πυρὶ τῶν βασάνων) *per ignem cruciatuum oblata es Deo*. En quo ignis pertinet. Metaphoricus enim ignis est, quo quaelibet supplicia designantur. Eodem & illud in hirmo 7. spectat: τοῖς κρουνοῖς &c. *Salientibus tui sanguinis* [ex desecto capite nim. prorumpentis] *erroris flammam extinxisti: IGNE CERTAMINUM TUORUM* (ἀπετέφρωσας ὕλην) *in cinerem redegisti materiem lignariam malitiae*. Nec difficile dictu est, veteres hymnographos non alia de causa ignis metaphorici in exornando Athenogene meminisse, quam ut celebrem Basilii locum imitando exprimerent.

IV. Jam vero hoc ipsum, cui tamdiu immoramur, pari Origenis loco invicte probatur: de quo cap. seq. dicturus sum.

C A P. VI.

Eadem τελειώσεως *sive* consummationis per ignem *intelligentia pari ac gemello Origenis loco de S. Heraide comprobatur, maxime si idem locus cum Adone & Menaeis conferatur.*

Quum Basilianae *consummationis per ignem* interpretatio hactenus expedita tantis nitatur fulcimentis; tamen adhuc eam proferre dubitanti mihi, postremo praeclarus Origenis de S. Heraide locus, illius Basiliani plane germanus, subsidio venit: qui omnem dubitationem exemit. Eum quantivis pretii locum servavit nobis Eusebii diligentia in VI. hist. Eccl. 4. Ibi de quibusdam Origenis discipulis martyrio perfunctis loquens, haec habet extremo capite: *Sed & ex mulierum numero Herais* (375) *quaedam* [ἔτι κατηχουμένη τὸ βάπτισμα, ὥς που φησὶν αὐτὸς, τὸ διὰ

πυρὸς

(375) Non uno modo hoc nomen scribitur. In Sirletiano Menologio mox citando *Rhais*; in Menaeis excusis in rubrica Ῥαΐς, *Rhais*, sed in disticho Ἡραΐς (*Herais*) scribitur. At in Rufiniana hujus Eusebii loci translatione in hunc modum legitur: *Sed & mulieres plurimae,*

πυρὸς λαβοῦσα) *adhuc catechumena*, *PER IGNEM*, *ut ipse* (Origenes) *alicubi dicit*, *BAPTISMVM ADEPTA*, *ex hac vita migravit*. Idquod ann. 210. in Severi persecutione contigit. Inter hoc autem Origenis dictum & illud Basilii hoc tantum interest, quod hic *baptismi* vocem, ille synonymum τελειώσεως usurpavit. Ceterum si dicendum sit, Athenogenem ex Basilii sententia incendio vitam finisse, idem profecto de Heraide sentiendum erit. Eamque in partem forsitan dixeris Origenis locum in Sirleti menologio acceptum fuisse: in quo ad V. Septemb. (quo die Graeci S. Heraidem colunt) sic scribitur: *Eodem die natalis beatae martyris Rhaidis* (pro *Heraidis*) *quae igne consummata est*: pro quo haud recte Valesius ad cit. Eusebii locum affert, *Consumpta est.* Verum praestat praeclarius de Sirleti Menologio sentire: in quod illud πυρὶ ἐτελειώθη [sic enim in Graeco reperisse Sirletum, translatio arguit] *igne consummata est*, ad ignem Evangelicum sive ad baptismum ignis pertinere, omnino credendum est, idque duabus maxime de causis nemini prorsus inficiandis. I. Nam primum id luculenter ostendit Ado Viennensis, qui ad 28. Junii sic recitatum Eusebii ex Origene locum pulcherrime expressit: *Apud Alexandriam sanctor. martyrum Plutarchi*, *Sereni* &c. *& catechumenae*, *Herae* [al. *Rhais*: verum ex utroque simul juncto genuinum nomen efficitur *Heraidis*] *nomine*, *BAPTISMVM MARTYRII consecutae*. Ex quo perspicue vides Origenianum *baptismum per ignem* tantumdem Adoni fuisse quod *baptismum martyrii*. II. Deinde siquis tam obfirmato sit animo, ut nondum fateri velit, Origenem non de ignis supplicio locutum, sed potius de igne Evangelico h. e. de martyrio universe sumpto; quid Menaeis fiet? In iis enim ad V. Septemb. [quo die Sirletianum Menologium Heraidem *igne* (τελειωθεῖσαν) *consummatam* scripsit] ibi, inquam, exspectabam disertum de Heraidis combustione testimonium. Et tamen ea non ustulata flammis, sed gladio truncata scribitur. Menaeorum locum, quia aeque peremptorius est, ac proxime productum Adonis testimonium, non gravabor huc integrum afferre. Post alios diei V. Septembris Sanctos, hujusmodi rubrica scribitur: ἡ ἁγία μάρτυς Ῥαῒς ξίφει τελειοῦται, *sancta martyr Rhais gladio consummatur*. Cui rubricae distichon tale subjicitur:

> Ποθοῦσα κάλλος Ἡραῒς Θεοῦ βλέπειν,
> Σαρκὸς τὸ κάλλος ἐκδίδωσι τῷ ξίφει.
> *Videre cupiens Herais formam Dei*,
> *Exponit ensi corporis formam sui*.

Et tamen contra Menaeorum auctores nasuti, sat scio, nostrae aetatis critici insurgent, eisque falsi crimen inferre non dubitabunt. Quid enim? Quam virginem ex Origene Eusebius igne consumptam praedicat; hanc isti Graeculi gladio conficiunt. At pro Menaeorum scriptoribus & Ado, & quaecumque hoc & superioribus capitibus de Heraide & Athenogene [quorum communis est causa] disputavimus, ex adverso stabunt, & non omnia fallere Cretes, abunde docebunt.

CAPVT VII.

De Surianis S. Athenogenis actis judicium.

Non eo usque abripit me susceptarum partium studium, ut de Surianis actis praeclare omnino sentiam, quasi ab omni

mae, *in quibus erat* [sed istud *Erat* in *Hera* i. e. *Juno*, esse commutandum, Valesius ad Euseb. monuit] *quaedam catechumena*, *de qua ipse* (Origenes) *in quodam loco ait*, *quod ignis baptismum consequuta est*. Sed magis est ut Rufinus scripserit integrum *Herais*, quasi *Junonula* ὑποκοριστικῶς: cujus primitivum est Ἥρα, *Juno*; sicuti & quidam philosophus apud Damascium *Heraiscus*, quasi *Junonulus*, vocabatur. *Herais* inquam scriptum a Rufino fuit [unde erupit postea verbum substantivum *Erat*] quia sic quoque ab Eusebio fuisse scriptum, codex Regius, & vetustissimus alter Parisiensis Ecclesiae, hanc lectionem servantes, declarant. At in aliis Eusebii scriptis & excusis legebatur disjuncte ἡ ῥαΐς, [quasi prius illud articuli vicem gesserit, heic certe ante proprium nomen importuni] unde nomen *Rhais* in recentiores Graecorum libros invectum fuit.

omni colluvie immunibus. Vltro equidem fateor, ea nec antiquissima esse, nec graviter scripta, nec omni ex parte ad fidem faciendam idonea. Tamen contendo, I. ea Metaphrastis non esse, sed forsan antiquiora; II. stylo simplicissimo, & ab offuciis alienissimo scripta; III. postremo, siquid in iis peccatum fuit, haud subdole ac fallendi animo id factum, sed simplicitate magis & credulitate scriptoris (cui sparsas de Athenogene narrationes ad severioris criticae obrussam exigere pensi non fuit) fuisse peccatum.

I. Horum quae proposui primum temere a me dici clamabunt, quum ea historia ab omnibus passim Symeoni Metaphrasti tribuatur. Verum jamdiu est, quod Leo Allatius in illa non obvia de Symeonum scriptis Diatriba expostulavit, plurimas tum apud Surium & Lipomanum, tum alios circumferri vitas Metaphrasti adscriptas, quas longe alios auctores habuisse necesse sit. Nam hoc ab aliquot saeculis invaluisse testatur, ut quibuscumque vitis auctor nullus in Mss. praescribitur, eas Metaphrasti vindicarent. Cui malo ut Allatius occurreret, tres in ea Diatriba vitarum indices texuit: unum earum, quae haud dubie ad Metaphrasten auctorem essent referendae, alterum earum, quae certis quibusdam scriptoribus a Metaphraste diversis, aliae aliis, sunt assignandae (ab utroque autem catalogo acta haec S. Athenogenis absunt) postremo tertium [quem primo is loco offert] earum vitarum, quae apud Surium & Lipomanum Symeoni Metaphrasti attribuuntur, quum tamen nec ex Mss. librorum inscriptionibus, neque ex stylo, aut aliunde constet, eas esse Symeoni assignandas; maxime quum earum Latina tantum interpretatio producta fuerit, in qua stylum Metaphrasticum perspicere haudquaquam liceat. Atque in hoc ultimo catalogo pag. 77. mense Julio Acta S. Athenogenis Metaphrasti adscripta reperies.

Quamvis autem ex interpretatione nihil certi de stylo decerni queat; tamen quum S. Athenogenis historia totidem (376) de Graeco verbis translata videatur; satis tamen per Latinae translationis rimas genus Graece dictionis translucet, ceteris Metaphrasticis fetibus dissimillimum. Nihil heic copiae, nihil heic luminum rhetoricorum reperies, nihil prorsus ejusmodi ornamentorum, quibus ille optimus dicendi magister Symeon scatet. Contra vero in hac tota narratione sicca & jejuna omnia; ut facile plebeium auctorem & unum aliquem de trivio fatearis.

Quo loco temperare mihi nequeo, quin cum Sollerio τῷ μακαρίτῃ, viro quondam amico, expostulem. Fatetur ille, haec acta se Graece habuisse, ex quibus Surii Latina manarunt. At quanti laboris erat ea scripto ab se commentario Graece & Latine adnectere? Nam etsi ei dederimus, nihil in illis nisi meros furfures contineri [quod tamen bona cum Nostri venia pernego] an non superiores Bollandistae multo his sordidiora interdum dederunt, ne quid antique scriptum in eorum penore desiderari posset? Certe ex Graeco hujus historiae facile erat animadvertere, dictionem non fuisse Metaphrasticam, sed generis longe alterius; deinde & illud perspici poterat, quemnam antiquitatis gradum illius passionis locutio praeseferret. Nunc Sollerius tam abjecte de hoc monumento

(376) Vnum aut alterum ejus rei documentum afferam. Apud Surium cap. 2. medio praeses milites alloquitur: *Eorum quoque ducem* (Athenogenem) *mihi venamini*, pro eo quod vertere debuisset *Indagate*, *investigate*, aut *comprehendite*. Nam in Graeco haud dubie fuit ἀγρεύσατε, quod primario est *venari* aut *venatu capere*, at secundario est etiam utcumque *capere*, aut quaerere capiendum, sive captare. Cap. 4. *Mali male perierunt*. Graece erat κακοὶ κακῶς, quod perquam familiare illis est. Cap. ult. *Et eorum qui fuerunt cum ipso martyrum*; quia Graece erat; καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτύρων. Mitto plura.

to ſenſit, ut indignum putarit, quod ſuo commentario ſubjungeret, contra majorum ſuorum morem ſe gerens. Interim pro certo hoc haberi volo, haec acta, prout Graece in membranis exſtant, facile antiquiora X. ſaeculo, quo Metaphraſtes vivebat, eſſe debere.

II. Etenim eorum ſtylum eſſe ſimpliciſſimum, & ab offuciis remotiſſimum quiſque per ſe facile ſtatuet. Deinde quanta in illis brevitas! quum contra IX. & X. ſaeculi vitae longiores ad ſatietatem uſque conſcriberentur. Nullae in hoc ſcripto amplificationes. Vno ferme verbo diriſſimae martyrum (*) verberationes, & eorum ultimus vitae actus expeditur; in quibus alius miras excitaſſet tragoedias.

III. At, inquis, quaedam incredibilia ac futilia ab auctore narrantur. Quae? Haud forte alia reperies, quam vocem bis caelitus Athenogeni editam [quam bene eſt quod tonitrua nulla, nec alia prodigia comitantur] & ut alia taceam, id totum potiſſimum quod ad cervae hiſtoriam pertinet. At quid faceret auctor, quum eas de cerva narrationes ante ſe ſcriptas reperiſſet? Vide quae ſupra in Adnot. 364. in hanc ſententiam ex vetuſtioribus Menaeorum ſtrophis produximus.

Adde quod (ſi tanti ea res eſſet) facile poſſem totam hanc Surianam Paſſionem cum hymnorum ſtrophis, quae adhuc in Menaeis editis ſuperſunt, comparare; de quorum antiquitate jam quaedam in ſuperioribus capitibus attigimus. Ex quo liquet, nihil hujus vitae ſcriptorem (ſi quidem hymnographis illis poſteriorem eſſe contendas) de ſuo excogitatum attuliſſe, ſed eas narrationes jam diu antea ſparſas reperiſſe. In quo judicium quidem ejus deſiderare forſitan poſſis, non item ſinceritatem.

Ad ſummam ſi ex hac hiſtoria demas allocutiones ad arbitrium ſcriptas, contumelioſa *tyranni* & *canis* nomina, quibus judicem compellat, vocem bis caelitus editam, & quod Athenogenes ſe in monaſterio obtruncari petat & impetret; cetera videtur auctor in antiquiore ſcripto reperiſſe. In nonnullis vero ſinceritas ſcriptoris ſeſe prodit, cujuſmodi illud eſt, quod diem paſſionis a ſe ignoratum a die feſti ſedulo, uti cap. ultimo dicam, diſtinguat.

C A P. VIII.

De S. Athenogenis hierarchico gradu; ac ſede.

§. I. *Gradus quem in hierarchia Noſter obtinuit.*

In Menaeorum odis, ut etiam in Baſiliani Menologii elogio is paſſim ἱερομάρτυς vocatur: quae vox non quemvis martyrem notat, ſed eum qui ſimul epiſcopali apice inſignitus fuerit. In Caniſiano vero Sirleti Menologio *Epiſcopus* diſerte vocatur. Et epiſcopum quidem fuiſſe non eſt dubium, ſi gradum hierarchicum, ſive conſecrationis gratiam ei impertitam ſpectes. Verum ſi ſedis, de qua mox, rationem habueris, rectius *Chorepiſcopum* dixeris: quo modo citra ambages in Actis Surianis vocatur, quorum verba §. ſeq. afferam. Fatendum eſt tamen, chorepiſcopos illos, qui epiſcopali ordinatione inſigniti fuiſſent, haud raro epiſcopos nuncupatos inveniri; ſicuti contra, ſiqui chorepiſcopi epiſcopali conſecratione caruiſſent, eos plerumque *presbyteros* fuiſſe appellatos: quod alibi me adnotaſſe memini.

§. II. *Ejuſdem chorepiſcopalis ſedes.*

Sollerius noſter in ſuo de Athenogene commentario alicubi cum *Epiſcopum Sebaſtenum* vocat, quo modo & Papebrochius ad Moſchicas & Graecas ephemeridas tom. I. Maii vocaverat. Atqui Martyrem Sebaſtenum recte dixiſſent: at *epiſcopum Sebaſtenum* vetat tum Sirleti Menologium, tum acta Suriana [quae Sollerius

(*) Is cruciatus in Menaeorum Odis nonnumquam, ſed ex vero, exaggeratur. Quo potiſſimum illud ſpectat: Τείνας τὰς ςεῤῥὰς ἱμᾶσιν ὁ παράφρων, ξέσεις (cor. ξέσας) ἀπηνῶς, μαςίζων ἀνενδότως. ἀλλ᾽ οὐκ ἐσάλευσε τόνον τῆς διανοίας σοῦ ἀκαταπλήκτου ςεῤῥότητος.

ſerius non nauci facit] credere.

Porro chorepiſcopi noſtri ſedes varie ſcribitur. In Sirletiano Menologio *Pidachthoes* (quod Graece fuerit Πιδαχθοῆς) *Epiſcopus* fuiſſe dicitur at in quadam Menaeorum rubrica *epiſcopus* (Πηδαχθώσης) *Pedachtheſes*. Sed utrumque pravum cenſeo, neutrum enim Graece quidquam ſignificat. Itaque tum in ſedis nomine tum etiam in hierarchico gradu Surianis actis uniee accedo, in quibus initio cap. 2. Nicolaus cornicularius praeſidem his verbis alloquitur: *Domine praeſes, eſt vir quidam nomine Athenogenes, qui eſt chorepiſcopus .... Pedachthone autem habitat in monaſterio*. Haud dubium eſt igitur, quin verum ejus cathedrae nomen ſervaverint nobis acta: quibus magis credendum, quam officiorum libris, qui immanibus paſſim mendis in propriis nominibus ſcatent; praeſertim, quum *Pedachthonis* vox unde compoſita fuerit, quidve ſignificet, haud difficile (377) expediri poſſit.

Dixeris fortaſſis hinc tantum colligi, Pedachthonem fuiſſe Martyris domicilium, non vero cathedram. At ſatis eſt, ex actis verum ejus loci nomen, alibi depravatum, extudiſſe. Ceterum ſatis in Sirletiano Menologio & Menaeis, eam fuiſſe cathedrae appellationem ſignificatur. Quod inſuper in monaſterio eumdem degiſſe legis, id eo pertinet, quod veteres epiſcopi vitam aſceticam plerique agitabant: de quo vide inferne (378) animadverſa. Maneat interim verum cathedrae ejus nomen *Pedachthonem* fuiſſe.

At hujus ſive caſtelli ſive oppidi nomen quis mihi tandem commonſtraverit? Verti me, fateor, in omnes partes, ac latebras omnes veterum geographorum excuſſi; nuſquam tamen in hujus veſtigia nominis incurrere licuit: neque id mirum, quando obſcuriorum locorum appellationes geographi ſecuri praetervehuntur. Tamen etſi integrum id nomen nuſquam nanciſci datum fuit; at idem iſtud Ptolemaeus (ceteris geographis copioſior) unus mea ſententia, quamvis mutilatum, ſervavit. Is lib. V. cap. 6. Ponti Galatici loca mediterranea hoc ordine recenſet, *Pleuramis*, *Pida* (Πίδα) *Sermuta*. Quum autem in Actis Surianis *Pedachthon*, ſive *Pidachthon* [nam utramque vocalem prima ſyllaba recte admittit ut in Adnot. 377. diximus] vicina *Sebaſtiae* fuerit, in qua hi martyres Chriſti confeſſione claruerunt; & in Ptolemaicis Agathodaemonis tabulis *Pida* eidem clariſſimae urbi finitima exhibeatur; ex his rectiſſime colligitur Athenogenem non alibi quam in Ptolemaica *Pida* ſediſſe; quae integro nomine *Pidachthon* vocabatur. Ita hic Actorum locus ex Ptolemaeo illuſtratus, illi invicem integrum loci nomen reſtituit. Eo perfun-

(377) Etymologici Magni auctor vocem Πηγὴ ex πηδάω *ſalio* & γῆ *terra* compoſitum haud inſcite dixit, quaſi πηγὴ ſit *fons e terra ſaliens*. Eadem prorſus compoſitio in Πηδαχθὼν reperitur, ex πηδάω & χθὼν *terra*. Fortaſſis a ſcaturigine aliqua loco nomen impoſitum fuit. Nec te moveat, quod in Ptolemaeo Πίδα per I ſcribatur, & quod in Sirleti Menologio ſit Pidachthoe. Nam πηδάω & πιδάω, & ſic etiam in utriuſque derivatis promiſcue per utramque vocalem prima ſyllaba ſcribebatur. Verbi πιδάω per I idem Etymologicum meminit.

(378) Primorum ſaeculorum plurimos antiſtites in monaſterio una cum aliis aſceticam vitam excoluiſſe, ex infinitis hiſtoriis oſtenditur. Hoc igitur Pedachthonis monaſterium, tamquam Athenogenis Cathedralem & epiſcopium habere oportet; in quo cum iis, quos pleroſq. ſocios certaminis habuit, ſeſe ad virtutes exercebat. Hi ſunt illi συνόντες (*ſodales*) Athenogenis, quibus ille hymnum theologicum munimenti loco adverſus haereſeon deliramenta conſcripſerat, ut initio hujus commentarii ex Baſilio didicimus.

Ceterum non ex Actis Surianis tantum aſcetica Athenogenis vita colligitur, verum etiam ex odis illis, quae in Menaeis totum S. Athenogenis officium componunt. Alicubi haec allocutio legitur: *Ubi prius* (ἀσκήσῃ) *per vitam aſceticam purgaſſes animam, mox per certamen placuiſti Deo*. Alibi dicitur *Martyrium conſecutus cum choro diſcipulorum* (ἀσκήσας τὸ πρότερον) *poſtquam prius vitam aſceticam profeſſus eſſet*.

functus periculo, jam ad alterum de palaestra certamen descendo.

CAP. IX.

De Athenogenis ejusque sociorum palaestra.

Sebastia Armeniae seu *Sebastea* [utroque enim modo Latine scribitur, quod Graece est Σεβαστία] huic martyri ejusque sociis pro stadio in omnibus libris assignatur. Ac de regione quidem prius viderimus, tum porro de urbe.

§. I. *Regio, in qua certatum fuit.*

In tota quidem Armenia, quemadmodum hanc ab antiquis geographis descriptam habemus, nulla est sive *Sebastia* sive *Sebaste* sive alterius nomen urbis ἀπὸ τοῦ Σεβαστοῦ [*ab Augusto*] derivatum: quum contra in vicina Pontica regione nomina *Sebastes*, & *Sebastiae*, & *Sebastopolis* urbium clararum occurrant. Videtur igitur in libris erratum, atque *Armeniae* nomen pro *Ponto* positum. Verum haec difficultas nullius momenti est, propterea quod aevo posteriore Armenia multo patebat latius, atque in Ponticam regionem irrumpebat. Itaque in Ecclesiasticis Notitiis tam *Sebastopolis*, quam *Sebastia* [inter quas duas, uti dicemus, de Athenogenis palaestra certamen esse forsitan possit] Armeniae Primae attribuitur, quas tamen antiquitus non nisi Pontus sibi vindicabat. Etiam in Notitia imperii sect. 27. sub dispositione ducis Armeniae recensetur *cohors prima Claudia equitata SEBASTOPOLI*. Sed & *Sebastiam* Socrates II. 43. eidem Armeniae tribuit, ubi Eustathium τῆς ἐν Ἀρμενίᾳ Σεβαστείας (*Sebastiae, quae in Armenia est*) episcopum dixit. Quando igitur Athenogenem Armeniae vindicatum legis, id eodem pacto est intelligendum, quo id de S. Blasio & tot aliis scribitur, ex dispositione scil. posterioris aevi, quando is Ponticae regionis tractus Armeniae Primae tribuebatur. Haec de regione: quae, si priscam geographiam sequimur, Pontica fuit, si novam, Armenia.

§. II. *Urbs horum martyrum sanguine consecrata.*

Nunc urbem propius inspiciamus, in qua hi pugiles dimicaverunt. Ea in actis apud Surium & in omnibus liturgicis Graecorum libris *Sebastia* vocatur: quod nomen in Hieronymiani mrologii Epternacensi apographo una syllaba brevius legitur hunc in modum: *VIIII. Kal. Augusti* (i. e. 24. Julii: quo die de Athenogene & sociis agit) *Armenia minore SEBASTI*: ut dubitare possis utrum in fine desit A, ut sit *Sebastia*, an *Eta* pro ejus aevi more per I efferatur, ut sit *Sebaste*; sicuti & in his fastis marmoreis ATHINOGENI scribitur pro *AthEnogenis*.

Hoc posito eas urbes videamus, quae ἀπὸ τοῦ σεβαστοῦ (*ab Augusto*) sibi nomen arripuerunt: in quibus recensendis Ptolemaeum prae ceteris, utpote accuratiorem, sequi praestabit. Is Ponticam omnem regionem tres in partes distribuit, Pontum Galaticum, qui ad occidentem spectat, Pontum Cappadocium, qui Orientem respicit, & Pontum Polemoniacum, qui inter utrumque medius intercedit. Porro autem lib. VI. cap. 3. in Ponti Polemoniaci mediterraneis Σεβαστείαν *Sebastiam* [& quidem medio inter Irin & (379) Halyn amnes intervallo] statuit: in mediterraneis vero Ponti Galatici ad dextrum Iridis latus *Sebastopolin* ponit, quam quidem ἑτέρας *alterius* cognomento distinguit. Nempe *alteram* ab ea Sebastopoli intelligit, quam alibi superius in Cappadocio Ponto exhibuerat;

(379) Is quidem Sebastiae situs in Ptolemaicis tabulis cernitur, quae sub Agathodaemonis nomine Ptolemaeo Bertianae editionis subnectuntur; in quibus Sebastia inter dextram Halyos ripam, ac sinistram Iridis medio in spatio sistitur. Id etiam ex historicis licebit cognoscere. Etenim in Historia Miscella XVIII. 27. *Imperator autem* [Heraclius] *populo suo coacervato ad urbem properavit Sebastiam, & cum Alon* [cor. Halyn] *fluvium transmeasset, in hoc gaudio totius hiemis tempore demoratus est*. Non vacavit Theophanis [aut undecumque haec Paullus Diac. transtulit] fontes invisere. Nec res tanti erat,

rat; quam melius (380) Colchicam dixerimus, quae huc non pertinet. Ergo vere Ponticae uti dixi civitates Ptolemaeo duae sunt ab *Augusto* (σεβαςῶ) nomen adeptae, *Sebastea* (381) Ponti Polemoniaci & *Sebastopolis* Ponti Galatici. Posterior Ptolemaeo quidem [ut qui Colchicam etiam, Sebastopolin in Pontum admiserat] cognominatur *Altera*: quae re vera *Ponticae* (382) cognomen una sibi vin-

(380) Alii certe in Colchide ponunt; & Graeca inscriptio mox producenda, hanc extra Pontum fuisse arguit. Eamdem Ptolemaeus prope Apsorrhi [qui Plinio VI. 5. est Abfarus] ostia statuit. Eam ibidem Plinius castellum vocat. *Castellum*, inquit, *Sebastopolis: a Phaside centum mill. passuum*. Nec dubium est, quin loco antiquae *Dioscuriados* successerit. Hodie vocari *Savatopoli* pro prisco *Sebastopoli*, ajunt.

(381) Haec hodie *Sivas* [contracto a Sebastia nomine] audit, teste Tavernerio.

(382) *Digressio, qua Sebastopolitarum Ponticorum inscriptio illustratur.*

Ea basis unam ex illis statuis gerebat, quas Pausanias a singulis civitatibus Hadriano in templo Jovis Olympii Athenis positas tradit. Certamen Olympium ab Hadriano Athenis institutum, a quo novas Olympiadas fuisse numeratas, inscriptione duce ostenditur. Pluribus scriptoribus lux affertur.

Cognomen *Ponticae* huic Sebastopoli asserit Atheniensis basis Hadriano posita apud Muratorium pag. 1080. 1. quae talis est: Αυτοκρατορα Καισαρα * Τραιανον Αδριανον * Σεβαστον Ολυμπιον * Σεβαστοπολιτων * των εν τω Ποντω * η βουλη και ο δημος * τον εαυτων ευεργετην * εν τη πρωτη Ολυμπιαδι * δια πρεσβευτων * Καπιτωνος Σκιπιωνος * και Γαιωμιυ. *Imperatori Caesari Traiano Hadriano Augusto Olympio Sebastopolitanorum, qui in Ponto sunt* [sive *Ponticorum*, nempe ad discrimen Sebastopolis Colchicae, ac forsitan etiam urbis *Myrinae* in Aeolide, *Quae*, ut ait Plinius V. 30., *Sebastopolim se vocat*] *senatus populusque de se bene merito Olympiade prima* (supple *Statuam posuit*, seu *dedicavit*: nam Graece subauditur ἀνέθηκεν, maxime praecedentibus accusandi casibus) *per legatos Capitonem, Scipionem, & Gaeomium*.

Quod bona cum Muratorii venia ab ejus interpretatione recessi, & accusativos omnes in totidem dandi casus mutavi, simul subaudiens illud familiare ἀνέθηκεν, *Statuam posuit*, id ut facerem non tantum Graecorum marmorum consuetudo suasit, verum etiam quod re vera a Sebastopolitanis Ponticis statuam *Hadriano Olympio* Athenis positam fuisse fateri necesse est ex iis quae ex Pausania mox afferam.

Vt autem inscriptionis hujus nondum, quod sciam, illustratae pretium ingens eniteat; inde ordiar. Hadrianus templa plura ubique, ac potissimum Jovis Olympii aedem Athenis dedicavit. Spartianus cap. 13. *Opera quae apud Athenienses coeperat, dedicavit: ut Jovis Olympii aedem, & aram sibi*. Id templum Ολυμπιειον dictum, quae nota est templorum terminatio; sicque in Dionis epitome Xiphilimana videtur legendum. Αδριανὸς δὲ τό τε Ολυμπίειον (pro eo quod in editis est Ολύμπιον: atqui vocem Ολυμπίειον ex Pausaniae Atticis medio cap. 40. & ex Stephano mox producendo didici) τὸ ἐν ταῖς Ἀθήναις (ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἵδρυται) ἐξεποίησε ... τόν τε σηκὸν τὸν ἑαυτοῦ &c. *Porro Hadrianus tum Olimpieum* [sive Jovis Olympii templum] *in quo & ipsius statua posita cernitur, Athenis perfecit ... tum suum quoque templum*, & cetera quae infra adscribam. Etiam in Delo insula ab Atheniensibus simile templum exstructum fuit, auctore Stephano his verbis: ΟΛΥΜΠΙΕΙΟΝ &c. *Olympieum, locus in Delo, quem Athenienses Hadriani sumptibus a se conditum Novas Athenas Hadrianas appellaverunt, uti Phlegon in Olympiadum quintodecimo narrat*. Ex quo discimus, exemplo Olympiei Athenis aedificati alterum ab Atheniensibus Deli incolis [Atheniensium Delum incolentium fit multa in lapidibus mentio] sed Hadriani expensis erectum fuisse: ac porro quum circa id templum insulae plurimae in Atheniensium usum exstructae fuissent, hinc vocem illam Ολυμπίειον [quae initio templi Jovis Olympii nomen fuerat] postmodum τόπου (*loci*) significationem induisse, ac postremo eumdem locum *Novas Athenas* fuisse dictas. Ea mihi videtur ex Phlegonte Stephanus voluisse narrare, quae ejus breviator postea male contrahendo confudit. Haec obiter. Eo jam redeamus.

Statim ac Hadrianus Olympieum Athenis dedicavit, *Olympii* agnomen est assecutus: quod tū in nummis pluribus (apud Spanhemium tom. 1. pag. 498.) visitur, tum etiam in inscriptionibus, quas Thasii, Amphipolitae, Abydeni, Smyrnaei Hadriano *Olympio* posuerunt, ut ex Sponii itineribus ibid. Spanhemius addo-

vindicare debet. Vtramque Plinius in sua Pontica Cappadocia simul (383) junxerat.

Praeter has duas Ponticas urbes (*Sebastiam* & *Sebastopolin*) Cellarius, cetera accuratissimus, tertiã nomine *Sebasten* invexit, quam & *Sebasten Martyrologiorum*, ut a *Sebastia* dirimat, appellat: quod totum etiam Martinerio persuasit. Verum in eo Cellarius fallitur. Nam *Sebasten* & *Sebastiam* duo fuisse unius urbis nomina diverso tempore usurpata, ex Stephano didici: de quo toto negotio, ne festinantem lectorem morer, videantur inferne (384) animadversa.

Duae igitur non amplius in regione Pon-

addocet. In harum vero urbium catalogum referendos etiam *Sebastopolitas* esse haec, cui immoramur, epigraphe Muratoriana ostendit.

Verum hoc leve. Illud profecto multo est notabilius, quod in Atheniensi Olympieo plurimarum ex omni parte civitatium statuae visebantur, teste Pausania in Atticis cap. 18. medio. *Totius*, inquit, *templi ambitus quatuor omnino stadiorum est, statuis refertus. Ibi enim urbes certatim singulae suam Hadriano statuam posuerunt: quarum studia Athenienses praeverterunt, erecto eidem* (Hadriano) *operis admirandi colosso in parte postica templi.* Atqui hujusmodi statuarum inscriptio nulla adhuc visa fuit ante hanc basim Athenis repertam; ex qua discimus, Sebastopolitas Ponticos Hadriano Olympio statuam dedicasse, nempe ex iis unam, quarum Pausanias meminerat. Hoc quidem hujus inscriptionis meritum est singulare in historiam.

At illud aliud longe majus, quod ea duce, & *Olympium* certamen ab Hadriano institutum cognoscimus, & ab eo certamine Olympiadas peculiares, a vulgatis diversas, fuisse numeratas. De ludicro, quod dixi, subinnuerant aliquid scriptores. Dio statim post verba superius recitata, *certamen* (ἀγῶνα) *ab eo constitutum* dicit. De eodem Eusebii chronicon ad ann. 1. Olymp. 228. *Hadrianus, quum insignes & plurimas aedes Athenis fecisset, agonem edidit.* Cujus nominis id ludicrum fuerit, non eloquitur; verum haud dubie *Olympium* fuit in Jovis *Olympii* suiquemet, qui item jam *Olympius* erat, honorem.

Hoc quod de Olympiis ludis dixi, suboluit quidem Scaligero in *de emend. temp.* pag. 480. sed rem sic explicat. *Quia*, inquit, *primus agon Hadrianalis editus Olympiade 228.* (ineunte scil.) *ex eo Olympia vocata.* At melius deinde in Animadv. Eusebianis Olympiorum Hadrianalium appellationem inde repetit, quod Hadrianus dictus Ὀλύμπιος *Olympius*. Verum quia in Atheniensi Olympieo aeque Jupiter Olympius & Hadrianus Olympius dedicati erant (sicuti etiam in pluribus Hadriani nummis in quibus is *Olympius* inscribitur, in postico Jovis Olympii imago visitur) merito dicemus novam Olympiorum ludorum institutionem ad utriusque Olympii honorem spectasse. Haec de ludicri institutione.

At quis hoc ante noverat, ab eo primo agone Olympio recens instituto, qui ineunte vulgari Olympiade 228. initus fuit, novas Olympiadas numerari coepisse; nisi hoc ex hac Atheniensi basi nunc primum didicissemus? Ergo *prima Olympias* versu octavo ejus inscriptionis memorata concurrit cum anno I. vulgaris Olympiadis 228. h. e. cum anno aerae Christianae 134.

Haec eo pluribus edisserui, nequis cum Cl. Muratorio octavum hunc marmoris versum, cui tamdiu haesimus, mendae suspectum habeat: ad quem sic adnotat: *Excidisse heic aliquid suspicor; neque enim Hadrianus ea* (Olympiade prima: vulgarem scil. intelligens) *decurrente floruit, sed quidem ANNO PRIMO alicujus Olympiadis, ut reor.* Necdum enim vir doctus pluribus curis distentus de mirifico ejus marmoris, quod antiquitatis studiosis dono dabat, pretio quidquam suspicabatur.

(383) Plinius VI. 3. *In Colopena vero Sebastiam & Sebastopolin. Haec parva, sed paria supra dictis*: h. e. paria Comanis, Neocaesareae & Amasiae, non poenitendis urbibus, quarum ante meminerat. Sed secutis temporibus Sebastiam mire crevisse, ex infra dicendis constabit.

(384) Strabo lib. XII. ad latus meridionale montis Paryadris *Cabira* (τὰ Κάβειρα) posuit, in quibus *regia* (τὰ βασίλεια) Mithridatis fuit. Et Cabira quidem quamvis frequenter habitata, necdum tamen urbem, Pompeius urbem fecit, & *Diopolin* appellavit. Eamdem regina Pythodoris a se auctam *Sebasten* h. e. *Augustam* vocavit, suamque ibi regiam constituit. His expositis Cellarius (pag. 332. edit. Lipsiensis ann. 1706.) haec subjicit: *Haec est illa SEBASTE Armeniae in Martyrologiis V. Idus Januar. & III. Non. Febr. & VII. Id. Martias laudata, quia in Armeniae finibus, Minoris videlicet, posita est.* Deinde & ea statim addit, per quae docere videtur hanc

Pontica [quam aevo posteriore Armeniae primae ambitu contineri placuit] civitates fuerunt ab (σεβαςῷ) *Augusto* nomen adeptae, *Sebastia* [quae & *Sebaste*] & *Sebastopolis Pontica*, quatenus haec a Colchica discriminatur. Quum autem Sebastopoli, quam Sebastiae, aliquanto vicinior *Pida* illa Ptolemaica [h. e. *Pedachthon*, Athenogenis cathedra] in Ptolemaicis tabulis, quas Agathodaemoni tributas video, exhibeatur; hinc initio suspicabar Athenogenis palaestram fuisse *Sebastopolim* illam in Galatico Ponto (in quo & Pida) positam, potius quam hanc in Polemoniaco Sebastiam. Accedebat & illud quod *Sebaste*, *Sebastia*, & *Sebastopolis* videbantur synonyma vocabula, ac forsitan promiscue usurpata. Sic initio rationes inieram.

Verum *Sebastopolim* & *Sebastiam* discreta esse urbium suarum nomina, nec promiscue poni, ex omnibus scriptoribus facile erit animadvertere, in quibus illa Ponti Galatici semper *Sebastopolis*, ut & altera Polemoniaci *Sebastia* constantissime dicitur. Nisi quod haec, uti dixi, prius *Sebaste*, postea tritiore vocabulo *Sebastia* vocata fuit. Et haec demum, ut martyrum plurimorum, sic & Athenogenis palaestra fuit.

Id vero quamvis per se liquidum sit, (nam certe in libris omnibus Athenogenes cum sociis *Sebastiae* depraeliatus scribitur) tamen siquis forte ejus quoque rei firmamenta quaerat, afferri hoc potest, quod quum in hoc tractu haud facile urbs alia antiquior (385) illustriorque fuerit; hinc merito sedes plerumque Romani praesidis fuisse videtur: id quod etiam martyres plurimi Sebastiae (386) passi declarant.

Ceterum ad Pidae seu Pidachthonis viciniam quod attinet; ea quidem medio ferme intervallo inter Sebastiam & Sebastopolin in tabulis Ptolemaicis exhibetur, etsi paullo huic, quam illi, vicinior. Itaque non multum oportuit inter Pidam (387) & Sebastiam interfuisse distan-

hanc eamdem se suspicari ac *Sebastopolin* Notitiarum (distinctam, uti suspicatur, a Sebastopoli Pontica, quam in Ponto Galatico positam diximus) quippe quam Notitiae in Armenia ponunt: quasi vero Notitiarum illarum aevo iidem fuerint Armeniae fines, qui antea fuissent. Vide de hoc argumento quae §. 1. hujus capitis edisseruimus. Verum hanc ejus conjecturam missam faciamus.

Illud autem quod pro certo ponit, praeter Ponticas duas urbes *Sebastopolin* & *Sebastiam* (de quibus pag. 330. dixerat) invehendam esse tertiam, quam *Sebasten menologiorum* & minoris Armeniae vocat; id vero palam ex Stephano redarguimus, cujus haec verba sunt: ΣΕΒΑΣΤΗ, πόλις Αρμενίας ἡ νῦν Σεβασία (sed analogia scribi vult Σεβαςεία cum diphthongo, quam & ceteri scriptores agnoscunt) καλυμένη . . . τὸ ἐθνικὸν Σεβαςηνὸς. *SEBASTE, urbs Armeniae, quae nunc Sebastia vocatur . . . cujus gentile est Sebastenus*. Ex his vides *Sebasten* & *Sebastiam* unius urbis fuisse nomina; quorum illud antiquius, istud recentius, etsi jam tum Plinii aetate usitatum. Ceterum posterior Σεβαςείας *Sebastiae* appellatio non ita veterem *Sebastes* oblitteravit, ut non aliquoties, etsi rarius, usitata reperiatur.

Non aliae igitur in Pontica regione urbes ab *Augusto* sibi nomen quaesierunt, quam duae tantum, nim. *Sebastopolis* in Ponto Galatico, & *Sebastia* in Polemoniaco: quae antea *Sebaste*, primitus autem *Cabira* dicebatur: quae & propior Armeniae minori erat.

(385) De antiquitate vide quae ex Strabone & aliis proxime allata fuerunt. Urbis vero claritudinem id in primis ostendit, quod saepissime in Antonini itinerario memoratur, nec ferme aliter quam ut plurium itinerum sive terminus sive principium exsistat.

(386) Praeter eos quos Adnot. 384. Cellarii verbis recensuimus (ex quibus tamen eximendus est Petrus ille Sebastenus S. Basilii frater qui V. Id. Jan. colitur, quia episcopus, non martyr fuit) plurimi sunt passim alii in Graecorum Latinorumque libris liturgicis.

(387) Ajo inter Pidachthonem (si modo eadem ac *Pida* Ptolemaica sit) & Sebastiam non plurimum interfuisse. Nam ex Antonini itinere quod Tavia Sebastiam per Sebastopolin dirigitur, a Sebastopoli Sebastiam milliaria LXXII. colliguntur. Atqui Pida in Tabulis Ptolemaicis medio ferme intervallo inter Sebastopolin & Sebastiam (etsi paullo Sebastopoli vicinior) exhibetur. Itaque Pidam inter & Sebastiam ad milliaria XL. numerari potuerunt, quae ad hodierna XXXII. rediguntur.

ſtantiae. Nec ſumma vicinitate indigemus; nec enim ex eo quod Pidachthonis chorepiſcopus interrogatus ac verberatus Sebaſtiae dicatur, continuo efficitur, Pidachthonis chorepiſcopalem ſedem intra Sebaſteni epiſcopi territorium eſſe debuiſſe.

Video jam in Athenogenis palaeſtra me nimium profecto fuiſſe: quod tum ferme accidit, quoties mutare ſententiam, quam initio tenuerim, cogor. Ceterum haec, quae nimia videbantur, non ad hodiernorum tantum Sebaſtenorum martyrum, ſed & aliorum plurium ibidem paſſorum hiſtoriam illuſtrandam utilia fore auguror.

C A P. X.

Dies paſſionis Athenogenis: ejuſdem commilitium.

Acta apud Surium nihil de die paſſionis afferunt (quippe quem auctor ignoraverit) feſtivitatis diem prodidiſſe contenta. Vltimum actorum caput huc adſcribere non pigebit. *Paſſi ſunt autem hi ſancti martyrium in Sebaſtea tempore Diocletiani imperatoris. Depoſiti vero fuerunt in Pedachthone. Peragitur autem memoria S. Athenogenis, & eorum qui fuerunt cum ipſo martyrum, menſis Julii XVII.* (vide Adnot. 362. ubi legendum diximus XVI.) *juxta Romanorum ſupputationem. Cerva autem accedit* (388) *in Memoria SS. martyrum offerens Deo donum hinnulum, & quum legitur ſanctum Evangelium, eum offert videntibus omnibus, oratque* (*) *ſua flectens genua, & relicto ſuo hinnulo abit in pace in locum ſuum. Conſumitur vero hinnulus in gloriam Dei & in honorem ſanctorum martyrum. Decertarunt autem ii ſancti imperante Diocletiano, in nos autem regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui gloria* &c.

Vbi vides nec initio nec in fine hujus capitis, ubi maxime locus erat diei emortualis declarandi, ullum de eo, quippe tunc ignoto, veſtigium. At ex eo ſaltem aliquod ſcriptoris hujus judicium licet animadvertere, quod memoriae diem cum die paſſionis minime miſcuerit: quae tamen Graecorum officiorum conſarcinatores confundere familiare habent. Certe metricarum ephemeridum hexameter, quem Adnot. 362. retulimus, ea confuſione laborat. At ſiquid ex die feſto concludendum erat, potior Hieronymiani venerandae antiquitatis mrologii auctoritas eſſe debuerat, in quo die XXIV. Julii horum natalis refertur, quia in occidentalibus eccleſiis eo tunc die horum memoria agebatur.

Atqui nec in Graecorum officiis, nec in Hieronymianis mrologiis verum paſſionis diem deſignari, ſed hunc re vera in XVI. Junii incurrere, Neapolitani nono ſaeculo, quum faſtos ſuos marmori inciderent, crediderunt. Argumento eſt, quod huic diei XVI. Junii illud P. (quo *Paſſio* indicatur) praeſcripſerunt, haud dubie *Natalis* tantum notam praepoſituri, niſi ſatis ex monumentis apud ſe adhuc exſtantibus [veris an falſis, id minime praeſto] didiciſſent, hunc diem martyribus hiſce triumphalem exſtitiſſe. Dixi, martyribus hiſce: nam non ſolius Athenogenis, ſed & ceterorum decem ſociorum hoc die feſtum in hoc Kalendario proponitur; quia hoc faſti noſtri familiare habent, ut duce tantum propoſito, commilitones ſubaudiendi veniant.

Quod ſi hoc Neapolitanis noſtris demus, eos verum paſſionis horum diem tenuiſſe; haud difficile deinde erit ſuſpicari,

(388) Haec eſt illa cerva S. Athenogenis familiaris, de qua ſuperius dixerat. Ad iſtud *Accedit* quod attinet: Auctor (quem apparet non ſatis antiquum eſſe, ſed IX. circiter ſaeculo haec forſan compoſuiſſe) ita heic loquitur, quaſi adhuc ſuo tempore id miraculum, parum ceteroqui veriſimile (etſi in Odis Menaeorum teſtatum) perduraret. Verum id non mirum, quia haec integre ex alio antiquiore ſcripto [in quo erat iſtud *Accedit*] deſcripſit. Sic etiam ſequenti verſu illud, *Et cum legitur Evangelium*, ex vetuſtioribus memoriis totidem verbis deſcripſit; quia olim legebatur non canebatur; at aevo ſcriptoris forſitan decantabatur.

(*) Hoc eſt orantis ſpeciem exhibet, quia flectit genua.

cari, cur Graeci diem XVI. Junii in XVI. Julii permutaverint. Nam quia aliqua de causa priore die celebrare id festum vetabantur, illud in parem sequentis mensis diem transposuerunt. Quod quidem haud semel in festorum translationibus olim factum animadverti. Scio & Hebraeis tale quiddam in more fuisse. Nam qui sive ex itinere sive alia de causa Pascha die praescripto celebrare cum ceteris vetabantur, iis lege permissum erat *Pascha*, uti vocabant, *secundarium* insequenti mense [sed tamen eodem die quo primarium inciderat] facere.

Ad commilitium vero quod attinet, de eo jam in Adnot. 367. occupavi dicere. Ibi adnotatum fuit, quorum decem Athenogenis sociorum nomina Graecis ignota fuerunt, ea nobis Hieronymianum mrologium die XXIV. Julii detexisse. Id tantū in eo mrologio peccatum fuit, quod Athenogenes, qui ceu dux, vexillum efferre ac praeire debuisset, in ultimum fere agmen (389) quasi gregarius infertur. Hoc enim ordine in Lucensi apographo [nam in aliis misere turbata sunt omnia] in aciem prodeunt: *In Arminia civitate Natalis sanctorum Sabatie, Theozoni* &c. Verum pro *Sabatie* scribendum esse *Sebastia* aut *Sebaste*, & retrahendum ante *Natalis*, ratio & Epternacensis codex suadet, ut ante ostendimus Adnot. 367. Hoc tantum correcto, cetera recte habent: quae jam ab initio repetere proderit. *In Arminia civitate Sebastia natalis sanctorum Theozoni, Victoris militaris, qui multa tormenta passus est* (haec de Victoris tormentis interposita a ceteris apographis absunt) *Emirita* [forsan *Emeriti*; si quidem unus ex contubernalibus Athenogenis in monasterio fuerit] *cum fratribus duobus, Statiani, Capitonis, Silvani, Stercati, ATHENOGINE* [rectius in Epternacensi, *Athenogeni*, ut in nostro marmore] *Caritonis*. Qui sunt numero undecim h. e. Athenogenes cum decem sociis sive discipulis.

Antequam hinc abeo; conquestum me memini Adnot. 367. quod Sollerio in toto suo de S. Athenogene commentario, quem diei XVII. Julii inseruit, nihil horum, quae nos ex Hieronymiano mrologio ad reparandum sociale Athenogenis agmen eruebamus, suboluerit. At bene est, quod tandem ad diem XXIV. Julii pag. 534. is, praeeunte sibi Claudio Castellano, ea tandem animadvertit. De Castellano autem mirari subit, cur Hieronymiani mrologii nomina quaedam atque seriem immutaverit. Qui in Nota ad Mrologium Rom. Athenogenis discipulos recenset hoc ordine: *Sebaste sanctorum Emeriti, Victoris, Melitonis* (pro Hieronymiano *Capitone*) *Theozoni, duorum fratrum Emeriti, Statiani, Caritonis, Silvani & Stercati*.

At Rosweidanum seu Romanum parvum ex *Emerita* (potius *Emerito*) civitatem fecit, sic die 24. Julii annuntians: *Apud Emeritam Hispaniae Victoris militaris*. Quibus verbis haec admetitur Ado: *Qui cum duobus fratribus Stercatio & Antinogeno diversis examinatus suppliciis, martyrium consummavit*. Eadem omnia adoptavit & Usuardus. Heic scil. ex martyre urbs effecta est: at eod. die in Mrologio Hieronymiano [ut supra Adnot. 367. animadverti] ex 83. miliariis martyres totidem evaserunt. Tantum aevo medio inconditae barbariei fuit.

XVII

(389) An ne id quidem temere factum, aut mysterio vacat? Quale id demum? quia forsitan eo heic ordine recensentur, quo capite detruncati fuerunt. Ex actis Surianis discimus, socios ante Athenogenem palmam assecutos. Non alia igitur de causa in Hieronymiano Athenogenes atque Chariton agmen cogunt, quia ultimi ad coronam pervenerunt. Hoc quidem de Athenogene jam nos acta docuerant. At quia ei Chariton in Hieronymiano adnectitur; suspicari licet, Athenogenem ita fuisse dilatum, ut tamen is non sine discipulo Charitone cum hoste decertaret.

XVII N S NICANDRI

MOs est Kalendarii hujus, ut quoties de pluribus Martyribus agitur, antesignanus tantum notetur commilitones subaudiri jubeantur. Quod & heic accidit; quandoquidem sub S. Nicandri nomine etiam Marcianus ejus socius colendus proponitur.

De his autem ea maxime pro more nostro in medium proferemus, quae nondum notata videbantur. Itaque ubi cap.I. notitiam diversarum de his athletis historiarum praemiserimus, ac breve de iis judicium interposuerimus; deinde cap.2.horum Martyrum palaestram indicabimus: tum cap.3.de tempore martyrii pauca notabimus: sub haec cap.4. Graecus ne an Latinus Actorum textus sit archetypus, decernemus: capite vero 5. in Acta Graeca cum vetere interpretatione comparata aliquot animadversiones dabimus: ac postremo novum his martyribus socium, Marcum Atinensem, (duce & auctore Bonifacio,& Hieronym. mrologiis) adjungemus.

C A P. I.

§.I. *Diversorum actorum quae de his Martyribus circumferuntur notitia, deque iis judicium.*

Anno 1645. Antonius Caracciolus monumenta Eccl. Neapolitanae edidit, quibus pag.339. Latina Acta horum pugilum ex Ms. cod. Capuani parthenonis S. Joannis inseruit: quae quidem inter Latina quae prodierunt, esse probatissima omnium, infra suffragio summorum criticorum Ruinarti & Tillemontii comprobabimus.

Deinde anno 1659. Ferdinandus Vghellus tomum VI. Italiae sacrae edidit, in quo seriem Atinensium antistitum pertexuit: cui acta SS. Nicandri & Marciani inseruit ab Adenulfo Archiep. Capuano post initia saeculi XI. scripta: in quibus ferme omnia ea reperias, quae in sinceris leguntur, sed tamen pluribus passim longioribus allocutionibus, aliisque additamentis foedata.

Postea anno 1687. Mabillonius sincera horum MM. acta quae in Ms. cod. Vallicellano repererat, in tomum I. sui Musaei Italici intulit, nescius scil. ea diu antea e Caraccioli manu prodiisse. Sunt enim plane ipsissima illa Caraccioli: nisi quod eadem Cl. Zaccagnius in Mabillonii gratiam cum Vaticanis aliquot Mss. contulit.

Sub haec anno 1690.eadem Mabillonii Acta Ruinartus primae suae Actorum sincerorum editioni intexuit, fassus ea se cum quinque cod. Mss. Vaticanis & cum Caraccioli editione contulisse.

Paucis post annis (h. e. anno 1698. ut ex Approbatione ad tomi calcem constat) tomus V. Memoriarum Tillemontii prodiit, ubi in Nota tertia ad Diocletiani persecutionem ita de aetate & palaestra horum Martyrum disserit, ut Acta Ruinartiana, primitus a Caracciolo data,unice amplectatur,cetera rejiciat.

Ad ultimum anno 1701. Bollandianus Junii tomus tertius prodiit: in quo ad XVII. Junii Godefridus Henschenius optime de his Martyribus in eo saltem meritus est, quod primus Graeca eorum Acta ex biblioth. Vaticana eruta in lucem deprompserit. Id tantum mirari subit, qua de causa doctissimis Bollandistis, quibus tot manu exarator, codicum copia ad manus fuerit, tamen non tantum quintus Tillemontii tomus ignotus fuerit, verum ne Ruinartiana quidem Actorum sylloge, ante decennium evulgata Parisiis, in eorum manus [illegible] nec enim meminerunt.Quae [illegible] vidisset Henschenius; sanius de aetate Martyrum deque loco Martyrii judicasset; nec Acta Bodecensia (quae certe posteriora esse, laciniae passim assutae indicant) antiquiora Mabilloniana judicasset: quae quidem Mabilloniana (postea a Ruinarto recusa) mirae antiquitatis acta,perperam Petro Diaco-

no Casinensi recentiori scriptori tribuit tum in Comm. praevio n. 8. tum etiam in prima earum adnotationum, quas actis Bodecensibus subjecit.

Postremo & illud praepostere fecit, quod e regione Actorum Graecorum [quae primitiva esse, cap.4. demonstrabimus] Latina Bodecensia posuit, quae a textu Graeco maximo intervallo absunt, quum potuisset Mabilloniana, quae fidam Graecorum interpretationem complectuntur, eorum lateri adnectere.

Ex iis igitur, quas habemus, historiis Graeca est omnium antiquissima, ut cap. 4. dicam. Huic Latina Caraccioli, Mabillonii & Ruinarti succedit, ex Graeco quem dixi textu ab interprete callentissimo optime expressa. His Bodecensia Henscheniana succedunt; deinde Vghelliana ab Adenulfo Archiep.Capuano conscripta sequuntur, quae quidem variis additamentis praeter rerum gestarum fidem corrupta sunt. Sic equidem de singularum historiarum antiquitate & pretio censeo: quod meum judicium ex dicendis cap.4. & 5. illustrius fiet.

§. II. *Acta contractiora ex breviario Capuano.*

Praeter suprascripta monumenta, sunt & in vetere Capuano breviario, quod penes me est, acta horum martyrum brevissime descripta: quae statui huc afferre, non tam quia a nemine adhuc producta, quam ut adnotanda a nobis in martyres hodiernos lecturis aliquod saltem compendium eorum passionis facem praeferat;deinde ut de his etiam judicium a nobis interponatur. Sunt autem in tres lectiones dispertita in hunc modum.

Lectio I. *Gloriosa sanctorum martyrum Nicandri & Martiani certamina, qualiter adversus diabolum armis caelestibus dimicarunt, ad exhortationem fidelium, veritatis stilo promenda sunt. Hi itaque relicta saeculi hujus militia & aeternitatis amore totius mundi gloriam contemnentes, ad caelestem militiam Christi gratia se contulerunt. Maximus igitur praeses audiens de beatis Nicandro & Martiano, quod detractantes militiam Christum colerent, & diis sacrificare contemnerent, statim eos suis fecit aspectibus praesentari.*

Lectio II. *Quibus ita dixit: Si non ignoratis, Nicander & Martiane, imperatorum praecepta, quibus vos diis praecipiunt sacrificare; accedite & imperata complete. Ad haec Nicander, Volentibus, inquit, sacrificare haec praeceptio constituta est: nos vero Christiani sumus, & hujuscemodi praecepto teneri non possumus. Tunc Maximus, Mihi non contradicitis, inquit; neque enim ego vos persequor,sed imperatorum praecepta; unde alienus sum a vestro sanguine. Si autem scitis, vos bene ituros, gratulor vobis: vestrum desiderium compleatur. Haec dicens sententiam in eos pronunciat capitalem.*

Lectio III. *Sancti vero martyres Christi una voce dixerunt: Pax tecum, praeses humane. Cum autem ad locum venerunt, Martianus adductam ad se uxorem osculatus est dicens: Recede in Domino; non enim me posses martyrium celebrantem aspicere. Infantem quoque osculatus & in caelum intuens dixit: Omnipotens Deus, tibi sit hujus curae. Deinde Nicandri uxorem videns, eam adduxit ad virum suum. Ad quam Nicander, Deus, inquit, tecum. Illa vero: Bono animo esto, domine: tuum ostende certamen. Post haec percussor velatis martyrum oculis, injecto gladio eorum martyrio finem imposuit.*

Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa certamina ad immortales triumphos tuos Nicandrum & Martianum martyres extulisti, da nobis dignam pro eorum commemoratione leticiam, ut quorum* CORPORA *in terris* AMPLECTIMVR, *eorum precibus adjuvemur. Per etc.*

In hac quidem epitome nihil non probum, imo nihil non ex Ruinartiana sincera historia [a qua etiam initium est adumbratum] optima fide contractum eisdem verbis cernas, praeter illud, quod in altera lectionis 1. periodo legitur, *Hi.. relicta saeculi hujus militia*, & periodo 3. *Detractantes militiam*. Nam neque in Graecis actis neque in Ruinartiana

na interpretatione aut Bodecensi, eos detrectasse militiam legitur, sed tantum iidem initio sect.2. τὴν ἐν τῷ βίῳ τιμὴν κατὰ τὰς προκοπὰς ἀπολιπόντες (*vitae hujus dignitates quae ex promotionibus proveniunt deserentes*) dicuntur. Imo ibidem ii martyres passim a praeside non pro exauctoratis, sed pro militibus adhuc stipendia facientibus habentur. Itaque hoc quod in prima lectione de militia detrectata legitur, ex Adenulfi Archiep. Capuani longiore horum martyrum historia manavit, apud quem hoc pluries inculcatur. Nam sect. 2. [ex editione Henschenii] Marcianus Nicandro ad militiam deserendam hortanti consentiens ait, *Militiam relinquamus*. Mox: *Et relinquentes militiam, coeperunt Fidem Domini Jesu Christi publice praedicare*: & sect.3. ante medium: *Nicander & Marcianus.. militiae desertores*: quae sunt mera Adenulfi commenta, quae mox in Capuanas lectiones ut intruderentur, archiepiscopi sui auctoritas impulit. At ab hoc uno naevo Lectionum Capuanarum ubi discesseris, sunt optimae notae cetera.

C A P. II.

De martyrii loco subtilior inquisitio: per quam Acta S. Julii [ex quibus haec persecutio in Moesia contigisse ostenditur] cum Hieronymianis mrologiis [in quibus Aegypto assignantur hi martyres] conciliantur.

§. I. *De palaestra horum pugilum Ruinarti & Tillemontii (in Moesia passos suspicantium) conjecturis robur adjicitur. Cur iidem conjectura tenus se continuerint. De Aegypto [cui Hieronymiana mrologia favent] difficultas proponitur.*

Vetus Venafranorum & Atinensium persuasio, gloriantium apud se depugnatum ab his athletis fuisse (quorum & corpora possident) jam diu animis universorum insederat, nemo ut unus ante Ruinartum de loco commissi certaminis addubitare ausus fuerit, quippe quem in Actis recentioribus confirmatum perspicerent. Itaque Ruinarto omnium primo, cognationem maximam historiae huic cum altera S. Julii Dorostorensis nacto, in mentem venit ea dubitatio, an non etiam hi pugiles Dorostori aut alibi in Moesia interfecti fuerint. Sed suspicione tenus stetit, quippe cui grave videbatur Venafranos & Atinenses ab antiqua possessione deturbare.

Vlterius aliquanto progressus est Tillemontius, qui vel sic tamen suam de martyrio in Moesia gesto opinionem non aliud quam *satis* (390) *probabilem conjecturam* vocat. Verum ea viri gravissimi haesitatio unde orta fuerit, infra aperiam. Interim Ruinarti & Tillemontii rationes, quibus in Moesia inferiore passi hi Martyres ostenduntur, conabor hac sectione firmiores reddere; quibus deinde addam & palmarium argumentum alterum, nequa deinceps de loco pugnae dubitatio suboriatur.

I. Ac primum inter Acta S. Julii Mart. & SS. Nicandri & Marciani tanta est styli, sententiarum, allocutionumque (391) similitudo, ut non tantum ab uno auctore utraq.profecta oporteat, verum etiam

(390) Tillemontius tom. V. extrema Nota 3. in Diocl. persecutionem, praefatus, Ruinartum nihil de loco passionis horum Martyrum decidere voluisse, subjicit: *Nous ne pretendons point aussi que ce que nous en disons doive passer pour certain; mais je croy que l'on avouera que c'est au moins une conjecture bien probable & bien appuyée*. Nec aliter Bailletus judicavit, nihil certi de loco esse conquerens. Sed tamen inquit, *On croit seulement sur des plausibles conjectures, que ce fut ... dans la Mesie ... & peut-etre meme dans la ville de Durostoro sur le Danube*.

(391) Satis erit si utraque inter se conferantur [exstant enim utraque apud Ruinartum pag.549. & seq. edit. Amstel.] non ovum ovo similius reperies. Aliquot tamen loca similia afferam ad specimen magis, quam ut necesse id sit. In Actis S. Julii sect. I. v. 6. Maximus praeses dicit: *Ignorasti praecepta regum* [ex Gr. βασιλέων pro *imperatorum*] *quae jubent immolari diis*? Item vero in Actis horum MM. sect. I.

etiam tamquam duas (392) ejusdem historiae partes. II. In utrisque unus idemque est praeses, nomine *Maximus*: cui idem in utrisque actis est ingenium ad clementiam atque moderationem (393) pronissimum. III. Verum, in quo rei totius caput est, mentio in utrisque Actis *S. Pasicratis Mart.* nullo modo dubitare sinit, quin Nicander & Marcianus in eadem prorsus provincia occubuerint, in qua paullo ante S. Julius, ante hunc autem S. Pasicrates martyrium fecerant. Vide inferne (394) adnotata de hoc S. Pasicrate. Quare quum in Actis S. Julii depugnasse Julius Dorostori in Moesia inferiore dicatur [*Martyrizatus est venerabilis Dei famulus Julius apud provinciam Moesiam in civitate Dorostorense die VI. Kal. Jun. agente Maximo praeside*] eamdem viciniam etiam Nicander & Marcianus sanguine suo irrigaverint necesse est. Hactenus argumenta sunt a Ruinarto & Tillemontio adumbrata, nunc autem luculentius confirmata.

Verum

sect. I. v. 9. idem Maximus ait: *Si non ignoratis, Nicander & Marciane, Imperatorum praecepta, quibus vos diis praecipiunt sacrificare.*

In Actis S. Julii ibid. v. 9. Maximus ait: *Quid enim grave est sacrificare & abire?* In his Actis ead. sect. I. v. 14. *Ture tantum deos, Nicander, honorato.*

In S. Julio ead. sect. I. v. 24. his promissis Maximus Julium allicit: *Accipies decem denariorum* [sed corr. *decennaliorum* ex Actis Henschenii] *pecuniam* (in decennalibus scil. distribui solitam) *Julius respondit: Neque pecunia haec Satanae .. privare me potest Domino.* Pariter in Actis S. Nicandri sect. I. v. 12. dicente Maximo: *Quare vel vestrae merita* [h. e. *stipendia*, a verbo militari *Mereo*] *non accipitis dignitatis? Nicander dixit, Quia pecuniae impiorum contagium sunt Deum colere cupientibus.*

In S. Julio ead. sect. I. pag. 550. v. 5. Maximus ait: *Si non vis sacrificare, tuo traderis desiderio ... Tu quidem festinas mori, & putas te pro aliqua laude pati.* Nec aliter in Nicandro & Marc. sect. 3. v. 9. Maximus ait: *Ecce pro desiderio vestro morti trademini.* Et quibusdam interjectis idem sententiam pronuntiaturus praefatur: *Si autem scitis vos bene ituros, gratulor vobis: vestrum desiderium compleatur.*

(392) *Insignis menda ex Actorum Graecorum prooemio tollitur: qua sublata, statim intelligitur, Acta S. Nicandri partem esse universalis martyrum Moesiae commentarii.*

Acta S. Julii nec non SS. Nicandri & Marciani non tantum affinia esse, sed & ab eodem auctore scripta, ac postremo duas esse unius generalis historiae [quae Martyrum pugnas in Moesia sub eod. Maximo praeside depugnatas complectebatur] partes, equidem contendo. Quod quidem quia & nemo, quod sciam, animadverterat, & ad argumentum quod prae manibus est, summopere facit; conabor equidem ex Actorum Graecorum apud Henschenium [quae archetypa esse infra cap. 4. ostendam] prooemio id demonstrare. Cujus tamen initium menda insigni laborat. Sic enim exordiuntur: Ἧκον ἐπὶ τὰ κατὰ τοῦ διαβόλου: quod nihil est. Verum ne dubita, quin pro ἐπὶ τὰ legendum sit junctim ἔπειτα h. e. *deinde*. Latine igitur totidem verbis sic exordium illud sonat: *Venerunt deinde* (*deinde* ait, quia paullo post Julium die 27. Maii consummatum: cujus quidem certamen proxime hic historicus exposuerat) *contra diabolum etiam SS. Martyres Nicander & Marcianus, qui circumamicti lorica fidei, sese integros armanti ipsos Christo custodierunt.* Hoc ipsum transitionis genus imitatus est auctor Actorum Vghellianorum: *Hinc jam* [inquit: i. e. post expositas pugnas S. Julii & aliorum ejusdem provinciae martyrum] *ad Nicandri & Marciani virorum sanctorum, qualia contra diabolum habuerunt arma, exponendo properemus.*

(393) Quae loca in Adnot. 361. contulimus, ea quidem satis praesidis hujus humanitatem singularem produnt; nec cetera utrorumque Actorum ab eo viri charactere abludunt. Hinc is in Actis S. Julii *Pius* a martyre vocatur pag. 550. v. 3. *Obsecro te, pie praeses.* Nec aliter in his Actis pag. 553. v. 7. ubi Nicander & Marcianus audita sententia, sic eum compellant: *Pax tecum praeses humane.*

(394) S. Pasicratem in eadem Moesia ante Julium pro Domino occubuisse necesse est, quum in fine Actor. S. Julii sic hunc sub acie gladii obtestetur Hesychius: *Plurimum etiam saluta Pasicratem & Valentionem famulos Dei, qui nos jam per bonam confessionem praecesserunt ad Dominum.* Atqui etiam in Actis Nicandri & Marciani ejusd. Pasicratis Mart. luculenta fit mentio sect. 3. his verbis: *Nicandrum sequebatur ... Papianus frater martyris Pasicratis.*

Verum si ita se res habet; quid Ruinartum & Tillemontium impedivit, quo minus de ea palaestra certius aliquid decernerent? Scio quid eos conjectura tenus coercuit. Nam hinc Venafranos & Atinenses reclamantes animadverterunt, qui apud se eos decertasse ex aliis qualibuscumque Actis contendunt: illinc vero Mrologia Hieronymiana, quibus auctoritatem summam sua antiquitas conciliat, hos eosdem Martyres Aegypto vindicant. Ob eam ergo causam viri gravissimi suum illud *Non liquere* pronuntiarunt.

Ac Venafranis quidem & Atinensibus haud aegre hoc reposuit Tillemontius, fieri potuisse, ut horum Martyrum corpora jam inde ab exeunte quarto (395) saeculo delata in Campaniam fuerint; hinc culturae apud Venafranos & Atinenses antiquitatem in causa fuisse ut cupidi oppidani sua civitate illos donarent.

Ceterum ea martyria non potuisse in Campania geri his praeterea rationibus persuasum habeo. I. Horum Acta Graece primum prodierunt, ut cap.4. ostendam. At si in Campania depraeliati hi martyres essent, Latine primitus eorum acta scribi debuissent. II. Maximus horũ martyrum judex numquam *Consularis* [quae peculiaris Campaniae rectorum appellatio post Hadrianum fuit] ne semel quidem vocatur, nec alio prorsus quam generali *praesidis* nomine ubique donatur. III. Monumenta omnia, quae pro Venafranis & Atinensibus laudantur, sunt omnia auctoritatis levissimae: contra vero in perantiquo ecclesiae Capuanae [cui Venafranus & Atinensis episcopi suffragabantur] breviario, quod penes me est, nihil prorsus in lectionibus legitur, ex quo haec in Campania gesta fuisse suspicari possis. Hoc tantum in Orationis fine legitur, *Vt quorum corpora in terris amplectimur, eorum precibus adjuvemur*: ex quibus sacrarum reliquiarum apud Venafranos & Atinenses celebritas satis intelligitur. Adde quod apud Capuanos ipsos S. Nicandri brachium venerationi est.

At de Aegypto molestior est difficultas. Etenim si quidem hos martyres Moesiae vindicare voluerimus, grave erit antiquissima Mrologia, quae sub Hieronymi nomine ambulant, in mendacii aut erroris suspicionem vocare. Atqui ejus Mrologii apographum Lucense, quod Florentinius edidit, Nonis Junii sic incipit: *In Egipto* (396) *Marciani, Nigrandi, & Apolloni, quorum gesta habentur*. Nec dubium est quin *Nigrandi* pro *Nicandri* scriptum sit, sicuti recte in antiquiore Antuerpiensi codice legitur hoc modo: *In Aegypto Marciani, Nicandri & Apollini*. Eodem spectat, quod mox die VIII. Marcianus [omisso tamen Nicandro] eidem Aegypto tribuitur. Nam in omnibus apographis idem hoc est initium: *In Aegypto Marciani*, aut *In Aegypto natalis Marciani*. Hinc ceteri martyrologi & Graeci hoc arripuerunt, ut eosdem hos martyres (397) Aegypto tribuant.

Quum ergo Hieronymiana venerandae antiquitatis mrologia horum athletarum

(395) Quo scil. tempore Gothis Illyricum orientale (cujus pars erat Moesia inferior) infestantibus, Martyrum corpora quae illic asservabantur, huc atque illuc transferri [uti quidem in talibus incursionibus fieri moris fuit] contigit, ut apposite idem Tillemontius innuit.

(396) Eadem Nonis Aprilis leguntur in Lucensi Hieronymiano apographo his verbis, *In Aegypto natalis sanctor. Marcianae, Nichanoris* [pro *Marciani, Nicandri*] *Apollonii*. Sed in Antuerpiensi antiquiss. exemplari tantum legitur, *In Aegypto Marciani*. Tamen cum Lucensi apographo eosdem tres eisdem Nonis Aprilis inculcant Romanum parvum, Ado, Vsuardus, Notkerus.

(397) Ado Nonis Junii: *Apud Aegyptum natalis sanctorum martyrum Marciani, Nicandri & Apollonii, quorum gesta habentur*. Eisdem prorsus verbis utitur eodem die Vsuardus. Taceo Notkerum. Ad Graecos quod attinet, Basilii Menologium ad Nonas Junii Marcianum & Nicandrum diserte Aegyptios facit. Sed de Graecis sermo alibi forsan redibit, ubi se opportunitas dederit.

tarum ſtadium in Aegypto ponant, quumque Hieronymianis ceteri Mrologi Latini, Graecorumque libri conſentiant; merito Tillemontius ne praecipitati judicii accuſaretur, conjectura tenus ſtetit, dum hos duoviros in Moeſia paſſos noluit affirmate tradere, ſed tantum vehementer ſuſpicari.

§. II. *De Aegypto nodi ſolutio tentatur. Oſtenditur in Hieronymianis pro* Aegypto *eſſe reponendum* Aegypſo, *illa ſcil. Moeſiae urbe cujus meminit Ovidius, Antoninus, Porphyrogenneta: cujus nominis ſcriptura varia producitur. Difficultatibus quibuſdam occurritur. Cur in Moeſia potiſſimum perſecutio in milites deſaevierit.*

Ex his vides, in conſtituenda pugilum horum palaeſtra Venafranos & Atinenſes ſua poſſeſſione eſſe dejiciendos, quippe monumentis recentioribus fultos; ac tantum inter Moeſiam & Aegyptum ſupereſſe certamen, dum illa S. Julii mart. hiſtoriam perantiquam, haec Hieronymianum mrologium in teſtimonium vocat. Quid ſi excogitari aliquid poſſit, quo Hieronymiana mrologia cum Actis S. Julii [ex quibus ea omnia martyria, quae ſub Maximo praeſide geſta fuere, in Moeſia contingere debuiſſe, colligitur] ex aperta diſcordia in conſtantem amicitiam coire poſſint? Quandoquidem autem non neceſſe eſt in eadem Doroſtorenſi civitate, in qua paſſus eſt Julius, etiam Nicandrum & Marcianum obiiſſe, ſed ſatis eſt ſi in eadem provincia oppetierint; quid ſi in eadem inferiore Moeſia *Aegyptus* aut quid tale quod quaerimus, deprehendatur? Atqui jampridem Ovidius, qui diu in his locis exſulavit, quod inquirimus, lib. IV. ex Ponto epiſt. VII. his verſiculis indicaverat, quibus Veſtalem provinciae rectorem alloquitur.

Non negat Aegypſos, quae te ſubeunte recepta,
Senſit in ingenio nil opis eſſe loci.

Vult enim *Aegypſum* Moeſiae inferioris urbem [una tantum littera ab *Aegypto* variantem] a Thracibus interceptam, mox a Veſtali recuperatam fuiſſe. Eâdem elegia v. 53.

Vincitur Aegypſos: teſtataq. tempus in omne
Sunt tua, Veſtalis, carmine facta meo.

De ejuſdem ſitu & fundatore cecinerat lib. I. ep. 8.

Stat vetus urbs, ripae vicina binominis Iſtri,
Moenibus & poſitu vix adeunda loci.
Caſpius Aegypſus [de ſe ſi credimus ipſis]
Condidit, et proprio nomine dixit opus.

Ejuſdem meminit Antoninus in Itinere per ripam Danubii medio intervallo inter Doroſtorum & Iſtri oſtia: meminit & Porphyrogenneta lib. II. the. 1. & alii. Nec moror, quod in ſcriptura nominis urbis hujus cum Ovidio & aliis modo memoratis Hieronymiana Mrologia non conſentiant; aliud enim *Aegyptus* eſt, aliud *Aegypſus*, aut [ut in aliis (398) legitur] *Aegyſſus*: non moror, inquam, quia in locorum nominibus, maxime ignotorum, quid ſibi non licere Hieronymiani Mrologii exſcriptores paſſi ſunt? Itaque quum ea urbs Moeſiae vix ulli librariorum nota eſſet, praeclare ſe de eo Mrologio merituros putarunt amanuenſes, ſi pro *Aegypſo* aut *Aegyſſo* (quod Attice *Aegitto* eſſet) quod mendoſum putarunt, *Aegyptum* omnibus notiſſimam ſubſtituerent. Ergo quum hos duoviros in *Aegypto* decertaſſe legis, ſi me audis, noli de regione Aegypto, ſed de Aegyſſo urbe cogitare, ad eamdem Iſtri ripam, ad quam & Doroſtorum, poſita.

Et in hac quidem ratione omnia pulchre procedunt: niſi quod illud tantum incom-

(398) In vulgatis Ovidii *Aegypſus* legitur, at in Mss. Heinſius ad Ovidium plures lectiones ſe reperiſſe praeter vulgatam adnotat; quibus praeſtare tamen ait illam plurimor. librorum *Aegyſſus*: cui conſonat Porphyrogenneta cum ſuo Αἴγισσος, *Aegiſſus*. Etiam in Antonini pluribus libris & in Notitia Imperii eſt *Aegyſſos*. Alii *Aegiſſus* ex vet. libris malunt. Jam vero ex *Aegyſſus* (ſi hanc ſcripturam pluribus teſtibus confirmatam ſequi malumus) fiebat olim Attice *Aegyttus*: quod facile poſtea fuit cum *Aegypto* confundere.

incommodat, quod longius aliquanto Aegypſus [Nicandri & Marciani palaeſtra] a Doroſtoro, ubi Julius decertaverat, abeſt. In praedicto certe Antonini itinere per Danubii ripam a Doroſtoro ad Aegyſſum millia paſſuum CLX. colliguntur. Quomodo ergo Papianus frater Paſicratis [qui Paſicrates Doroſtori martyr exceſſerat] in Martyrum hodiernorum hiſtoria Nicandro occurreret, & ea in illum officia praeſtaret quae ibidem leguntur? Reſpondeo veterum Romanorum milliaria quinta ſui parte breviora fuiſſe hodiernis Italicis, uti ad XIV. Aprilis in Adnot. 353. obſervavimus. Itaque milliaria illa 160. iſto modo ad 128. hodierna rediguntur. Sed tamen & id quoque intervallum longius eſt, quam ut Papianus Doroſtoro [ubi frater ejus Paſicrates martyrium fecerat] Aegyſſum uſq. decurreret ad officia hodiernis martyribus exhibenda. Itaque ſequens forſitan reſponſio probabilior. Maximus provinciae praeſes tunc quidem in luſtranda provincia occupabatur, tum ad conventus variis in locis habendos, tum etiam ad exſequenda Imp. Galerii Maximiani praecepta, quibus milites Chriſtianos aut ad ſacrificandum compellere, aut capite plectere jubebatur. Ea de cauſa Doroſtori quidem in Valentionem & Paſicratem Papiani fratrem, mox in Julium (forſitan & in plures alios) animadvertit. Hos vero omnes & milites fuiſſe [ac facillime ex *legione* (399) *undecima Claudia*) & Doroſtori (400) martyrii palmam adeptos, non eſt dubium. Ante horum autem martyrium ſanctos Nicandrum & Marcianum Doroſtori auditos ac ſtatim in carcerem conjectos, cap. ſeq. dicam. Poſt igitur confectos athletas illos, quos ſupra nominavi, ſtatim judex Nicandrum & Marcianum e carcere eductos Aegypſum, quo & ipſe provinciam luſtrans contendit, aſportari juſſit, iterum tentandos, ſiquo modo deduci de ſententia poſſent. Quos in propoſito conſtantes repertos capite amputari fecit. Ibi vero hi duo pugiles S. Papianum, S. Paſicratis fratrem praeſto habuerunt: non quod neceſſe ſit, Papianum ex Doroſtoro uſque Aegypſum accurriſſe, [quamquam ne id quidem incredibile eſt] ſed quod veriſimile ſit Papianum in *legione II. Herculea* [cujus ſtativa Novioduni prope Aegypſum erant ex Antonini itinerario ibid.] ſtipendia meruiſſe. Nam ut paucis complectar, in militibus non patriae conſiderandae ſunt, ſed ſtativa cujuslibet. Itaque ex his fratribus Paſicrates Doroſtori [ubi & ſanguinem fudit] Papianus autem Novioduni conſiſtebat; unde hic alter perbrevi itinere Aegypſum accurrit, ut ſuis commilitonibus decertaturis praeſto eſſet.

Ex hac reſponſione illud etiam ſequeretur, ſatis veriſimiliter, ſicuti Doroſtori, ſic etiam apud Aegypſum militum martyria contigiſſe, quia utrobique ſuae legiones Iſtri ripam defenſabant: id vero tum ſolum in hac perſecutione agebatur, nequis Chriſtianus in Romanis legionibus mereret. Ea vero perſecutio (quam militarem licebit appellare) idcirco in Moeſia potiſſimum ſaeviit, quia ibi ad Iſtri ripam plura legionum ſtativa, alibi alia, poſita erant: id quod Antonini

(399) Doroſtori legionis hujus ſtationem fuiſſe ex laudato Antonini per Iſtri ripam itinere conſtat, ubi legitur, *Doroſtoron, Leg. XI. Cl.* h. e. *legio undecima Claudia*, quod & integris litteris in Notitia imperii legitur.

(400) In Actis S. Julii verſus finem, *Eſichyus quidam Chriſtianus, cum eſſet miles, & ipſe cuſtodiretur, dicebat S. Julio mart. . . . . . Plurimum etiam ſaluta Paſicratem & Valentionem . . . qui nos jam per bonam confeſſionem praeceſſerunt ad Deum.* Biduo autem duo illi S. Julio praeceſſerant, ut ex Mrologiis conſtat, in quibus Paſicrates & Valentio die 25. Maii, Julius autem ejuſdem menſis die 27. palmam obtinuerunt.

De Heſychio ipſo, qui ibidem martyr obiiſſe proditur, major eſt difficultas. Nam die XV. Junii in Hieronymiano ponitur (ubi incipit, *In Doroſtoli natalis S. Iſici*) & iterum die 17. quo ſcribitur, *Doroſtoro Iſicii*. At in IX. ſaeculi Mrologiis ferme die XVII. Junii ſignatur: de quo alibi dicam.

ni libellus in itinere per Danubii ripam ostendit.

Postremo quum hanc contra milites saevitiam Galerium Maximianum auctorem habuisse, satis constet (de quo vide Tillemontium laudata Not. 3.) nec de Aegypti regione, nec de Campania cogitare licebit, quandoquidem neutra Galerio parebat.

§. III. *Marcianum & Nicandrum, (sive potius Marcianam & Nicanorem, aut quocumque vocati sint nomine) Nonarum Juniarum diversos fuisse a Nicandro & Marciano, qui a Latinis die XVII. Junii, a Graecis die VIII. ejusdem mensis coluntur: & illos quidem fuisse revera Aegyptios, hos autem apud Aegypsum Moesiae passos.*

Et hactenus quidem visi sumus quoslibet hujus nominis martyres, qui in Hieronymianis mrologiis apud *Aegyptum* ponuntur, ad *Aegypsum* Moesiae transtulisse. Verum dum ipse me colligo, cogor ducibus Graecorum Ecclesiasticis libris binos Nicandrum & Marcianum agnoscere. Etenim praeter hodiernos Nicandrum & Marcianum Moesiae adscribendos, fuere Sancti ejusdem aut affinis nominis vere Aegyptii: qui alteri in Mrologiis tum Hieronymianis, tum etiam aliis IX. saeculi consensu summo tum Nonis Junii, tum etiam Nonis Aprilis coluntur. Hi inquam diversi ab iis sunt, quos Venafrani colunt; quippe quum diversa prorsus sit eorum (401) historia, diversis colantur diebus, adhaec socios habeant in Mrologiis Latinis Apollonium, apud Graecos autem hunc cum septem aliis, deinde vere in Aegypto passionem sustinuerint, postremo [ut equidem haud temere (402) conjicio] diversa habuerint nomina, etsi valde affinia; & Marcianus alteri praeponatur, qui in Venafranis postponitur. En igitur par unum martyrum homonymorum [nam cognomines tantisper vocabimus, donec diversitas nominum extra dubitationis aleam statuatur] sine controversia Aegyptiorum, qui a Latinis Graecisque Nonis Junii celebrantur.

At vero in eisdem Graecorum libris die VIII. Junii alii quidam prorsus diversi ab Aegyptiis Nicander & Marcianus coluntur sub Maximo praeside: nec dubium ullum est, quin iidem illi sint, quos in Moesia sub Maximo praeside occubuisse, supra dictum fuit. Nisi quod horum dies variat: qui apud Latinos quidem in Kalendario hoc marmoreo, & in Actis Ruinarti, adhaec apud Venafranos, & in Mrologio Romano, est dies XVII. Junii, apud Graecos vero in suis libris liturgicis, & in Actis Graecis primitivis, quae dedit Henschenius, dies VIII. Junii assignatur. Graecis vero concinunt Hieronymiani Mrologii apographa, quae constanter diem VIII. Junii a Marciano ordiuntur, praetermisso Nicandro, qui certe excidit, ac reponendus ex consensu Graecorum videtur. Hos autem nihilo minus, ac illos Nonarum Juniarum, Hieronymiana In *Aegypto* ponunt. Sic enim dies VIII. Junii in Hieronymianis incipit: *In Aegypto Natalis Marciani*. Sed si me audis, scribendum est: *In Aegypso* (aut *Aegysso*) *Nicandri*, *Marciani*. Nam quia *Nicandri* nomen abolitum vetustate fuerat, descriptores *Natalis* vocem *Nicandri* nomini substituerunt. At *Natalis* vox perraro non tantum in Hieronymianis apographis, verum multo magis in IX. saeculi Mrologiis:

(401) Conferantur cum Actis Ruinartianis Nicandri & Marciani Acta Graeca (sive potius elogium facile V. aut VI. saeculo scriptum) apud Henschenium de martyrib. Aegyptiis, itemque quae Graeci in Menaeis & Menologiis die V. Junii habent: plane nihil simile reperies.

(402) Haud temere affirmo Martyres Nonarum Juniarum paullo diversa, etsi affinia, habuisse nomina. Nam alterum eorum nominum alibi *Nigrandi*, alibi *Nicanoris* scribitur, *Marciani* vero nomen vereor ut rectius *Mariani* fuerit. In iis certe Mrologii Hieronymiani compendiis satis antiquis, quae Sollerius tom. VII. Junii ante Usuardi mensem Julium edidit, in Rhinoviensi & Rhichenoviensi Nonis Aprilis legitur: *In Aegypto Mariani*. Mitto quod hic idem alibi *Marcianae*, alibi *Martiae* nim. mutato sexu in eisdem vocatur.

raro in Antuerpiensi sive Epternacensi vetustissimo Hieronymiani Mrologii exemplari legitur, & sicubi reperitur, suspicione non caret.

Itaque rem intra moderatiores justosque limites continentes, *Marcianum* & *Nicandrum* [sive potius *Marianum* & *Nicanorem*] Nonarum Juniarum cum comite *Apollonio* regioni Aegypto asserimus: at Nicandrum & Marcianum diei VIII. Junii perperam a descriptoribus Hieronymiani mrologii Aegypto tributos, *Aegypso* sive *Aegysso* Moesiae restituimus. Ceterum dies horum martyrum triumphalis fuerit ne dies VIII. Junii, an potius XVII. cap. seq. discutiemus.

§. IV. *Dicta hactenus de loco martyrii retractantur; atque hos martyres Dorostori confectos, Aegypsi vero sepulcri honorem consecutos, suadetur.*

Et adhuc videbar difficultatibus, quae adversus horum pugilum in Aegypso palaestram objici possent, satisfecisse: at mihi nondum ipse satisfacio. Nec enim negari potest quin quam §. 2. tenui viam, ea sit difficultatibus impeditissima.

Eae difficultates ad duo maxime capita referri possunt. I. Grave est, quod in actis SS. Nicandri & Marciani nulla sit neque vola neque vestigium de eo, quod Dorostori primum interrogati, & in carcerem conjecti, deinde post 20. dierum custodiam Aegypsum abducti fuerint puniendi. II. Deinde illud maxime arduum, quod S. Hesychius ille, cujus in Actis S. Julii mentio, exsistit, in Hieronymianis mrologiis die XV. Junii Dorostori ponitur. Atqui si ex nostra sententia SS. Nicander & Marcianus Aegypsi die VIII. Junii [de quo martyrii die dicam cap. seq.] occubuerunt; necesse erit hunc in modum rem processisse. Postquam die XXVII. Maii Maximus judex Dorostori in S. Julium animadvertit, eum necesse est Aegypsum discessisse, abductis secum SS. Nicandro & Marciano. Ibi vero statim atque his martyribus die VIII. Junii capita amputari fecit, eum e vestigio Dorostorum rediisse oportebit, ut in hac urbe S. Hesychium die XV. interficeret. Ea vero omnia quamvis ἀδύνατα [*impossibilia*] non sint; tamen parum certe videntur verisimilia.

Quocirca ut Hieronymianis mrologiis in Aegypto [sive verius Aegypso) hos athletas agnoscentibus fides constet, satius erit ita rem temperare, ut fateamur, in Mrologiis locorum nomina haud semper certaminis palaestram notare, verum haud raro etiam depositionis seu primae sepulturae locum. Itaque si fingamus, hodiernos martyres Dorostori post alios (Pasicratem, Valentionem, Julium, quosque ceteros libellus complectebatur ille, cujus partes tantum duae supersunt, de S. Julio una, de Nicandro & Marciano altera) animas exhalasse, ac deinde eorum corpora sive secundo flumine sive terrestri itinere [quandoquidem martyrum sepeliendorum cura tunc minime vetabatur] avecta fuisse: si res, inquam, in quem dixi modum acciderit; quis dubitat, quin in mrologiis postea visum fuerit magis primae sepulturae, quam fusi sanguinis loci habendam esse rationem? Ea igitur de causa obtinuit ut par hoc martyrum Aegypso potius (ubi eorum *Martyrium* sive primitivum sepulcrum venerationi erat) quam Dorostoro tribueretur. Ita difficultates omnes penitus evanescent.

Ergo hoc ultimum sequaris, censeo. Nempe Aegypsus non locus certaminis, sed depositionis SS. Nicandri & Marciani fuit: qui Dorostori passi, mox Aegypsum abducti sepeliendi fuerunt. At antiquissima mrologia depositionis, quam loci certaminis potiorem rationem habebant.

C A P. III.

De martyrii tempore.

§. I. *Annus passionis.*

Anno Christi 301. aut potius 302. id martyrium contigisse, luculentis rationibus effecit Tillemontius tom. 5. saepe laudata Nota 3. in Diocl. persecutionem:

quae quidem rationes huc redeunt. Hanc totam persecutionem, qua in Moesia inferiore sancti Pasicrates, Valentio, Julius, Hesychius, Nicander, Marcianus [ut & alii sine controversia plures, ex notitiarum inopia ignorabiles] in caelestem civitatem transcripti fuerunt, in milites dumtaxat efferbuisse, ex horum Martyrum historia & ex simillimis S. Julii Actis, aliisque monumentis constat. Atqui solorum militum insectationem nemo alius excivit praeter Galerium Maximianum, idque ab anno 298. ad totum 302. Verum injecta in Actis S. Julii *decennaliorum* (403) mentio vetat de alio nos anno quam de 301. sive potius 302. cogitare, in quorum alterutrum [sed verisimilius in 302.] Constantii & Galerii decennalia incurrebant. Ergo in Junium anni ejus incidit Nicandri & Marciani passio. Huc Tillemontii ratiocinatio redit.

Fatendum est tamen, jam antea Galesinium horum Martyrum passionem sub Maximiano posuisse, ex quo & Baronius id in Rom. Mrologium derivavit. Quod si sub Maximiano; non alio certe tempore, quam quo dictum, contingere potuit. Ac de Galesinio mirabar equidem, undenam hoc didicisset, quod sub Maximiano passos refert. Verum ejus rei vestigia tandem in actis horum martyrum Bodecensibus [quae Henschenius hoc die e regione Graecorum posuit] reperi. Ibi sect. 2. v. 6. praeses ait: *Ignoratis, Nicander & Marciane, praecepta dominorum nostrorum Diocletiani & Maximiani &c.* At Henschenius, (ut qui id sibi sumpserat, hos athletas sub M. Aurelio & L. Vero passos) nomina Diocletiani & Maximiani malo exemplo delevit. Quem vide in ea, quam subjicit, nota B. Vbi & hoc testatur, in fine, ubi passi esse dicuntur *sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus*, ea se nomina [quippe praejudicatae opinioni suae infesta] induxisse. Ceterum trita res est, persecutionem a Galerio Maximiano motam, tribui tamen Diocletiano & Maximiano, quia horum scil. nomina praeceptis praescribebantur.

§. II. *Dies passionis*.

At de die haud levis est difficultas ob discidium quod inter Graecos Latinosque animadvertitur. Graeci enim in Menaeis & synaxariis die VIII. (404) Junii hos duoviros colunt. Adhaec Acta Graeca Henscheniana [quae primitiva esse, saepius a me dictum fuit] eodem die VIII. passos praedicant. Eidem diei & Mrologia Hieronymiana adstipulantur, quae nos in his martyribus correximus cap. superiore §. 3. ac supplevimus.

At contra pro die XVII. Junii stant Venafrani & Atinenses cum chronicis, officiis, monumentisque pluribus. His omnes Campaniae Ecclesiae adstipulantur, praesertim Capuana, in cujus perantiquo apud me Breviario, nec non Kalendariis omnibus a Mich. Monacho editis hi martyres die XVII. notantur. Adde hos Fastos marmoreos IX. saeculi pro eodem die XVII. militantes. His accedunt quaedam Vsuardi auctaria ad XVII. Junii. Galesinius [qui primus videtur eos Mrologio in usum Romanae curiae inseruisse] eodem die eos signavit: quod & retinuit Baronius. Postremo [in quo caput rei est] Acta omnia Latina, etiam illa praestantissima Ruinarti XV. Kal. Julias h. e. die XVII. Junii eos martyrium fecisse praedicant.

Ac fuit sane tempus quum a Latinis starem, statueremque, videri omnino Acta Latina Caraccioli, eademque Mabillonii & Ruinarti, verum nobis passionis diem indicasse, in quibus legitur, *Re-*

(403) In Actis S. Julii praeses sic Martyrem allicit, *Accipies decennaliorum pecuniam*, donativum scil. militibus in decennalibus distribui solitum.

(404) Nec refert quod in Basilii Menologio die VII. Junii de his agitur; nam frequens hoc est Graecorum libris, ut inter se die uno (perraro pluribus) varient. Menologium autem Basilianum longe frequentius ab aliis libris die uno abit. Verum Graecorum ceterorum libror. consensus pro die VIII. militat.

Requieverunt autem Christi martyres Nicander & Marcianus XV. Kal. Julii. In aliis tribus Vaticanis : *Susceperunt autem martyrium XV. Kal. Julii*. Idem in Actis Bodecensibus supparis antiquitatis [quae e regione Graeci textus posuit Henschenius] legitur : idem in Adenulfo apud eumdẽ Henschenium,& Vghellum .

Nec referre putabam , quod in Actis Graecis primitivis apud Henschenium sic legitur : Εμαρτύρισαν (cor. ἐμαρτύρησαν) δὲ οἱ ἅγιοι ... Νίκανδρος καὶ Μαρκιανὸς μηνὶ Ἰουνίου ὀκτώ . *Martyrium fecerunt sancti ... Nicander & Marcianus mensis Junii* (die) *octo* . Nam hunc locum syntaxis vitiosa erroris arguere videbatur ; deque eo sic suspicabar . Auctor Graecorum Actorum diem passionis eumdem haud dubie notaverat , qui in Latinis Actis Ruinartianis antiquissimis & Bodecensibus exprimitur . Nam quum Acta Ruinartiana fide summa Graecum textum interpretentur , non fuit causa , cur in die Passionis a fonte discederent . Multo minus in Bodecensibus [quae paraphrasis magis quam interpretatio sunt] id factum fuisset , quippe longissime a Venafro & Campania descriptis.Ergo antiquitus in Graecis dies XVII. passioni imputabatur . At postea numeri dierum vetustate evanuerunt : ex quo forsitan accidit , ut Graecus aliquis in margine e regione lacunae adscripserit ὀκτὼ , id scil. a Graecorum libris mutuatus , apud quos eo die celebrantur hi martyres . Id ubi semel factum fuit ; statim alter , qui ex eo exemplari descripsit , vocem ὀκτὼ in textum recepit , parum sollicitus de syntaxi σολοικιζούσῃ .

Ac nequis urgeat , hunc textus Graeci ex Latino emendationem meram esse conjecturam ; equidem rebar , rem esse certissimam . Nam si Graecus auctor, qui haec primitus scripsit , sibi constare voluit,non potuit alium passioni diem quam XVII. Junii assignare . Qua de causa ? quia Nicander & Marcianus post S. Julium(qui die XXVII.Maii,ut in suis Actis, capite amputatus fuit) interrogari coeperunt . Atqui post primam interrogationem dies viginti(in Graeco ἡμέρας εἴκοσι) in custodia servati sunt , antequam sententiam capitalem acciperent . Hi vero viginti dies Graeco auctori (si quidem illud ὀκτὼ octo ex ejus manu fuisset) nullo modo constabunt ; praesertim quum in Graecorum Actorum prooemio diserte innuatur non nisi post S. Julium venisse in certamen Nicandrum & Marcianum . Vide supra in Adn.392. At a die 27.Maii (qui extremus S.Julio fuit) ad 17. Junii dies unus & viginti decurrunt , qui satis sunt ad viginti dierum custodiae intervallum . His equidem de causis principio pro die XVII. qui in Actis Latinis signatur , standum esse putabam .

Verum sicubi δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι (*curae posteriores*, eaedem *cordatiores*) heic certe id verum est . Statim enim ac me collegi , pro Graecis standum esse animadverti . Atque ut ab ultimo argumento diluendo ordiar : omnino videntur Nicander & Marcianus diu ante passionem S. Julii primo interrogati fuisse , acceptisque dierum viginti induciis , statim in custodiam traditi . Deinde post S. Julii necem , quum jam illi per dies viginti detenti fuissent , e custodia educti iterumq. interrogati, ubi eos in proposito manere apparuit, capitali accepta sententia , abscissis cervicibus oppetierunt die VIII.Junii. Dierũ igitur viginti custodia, ante S. Julii necem decurrere incipiens , optime cũ Graecorum sententia procedit.

Alterum argumentum a soloeco Actorum Graecorum sumptum nihili est.Nec enim novum est, apud Graecos haud raro cardinales numeros pro ordinalibus usurpari : cujus generis exempla plura apud Hesiodum in Ἡμέραις reperisse memini . Fortassis autem sic primitus scriptum fuit, μηνὸς Ἰουνίου τῇ ὀκτώ . At deinde articulus excidit , & syntaxis [405] in mense mutata fuit .

His

(405) Pro syntaxi convenientiae (quae requirit μηνὶ Ἰουνίῳ,aut μηνὸς Ἰουνίου) constructio regiminis, nempe μηνὶ Ἰουνίου intrusa fuit: quae tamen constructio exemplis minime caret.

His duobus argumentis de medio sublatis, jam manifestum esse ajo, sententiae Graecorum standum esse, ubi de Graecis caelitibus agitur; praesertim quum liturgicis eorum libris Acta Graeca primitiva, & Hieronymi Mrologia adstipulentur. Ex quo vides, quidquid apud Graecos Latinosque summae auctoritatis est, id totum in unam conspirare sententiam.

Nam quod in Actis Latinis quamlibet sinceris & antiquis dies XVII. passioni horum Martyrum tribuatur, id in Venafranorum & Atinensium gratiam posteriore tempore immutatum censeo. Nisi vero malumus hanc diei VIII. in XVII. mutationem ab ipso primo interprete profectam. Is enim forsitan quum ex integra historia (quae simul plurium Moesiae militum certamina exponebat) didicisset, post Julii martyrium sanctos Nicandrum & Marcianum in arenam descendisse, quumque in horum historia viginti diebus eos in carcere detentos legisset; veritus est, ne si VIII. Junii die percussi inducerentur, viginti dierum numerus non sibi constaret. Hinc subductis rationibus, in diem XVII. eorum consummationem cadere debere decrevit; eaque de causa numeros, quos in fonte reperit, sua in interpretatione mutavit. Vtcumque est: sive diei VIII. in XVII. mutatio Venafranos & Atinenses auctores habuit, a quibus postea dies passionis in Actis interpolatus fuerit, sive in primum Actorum interpretem ea interpolatio est conferenda: quicumque id primi fecerunt, certe eos non alia de causa id aggressos oportet, quam ut in historia intervallum illud dierum viginti post S. Julii necem sibi constare posset: nescii scil. eos dies ante Julii passionem decurrere omnino debuisse.

De marmoreis hisce Fastis restat evellendus ad ultimum scrupulus. Nam si Graecorum sententia de die passionis praestabilior esset, cur Neapolitani (qui Graeci magna ex parte ipsi, Graecos sequi duces in assignandis festorum diebus sollemne habent) cur inquam die XVII. de his athletis ac non potius die VIII. cum Graecis agunt? Verum haec objectio adeo non obest, ut potius prosit. Nam quod Neapolitani hos martyres die XVII. celebraverint, in eo non tantum Venafranis & Atinensibus, qui eorum corpora possidebant, verum etiam omnibus circa ecclesiis, maxime Campaniae, morem gesserunt. Ceterum quia eisdem Neapolitanis persuasum erat, diem XVII. non esse passionis diem (quem potius diem VIII. Junii ex Graecis suis esse didicerant) ob eam causam hodierno diei non P. h.e. *passionis* notam, sed NT. h. e. *Natalis* praetulerunt: quam notam diebus non suis praemittere marmora haec nostra in more habent. Hactenus de die passionis.

Ceterum horum martyrum cultus Neapoli maxime increbuit, ubi celebris erat SS. Nicandri & Marciani Ecclesia: de qua videatur Caracciolus, ubi de S. Patricia loquitur. Ea de causa in Kalendariis posterioribus hoc festum non omittitur, maxime in Kalendario, quod Tutinus ex Rituali Neapolitano exscripsit, ubi eorum celebritas hoc ipso die XVII. notatur.

C A P. IV.

Graecus ne an Latinus Actorum S. Nicandri textus sit primitivus.

Henschenius, a quo primum Acta Graeca e Vaticanis pluteis eruta habuimus, parum aeque de Graeco textu judicavit; dum & aevo posteriore facta credidit, & eadem pro paraphrasi expressa ex Latinis Actis Bodecensibus (iis scil. quae e regione Graecorum edidit) haberi jussit. Atqui quum Graeca a Latinis Bodecensibus diverso sexcentis locis decurrant sententiarum rerumque ordine; profecto una alterorum paraphrasis dici non possunt. Itaque ea comparatio instituenda potius erat inter Graeca, quae dat Henschenius, & Latina quae ex Caracciolo, Mabillonio, & Ruinarto habemus, quum in utrisque non modo res & sententiae eaedem sint, sed totidem plerumque verba.

ba. De his igitur quaeri jure poteſt, utra ſint primitiva, utra vero mera ſint alterorum interpretatio. Quod quidem judicium in his actis ex ſola locutionis tū Graecae tum Latinae indole vix eſt ut extundi queat, quum utraque permagnam prae ſe ferant antiquitatem, ac neutra interpretationem redoleant, ita ut utrorumq. textus ἀυτοφυὴς (*genuinus*) videri poſſit, nec ex alterius linguae ſcripto transfuſus.

Haec quum ita ſint; tamen Graeca priora eſſe, & ex iis Latina ab aliquo haudquaquam inepto interprete non tantum fide ſumma, verum & eximia, ut illis temporibus, proprietate fuiſſe traducta, non una de cauſa mihi decernendum videtur.

I. Nam primum quum hi martyres in Graeci oris provincia occubuerint; eorum Acta Graeco ſermone primitus conſcribi neceſſe fuit. Moeſiam autem inferiorem, quae hodiernorum athletarum ſtadium fuit, Graeco ſermone, ſicuti ſuperiorem Latino uſam, ex utriuſque regionis (406) numiſmatibus colligo.

II. Graecorum Actorum initium tale eſt, ut aperte videantur pars fuiſſe totius commentarii, qui geſta plurium martyrum militum Doroſtori aut in vicinia paſſorum contineret, ut ſupra Adnot. 392. oſtendimus. Sic enim Graeca incipiunt: ἦκον ἐπὶ τὰ (ſed unicam eſſe dictionem, male in duas divulſam, ac legendum ἔπειτα [*deinde*] jam ſupra in ead. Adnotione monuimus) κατὰ τῦ διαβόλυ &c. *Deinde* (i.e. poſt S. Julium) *venerunt adverſus diabolum ſancti martyres Nicander & Marcianus, & circumamicti lorica fidei ſeipſos integros armanti ſe Chriſto cuſtodierunt*. At Latino interpreti quia non id propoſitum fuit ut integrum commentarium verteret, ſed ea ſolum quae ad uſum Venafranae & Atinenſis Eccleſiae, quae horum corpora IV. aut V. ſaeculo adeptae fuerunt, opportuna videbantur; idcirco loco eorum verborum longe aliud atq. extrarium prorſus prooemium praepoſuerunt, quod incipit, *Glorioſa SS. mart. Nicandri & Marciani certamina, quae adverſus diabolum habuerunt, exponere properabo* &c. Quamquam & illud fieri potuit, ut interpres ille, a quo Latina habemus, totam omnium hiſtoriam verterit, at Venafrani & Atinenſes deinde eam inde particulam deciderint, quae privatim ad hos duoviros pertineret, cui particulae mox praeloquium de ſuo adjecerint; praeſertim quum haec praefatio nitori reliquae hiſtoriae cedat.

III. Ceterum illud negari non poteſt, quin textus Graecus multo ſimplicior Latino ſit, eoque proinde prior. Documento eſſe poſſunt illa, quae in Graeco in morem Actorum praeſidialium intercalantur, puta, *Maximus praeſes dixit*, *Nicander dixit*, *Marcianus dixit* &c. At haec eadem Latinus interpres, ne eadem repetendo faſtidium lectori crearet, mille modis variavit: exempli gratia, *Ad quam Maximus, Malum, inquit, caput &c. . . illa vero, ut vivat, inquit &c. . . Et Maximus, Non ita . . . Illa vero, Si inquit . . . Tum Maximus: De mulierib. quidem* &c. Quae quidem Latinus interpres, ſpreta rudi actorum verbalium ſimplicitate, ad dialogorum Ciceronianorum elegantiam conformavit.

IV. Accedit, quod Latino interpreti Ruinartiano, quamlibet erudito, in nonnullis aqua haeſit. Documento illud ſit, quod illud Marciani ad uxorem μή με κατάκλαιε (quod vertendum erat, *Ne me ad fletum provoces*, ut cap. ſeq. ex Platone oſtendam) reddidit, *Id plorans*: parum ad rem ſcilicet: quod ex ignoratione reconditae notionis verbi κατακλαίω accidit, quae

(406) Quantum equidem potui animadvertere, clarae in primis urbis Marcianopolis (cui ut Metropoli epiſcopus Doroſtori, ubi hi martyres paſſi fuere, ſuberat) adhaec Nicopolis, Iſtri, Tomorum, Callatiae, Serdicae, quae inferioris Moeſiae urbes ſunt, nummos non niſi Graecos reperio, nec ullos ejus regionis nummos Latinos vidi. Contra vero Naiſi, & Finci, quae in ſuperiore ſunt Moeſia, numiſmata Latinas inſcriptiones praeferunt.

quae interpretem Latinum fugiebat. Et alia nonnulla hujus generis notare haud aegre possim, si paullum modo adnitar.

V. Postremo Latina Ruinarti Acta pluribus in locis tum in narrationibus, tum praesertim in allocutionibus aliquanto sunt Graecis diffusiora: quod ad interpretem est referendum. Nam proclive hoc antiquis interpretibus fuit plura in translatione ponere, quam in fonte reperissent.

C A P. V.

Ad Acta SS. Nicandri & Marciani animadversionum παραλειπόμενα.

Quandoquidem jam plura in ea Acta sparsim uti se dedit occasio adnotata fuerunt; nunc tantum siqua restant, in unum fasciculum colligemus. Id vero potissimum laborabimus, ut Graecum textum cum Latinis Ruinartianis, & cum Bodecensibus Henschenii conferamus.

Et Latina quidem Ruinartus in tres tantum sectiones divisit, at Graeca Henschenius in sectiones septem. Ex eo fit, multo commodius fore, si in designandis sectionibus atq. versibus Henschenianam partitionem sequamur: quam tum etiam sectabimur, quum in Latina Ruinarti aliquid adnotabimus; quia quum Ruinartiana historia sit mera Henscheniani Graeci textus interpretatio, facillime ex designato Graecorum Actorum loco Latinum interpretamentum ei respondens reperietur.

§. I. *In priores quatuor sectiones. Textus Graecus atque Latinus pluribus locis corrigitur & illustratur.* Merita *pro stipendiis.* Dignitas *militum peculiaris vox.* Dariae *nomen recens in acta invectum.* Hortandi & Consolandi *verba inter se permutata.* Δωρεία *quid Suidae sit.*

Et Graecum quidem prooemium cap. superiore & Adnot. 392. satis illustravimus atque correximus; simulque adnotavimus, cur Latina praefatio Graeco textui minime respondeat. Quamquam in Latinis etiam exemplaribus idem praeloquium variat. In eo quidem certe exemplo, quod Ant. Caracciolus (in Mon. Eccl. Neap. p. 339.) ex Ms. Capuano parthenonis S. Joannis edidit, prooemium non parum diversum a Ruinartiano est. Quin & priores duas sectionis secundae Graeci textus periodos Latinus interpres ita vertit, ut sententiae magis, quam locutionibus sedulo inhaereret. Eaque etiam parte Caraccioli exemplum a Ruinartianis diversissimum abit. Quae non tanti sunt.

Sect. 2. v. 11. τοῖς βουλομένοις θύειν &c. Interpres: *Ad haec Nicander: Volentibus, inquit, sacrificare haec praeceptio* (nempe sacrificandi) *constituta est.* Tillemontius Nota 3. audacter correxerat, *Volentibus militare.* Verum critico huic venia danda est, quod Graeca non vidisset, in quibus, uti dixi, est θύειν, *quod est sacrificare.* Versu 14. Graece sic praeses interrogat, καὶ τὰ ἀργύρια τῆς τιμῆς ὑμῶν &c. h. e. *Pecuniam dignitatis vestrae cur non accipitis?* At interpres pro ἀργύρια reddidit *Merita*: certe quia *Meritum*, quatenus est a militari verbo *Mereo*, stipendium significat. *Merita* pro stipendiis equidem nondum alibi, quam apud Vegetium II.8. reperi: quem locum die crastino cap. 2. §. 1. afferam. *Meritum* ergo sive stipendium notat, sive quodvis aliud militare emolumentum, de quo potissimum heic agitur. Nam quia decennalia Galerii & Constantii agebantur, ea occasione donativum militibus tribuebatur, idque nunc *Meritorum* nomine venit. Hoc quod dixi, constat ex Actis S. Julii, in quibus idem Maximus praeses paribus Julium blanditiis prolectans ait, *Accipies decennaliorum pecuniam.* Ceterum in actis ab Adenulfo Archiep. Capuano interpolatis (apud Henschen. hoc die pag. 274. num. 4. & apud Vghellum) male *Dignitatis nostrae* pro Vestrae legitur, quum Graece sit ὑμῶν. Sed quod Adenulfus Latinorum verborum proprietates parum calleret, ei de menda suboluit, unde locum sic pessime invertit: *Merita dignitatis nostrae ut quid non accipitis? S. Nicander dixit, Merita dignitatis vestrae ideo non accipimus*

quia

quia &c. Putavit enim Adenulfus *Dignitatis* vocem ad praesidem non autem ad milites esse trahendam; quum contra passim in horum temporum scriptis τιμὴ & *Dignitas* militibus tribuatur. In his ipsis Actis initio hujus sect. v.2. dicuntur hi martyres τὴν ἐν τῷ βίῳ τιμὴν ... *mundi hujus dignitatem atque promotiones* derelequisse: ubi Acta Bodecensia *respuisse* eos *infulas* scite habent.

Sectio 2. ex Graeco totidem verbis sic incipit: *Vxor vero S. Nicandri roborabat martyrem*, tacito scil. proprio mulieris nomine, quod etiam a Bodecensibus Actis Latinis bene antiquis abest; sicuti & in omnibus Graecorum libris & in antiquis juxta ac recentioribus Latinis mrologiis nomen *Dariae* desideratur. At contra *Dariae* uxoris S. Nicandri in hoc historiae loco nominatim meminerunt tum Acta probata Caraccioli ac Ruinarti, tum Adenulfus in sua horum Martyrum historia, itemque Atinense chronicon. Ac videtur mihi sane hoc nomen aevo posteriore excogitatum, & inde in Actor. Ruinartianorum exemplaria recens descripta manasse. Argumento est, quod non tantum a Graecis actis id nomen abest, verum etiam a Latinis Bodecensibus, quippe longe a Campania transcriptis. Nec porro hujus nominis ignoratio quidquam hujus feminae sanctitati detrahit: cujus (quocumque nomine appellata fuerit) sanctitas ex ejus mirificis adhortationibus, quibus virum in his Actis ad fortiter faciendum stimulabat, colligitur: unde ejus apud Venafranos & Atinates cultus adhuc vigens improbari nequit.

Ibidem post ea verba ἐπερρώννυε τὸν μάρτυρα, *roborabat martyrem*, statim sequitur, παραινοῦσα καὶ λέγουσα, h. e. *adhortans & dicens*. At Ruinartianus interpres pro παραινοῦσα legit in suo Cod. παροῦσα, quippe vertens, *Praesens* . . . *animabat dicens*. Nec supervacanee heic monetur *praesens* fuisse, quia ex fine Actor. constat eam abfuisse proximo toto decennio, ac tum primum viro adfuisse. Contra Bodecensis interpres illud παραινοῦσα in suo exemplari reperit, utpote vertens, *Et consolabatur, ei dicens*. Nam quemadmodum παράκλησις nonnumquam pro παραινέσει ponitur (de quo notavi quaedam ad Rom. XV. 4.) sic Bodecensi interpreti *Consolabatur* tantumdem, quod *hortabatur*. Certe *Consolatio* pro adhortatione reperitur etiam in actis S. Sebastiani. Vide ad diem crastinum.

Ibid. v. 10. praeses uxorem Nicandri graviter increpat, quasi quae ἑτέρῳ ἀνδρὶ [quod Bodecensis totidem verbis, *Alii viro*] nuptura, Nicandrum ad mortem oppetendam impelleret. At Ruinartianus interpres in suo codice pro ἑτέρῳ legit κρατερωτέρῳ, ut qui sic reddidit, *Quia ROBVSTIORI VIRO* (nec secus in Adenulfo legitur) *desideras copulari, ideo hunc hac vita citius privari festinas*. Vbi pro Gr. ἐπιθυμεῖς (*cupis*) non male reddidit *festinas*; quia in Cyrilli Glossis *Festino* tantumdem est quod σπουδάζω, hoc autem & *optare & festinare* (unde σπουδῇ est *propere*) significat. Apud Ruinartum uxor Nicandri respondet: *Si suspicaris, inquit, me animo cogitare*... Sed casus verbi *Cogito* ex Caracciolo supplendus est: *Si suspicaris, ait, Hoc me animo cogitare*. In eod. interprete sic responsio continuatur, *Primam me propter Christum occidito*. In Graeco explicatius, πρώτην με ἀπόκτεινον τοῦ ἀνδρός (ubi πρῶτος pro πρότερος pro more Graecorum eleganter usurpatur) *priorem me viro occidito*.

Sect. 4. v. 1. ἤρξατο λέγειν. *Coepit dicere* pro *dixit*: *coepit* (δοξάζειν) *glorificare* pro *glorificabat*, [ut & alia plurima ejusdem modi] frequens est in his Actis locutio, eaque desumpta ex scripturarum stylo, cui insueverant Christiani. Neque enim haec acta praesidialia sunt, sed ex praesidialibus ab aliquo Christiano [qui quum interfuisset, aliquot circumstantias de suo addidit) desumpta. Ibid. v. 10. Ναί· χάρις τῷ Θεῷ: ubi in Ruinartianis recte, *Etiam, gratias Deo*. At in Caracciolo non recte istud *etiam* retrahitur: *Etiam dicebat: Gratias Deo*.

Ibid. v. 5. praeses dat Nicandro διωρίαν ad deliberandum. Suidae Διωρία est ἀνακωχή h. e. *induciae, dilatio*. Affert ibid. veteris scriptoris locum, in quo διωρίαν βουλῆς τοῖς στασιασταῖς παρασχεῖν est *Intervallum ad deliberandum seditiosis praebere*. Nec alibi, quod sciam, quam in his Actis eadem vox reperitur: quam recte Ruinartianus interpres *Intervallum* vertit. At cur Bodecensis translator *tridui inducias* scripserit [quod Capuanus Adenulfus sequitur] parum video. Eisdem his duobus scriptoribus viginti dies (quos in Graecis Actis initio sect. 5. & in Ruinartianis, in custodia martyres transegerunt) dies triginta evaserunt.

Ibidem dante praeside intervallum martyri ad deliberandum, utrum vivere an mori mallet, *nihil aliud se cupere prae salute* Nicander respondit. Id vero perinde a praeside acceptum, quasi de temporali vita & salute ea dixisset; καὶ ὅτι [quod statim sequitur v. 12.] ἐπιθύει h. e. & quod sacrificare animum induxisset, sive *quod sacrificaturus sit*; nam praesens eleganter pro paullo post futuro usurpatur. At hac lectione clarissima rejecta Henschenius [ut in notis subjectis admonet] substituit ἐπύθετο (*audivit*) nullo sensu; nec enim subjicitur quid audiverit. Nisi vero error est typographicus pro ἐπείθετο, *parebat*: quod quidem tolerari potest, at nō continuo meliori ἐπιθύει [quod & Mss. tuentur] praeferendum erat. Statim sequitur, καὶ διεκίνει μετὰ τοῦ συγκαθέδρου αὐτοῦ Λεύκωνος. Quod verti debet, *Et incitabat* (supple *martyrem ad sacrificandum*) *cum suo assessore Leucone*. At pessime in Ruinarto & Caracciolo, *Itaque gaudens cum Leucone consiliario suo incedebat*, quo modo in omnibus Mss. legitur. Nec enim διακινεῖν ullo modo est *incedere*, sed *stimulare*, *incitare*. Verum ne dubita, quin una addita litterula restituendum sit *Incendebat*. Accusandi autem casus [puta *Eum* aut simile aliud] sicuti in Graeco deest, certe subaudiendus, sic etiam interpres illum subaudiri jussit: quod tamen descriptoribus fraudi fuit, qui ea ellipsi nimium offensi, pro *Incendebat* inepte *Incedebat* substituerunt. Et tamen hanc mendam satis antiquitus obsedisse exemplaria, ex eo potest intelligi, quod sic etiam Adenulfus legit; qui ex illo verbo *Incedebat* hanc periocham insulsissimam cudit: *Dixit* (praeses) *ad Leuconem consiliarium suum: AMBVLEMVS* [sic enim illud *Incedebat* expressit] *ad templum, ut videamus Nicandrum sacrificantem*. Ad *assessorem* hunc Leuconem quod attinet, memini me ad Acta S. Philippi Heracleae episcopi [apud Ruinartum sect. 4.] adnotasse, unicum non plures adsedisse praesidi: quod & hinc confirmatur. At pessime in Bodecensibus actis, *Praeses una cum Leucone SVCCESSORE suo dixerunt Nicandro*. Facile autem scriptum primitus erat ... ESSORE, fugiente primore syllaba; unde amanuensis audaculus exscripsit integre SVCCESSORE.

Ibidem v. 21. προείρημαι, cor. προήρημαι. Versu 27. Marcianus eadem se dicere ait (τῷ συστρατιώτῃ) ac suus *commilito* Nicander; qui non inscite in Bodecensibus vocatur *Contubernalis*. Nam *contubernalis* militem notat σύσκηνον καὶ ὁμοδίαιτον [h. e. qui sub eodem tentorio eidem mensae accumbebat] ut in Glossis vet. adnotatur. Leve id est, quod ultima hujus sectionis vox δώσαντες mutanda est in δώσοντες, duce interprete atque ipsa sententia.

§. II. *In ceteras sectiones. De jurejurando per salutem imperatorum Christianis minime illicito. De precativa jurandi formula sive* Adjuratione. *Vulgato Scripturae interpreti lux. Graecus Actorum locus mutilus suppletur. Formula*, Innocens ego sum ab hujus sanguine, *quandonam ab judicibus usurpanda fuerit. Vis verbi* Κατακλαίω *in his actis & in Platone* edocetur. *Quid proprie* κατέχω. *Consolantium prensatio. Acta locis pluribus necessaria correctione aut luce donantur*.

Sect. V. v. 13. ὃν ὑμεῖς βλασφημεῖτε, *quem vos blasphematis*. At haec verba in Rui-

Ruinarto in ore Marciani paullo ante & quidem auctiora leguntur in hunc modum, *Quem ore nefario maledicere non dubitatis*. Vbi etiam non dubium est, quin illud *Ore nefario* [ut & plura passim alia in hac tota interpretatione] ab interpretis manu sit; nam martyres quibuscumque voculis ferme abstinebant, quibus judices ad iram provocarentur.

Ibidem v. 14. *ὁ δὲ ἅγιος* Νίκανδρος *Sanctus vero Nicander similiter & ipse dixit.* At sequens allocutio tam in Ruinartiana, quam etiam in Bodecensi interpretatione & in Adenulfo non nisi Marciano tribuitur. Sed malim Graecum fontem heic sequi, quia alioqui nulla amplius Nicandri vox in his Actis exaudiretur, quod parum est verisimile.

Allocutio autem quae statim sequitur in Ruinartiano interprete est hujusmodi: *Per salutem tibi* [rectius in Caracciolo *Te*] *inquit*, *petimus Imperatorum*, *ut nos citius mittas*. Vbi continetur precativa jurandi formula (sive *adjuratio*) *Per salutem imperatorum*, quam sibi non illicitam Christiani putabant, sicuti *Per Genium* aut *Fortunam Caesaris* sibi id nefas ducebant. Testatur utrumque Tertullianus Apologetici cap. 32. *Sed & juramus*, *sicut non Per Genios Caesarum*, *ita Per salutem eorum*, *quae est augustior omnibus Geniis*. Et detrectati quidem jurisjurandi per *τύχην* Caesaris h. e. *per* ejus *Genium* exemplum habemus in S. Polycarpo, ut in ejus Actis apud Eusebium refertur, ubi diserte Martyr addit, Christiano id non licere. At quod *Per salutem* licuerit, hic primum locus documento est: ubi Martyr *Per salutem Imperatorum* praesidem (407) adjurat. Ceterum jurisjurandi per *salutem principum* tamquam pactis apponi solitam meminere postea Christiani imperatores Arcadius & Honorius l. 41. Cod. *de transactionibus*. At in Graeco hujus loci [ubi hodie legitur, *τὴν σωτηρίαν σοι τῶν βασιλέων, ἐν τύχῃ* &c.) pro *σοι* reponendum est *σε*, & adjiciendum est verbum *ὁρκίζομεν*: cujus correctionis eadem Adnot. 377. extrema rationem attulimus.

Ibid. v.18. illud *σε ὁρκῶμεν*, vetus interpres reddidit, *Te . . adjuramus.* Quem totum locum proxime in Adnot. 407. illustravimus.

(407) *Adjuro est deprecativum jurandi verbum ~~apud~~ profanos sacrosque scriptores. Graecum* Νὴ *eadem notione usurpatum. Syntaxis verbi ὁρκίζω. Locus actorum corrigitur & suppletur.*

Adjurare inter cetera (saltem apud tertii & IV. saeculi scriptores) est obtestari sive obsecrare per hoc aut illud, quod sive augustum sive carum habetur. Vopiscus in Floriano cap. 1. *Cum sciret adjuratum esse in senatu Tacitum, ut* &c. Etiam Apuleio in II. Met. *Adjuratio* est obsecratio. Hoc ipso Actorum istorum loco apud Ruinartum martyr sic subjicit: *Nec enim suppliciorum formidine id te ut facias adjuramus, sed ut cito . . . potiamur*. Ubi pro *adjuramus* Graece est simplex *ὁρκῶμεν juramus*. Etiam Itali hoc significatu usurpant *Scongiurare*.

Adde quod eadem particula *νὴ*, quae usitatis jurandi formulis adhibebatur, ad adjurandum h. e. obsecrandum valebat, si Charisio credimus; qui illud Virg. IV. Aen. 314. *Per ego has lacrymas dextramque tuam te, Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos* sic interpretatur: *Vt sit, inquit, νὴ τὸν γάμον, νὴ τὸν ὑμεναῖον*. Et tamen nullum in Marone jurandi verbum, sed *Oro* ad ultimum sequitur. Ergo teste Charisio, Graecum *νὴ* non tantum jurantis, sed & orantis, sive adjurantis erat.

Quae de verbo *Adjuro* diximus, ea ex Vulgato Bibliorum interprete clariora fiunt: in quo sexcenties eodem significatu, quo diximus, id verbum usurpatur. Vide quae nos ad Marci V. 7. Adnotavimus. Imo si loca Marci V. 7. Act. XIX. 13. 1. Thess. V. 27. prout Graece habent, cum hoc nostrae historiae loco conferamus, inde Graeca hujus loci & corrigere & illustrare licebit. Nam in iis N. Testamenti locis *ὁρκίζω* (quod respondet Latino *Adjuro*) duplici accusativo gaudet, tum personae, tum rei per quam adjuramus. Adi si lubet laudata Scripturae loca. Hinc quod nunc in his actis legitur, *τὴν σωτηρίαν σοι τῶν βασιλέων, ἐν τύχῃ . . . ἀπόπεμψον*, pro *σοι* reponendum est *σε*, deinde addendum est *ὁρκίζομεν*, antiquo interprete duce, in quo mox sequitur *Adjuramus*.

Ibid. v. 22. ὥστε ἀθῶος &c. Totidem verbis: *Quare innocens sum & mundus a vestro sanguine*. Hinc & ex pari Pilati responso in Evangelio potest intelligi, hanc formulam piis & religiosis judicibus [qualis certe hic Maximus videri se passim vult] ad capitalem sententiam processuris tunc saltem familiarem fuisse, quum hinc reus haud morte dignus judicaretur, illinc praecepto principum, aut multitudinis tumultuantis furore (ut in Christi judicio) ad reum plectendum urgerentur.

Sect. VI. v. 6. Marcianum sequebatur ἡ γυνὴ αὐτοῦ περιεσχημένη, quod nihil est. Sed videtur primitus omnino scriptum περιεσχισμένη (*circum scissa*) quia in Ruinartiano interprete id vertitur per haec verba, *Uxor ejus veste conscissa*, sicuti in luctu ac dolore non minus apud Romanos Graecosque quam apud Judaeos fiebat. At Bodecensis translator pro ea voce Graeca, quam correximus, reposuit, *A longe*: quid secutus, haud plane scio. Statim sequitur in eodem Bodecensi, *Improperans ei*, optime ex Graeco ὀνειδίζουσα: quod tamen Ruinartianus omisit. In eodem Ruinartiano haec statim uxor in Marcianum effundit: *Haec sunt Marciane, quae tibi dicebam in carcere, id timens atque id plorans*. At rectius & accommodatius ad sensum persona immutatur in Bodecensi: *Haec sunt Marciane, quae mihi locutus es in carcere, & dixisti, Noli timere?* Quod & cum Graecis consentit, quae talia sunt, ταῦτα ἐστι ... ἃ ἔλεγές μοι ἐν τῇ φυλακῇ, μὴ φοβοῦ, μή με κατάκλαιε. Sed in fine corrigendum est, μή με κατάκλαε, *Ne me ad lacrymas* aut *misericordiam concites*. Id enim proprie κατακλαίω apud Platonem, uti Budaeus auctor est, significat his verbis: οὐδένα ὅντινα οὐ κατέκλαυσε τῶν παρόντων &c. *Nemini astantium non lacrymas elicuit praeter Socratem*. Ac frustra ea lectio suspecta est H. Stephano in Thes. qui mavult κατέκλασε: frustra inquam, quia satis ex hoc Actorum loco notio verbi κατακλαίω a Budaeo tradita firmatur.

Ibidem v. 19. Zoticus Christianus inducitur κατέχων Marcianum. Κατέχω interdum est loquentem reprimere, ne ultra progrediatur, qua notione utitur apud H. Steph. Isocrates in Panathen. Eaque significatio heic convenit. Nam Marcianum cum uxore diutius expostulantem, obtestantemque ne se ad martyrium properantem impediret, ac plura volentem addere Zoticus opportune repressit cohibuitque, placidissimis verbis compellans. Interim quid secuti sint veteres interpretes, parum video. Nam Ruinartianus pro κατέχων habet, *Manus ejus sustentans*, Bodecensis vero, *Tenens manum beatiss. Marciani*. Sed quantum video per κατέχω notari crediderunt consolantis gestum [nam hodienum ejus, quem consolamur, manum prehendere ac diu tenere solemus] unde & paullo post in Bodecensi interprete sic Marcianus Zoticum rogat: *Dimitte manum meam, & tenens manum uxoris meae consolare eam*: pro quo hoc tantum nunc Graece legitur, κράτησον τὴν γυναῖκά μου, quod rectius transtulit Ruinartianus, *Tene uxorem meam*.

Sect. VII. pag. 273. v. 14. Nicandrum inter cetera sic uxor hortatur, δεῖξον ἑαυτοῦ τὸν ἀγῶνα, quod totidem verbis Ruinartianus translator, *Ostende tuum certamen*. Melius fortassis, *Exhibe*, aut *ede certamen tuum*, aut potius *Specimen tui certaminis exhibe*, vir esto, Christo ἀγωνοθέτῃ (*certaminis praesidi*) proba certamen tuum. Memini me ad N.T. pluribus notasse, τὸ δείκνυμι, & ἐπιδείκνυμι agonistica esse verba, unde athletarum specimina dicebantur ἐπιδείξεις & ἐπιδείγματα. Et quia etiam rhetores & poetae in certamen committebantur, hinc interdum ἐπιδείκνυσθαι est *recitare*, & ἐπιδείξεις sunt sophistarum recitationes. Statim sequitur, δέκα ἔτη ... ἐποίησα &c. quod Ruinartianus verbis totidem, *Decem annos in patria sine te feci*. *Facio* & ποιέω cum intervallis temporis junctum eleganter usurpatur in lapidibus & in styli simplicioris scriptoribus pro *Transigo*.

Hinc

Hinc & ex sequentibus satis colligitur, Nicandrum militiae gratia profectum, ea de causa a conjuge sanctissima fuisse digressum; eidem vero, postquam decem annorum stipendia meruisset, Fidei causa in capitis discrimen adducto divina agente providentia supervenisse uxorem, quae illum intrepide ad fortiter decertandum incendit. Mox v. 20. eadem virago ait, ἀπόδος μαρτυρίαν τῷ Θεῷ h. e. *redde testimonium* DEO. At Ruinartianus heic quoque, ubi femininum est nomen, maluit, *Martyrium* pro *Testimonium* reddere. Nam etiam Nanzianzenus Orat.XX. pag.319. vocem μαρτυρία pro μαρτύριον usurpavit. *Lex*, inquit (μαρτυρίας) *martyrii haec est*, *ut nec ultro ad certamen accedamus* ... *nec ubi praesens est*, *detrectemus*. Clemens strom. IV. ex haereticorum doctrina dicit (μαρτυρίαν) *Martyrium* verum esse Dei veri cognitionem &c. Tandem v. 22. στρατιώτης (h.e.*miles*) ab Ruinartiano redditur *Percussor*, a Bodecensi *Quaestionarius*. Itaque fieri potest ut primitus scriptum fuerit ταξιώτης h. e. *apparitor* aut *officialis*. Quamquam ceteroqui quicumque praesidi apparebant, *militare* in officio suo dicebantur.

C A P. VI.

De S.Marco, vulgo Atinatium episcopo, re tamen vera SS. Nicandri & Marciani in passione socio.

Hunc Marcum discipulum principis Apostolorum Petri fuisse volunt, & primum Atinatium episcopum, qui post disseminatum ibi Evangelium sub Domitiano martyr occubuerit. Videndi de eo Baronius ad 28. Aprilis, Tillemontius tom.2. Memoriarum, Vghellus tom.VI. in episcopis Atinatibus, & Bollandistae ad 28. April. Ejus Acta ab Adenulfo Archiep.Capuano circa medietatem saec. XI. scripta exhibuit Vghellus. Eadem post Adenulfum etiam Petrus diaconus Casinensis composuit. Sed neutra sunt unius assis habenda.

Nos ubi prius excerpta ex quadam V. saeculi homilia produxerimus atque illustraverimus, mox additis vetustissimis mrologiis, nostrum de S. Marci hujus palaestra & aetate judicium proferemus, & quo sensu is SS. Nicandri & Marciani socius sit habendus.

§. I. *Homilia Bonifacii Atinatis de SS. Marco, Nicandro & Marciano illustratur.*

Mirantur eruditi viri, quid sit cur Vghellus Sanctos Nicandrum & Marcianum sub Domitiano passos affirmaverit; maxime quum in omnibus eorum actis *Imperatorum* (numero multitudinis) crebra sit mentio; quod loquendi genus ante M. Aurelium & L. Verum usurpari non poterat. Verum danda est Vghello venia, quod quum ex Chronico Atinensi & ex S. Marci actis, hunc & S. Petri discipulum & sub Domitiano passum, imbibisset, deinde in antiqua Bonifacii homilia eumdem Marcum Nicandri & Marciani socium fuisse legisset; proclive ei fuit Nicandro & Marciano eamdem aetatem tribuere, quam Marco vindicaverat. At si mens non laeva fuisset; praestabilius fuerat Actorum S.Marci & chronici Atinensis fidem suspectam habere, ac potius de homilia Bonifacii praeclarius aliquid judicare. Hanc interim non quidem totam[nam integram habes apud Vghellum] sed ea tantum, quae ad praesens argumentum faciunt, huc comportabimus.

Excerpta ex Homilia Bonifacii Atinatium episcopi (408) *de SS. Marco, Nicandro & Marciano.*

Sermo

(408) Mortuus creditur ab Vghello Bonifacius episcopus Atinatium anno 498. qui de eo addit: *Fuisse virum eloquentia clarum, & in Divinis Scripturis versatum scribunt*. Vtraque laus ex hoc perbrevi sermone ?i facile conciliatur. Styli gravitas antiquitatem parem V. exeunti saeculo redolet; maxime quum nihil de fabulis posteriorum temporum corrasum contineat. Idem stylus ab Augustiniano haud plurimum abludit.

Sermo D. Bonifacii Atinensis episcopi.

Celebremus fratres carissimi hoc die (409) festivitatem, quo beatiss. martyres Marcus & Nicander & Marcianus Spiritu nati sunt caelo, & carne recesserunt a terra: sed terrena hominum nativitas mortem donat (410) aeternam, spiritualis autem vitam confert perpetuam ..... Dignique habiti sunt pro ejus nomine Nicander & Marcianus capite truncari, & Marcus clavis (411) acutissimis in capite configi ..... Videte quid beatiss. martyres Nicander & Marcianus post exitum promeruerunt, qui in carne adhuc lutea positi, & inter tortores constituti ipsam praedicare non sunt veriti (412) Trinitatem. Sed libet nunc intueri, quis est qui nunc mittitur ad (413) evangelizandum. MARCUS namque interpretatur EXCELSUS (414) MANDATOR. Re enim vera cum sanctis martyribus Nicandro & Marciano (415) EXCELSA MANDAVIT CAMPANIAE, ut Jesum Christum Dei filium colerent, ejusque praecepta servarent. Sed ethnici a societate sanctorum alienati, clavos acutissimos in vertice beati coeperunt infigere Marci. Idololatrae impiissimi in vertice ejus acutos (416) figebant, & Marcus

(409) Ex hac prima periocha apparet Marcum cum Nicandro & Marciano Atinae V. exeunte saeculo tum eodem die tum uno communi festo celebratos fuisse, imo tunc existimatum esse eos uno die in caelum abiisse. Cui communi tunc famae Hieronymiana Mrologia velificantur, ut §. seq. ostendam.

(410) Ex primaeva scilicet labe contracta debitam.

(411) In S. Marci inventione, quae sub Leone episcopo (qui ejus acta descripsit) XI. saeculo contigisse dicitur, seorsum a corpore caput cum duobus clavis repertum fuit.

(412) In Actis tamen sinceris, quae de Nicandro & Marciano exstant, nullum Trinitatis praeconium in ore martyrum reperitur. Sed jam tum forsitan ampliora acta coeperant cudi cum longioribus Martyrum concionibus.

(413) Hoc evangelizandi verbum satis dat intelligere, aevo Bonifacii vulgo fuisse creditum, S. Marcum in id Atinam atque in viciniam fuisse missum, ut ibi Evangelium disseminaret. Nec tamen continuo pro episcopo est habitus. At hinc arrepta occasione eumdem posterior aetas non tantum episcopum, sed & Petri discipulum, & ab eodem Petro in Campaniam missum plenis buccis jactavit. Nam in talibus proclive est inventis addere; & jam in eam partem peccare paullatim obsequio in Deum verti coepit.

(414) Heic frigere incipit, ubi ex nominum Hebraicorum significatione pro illorum temporum ingenio sententias captat. Ac suspicabar equidem heic pro *mandator* reponendum esse *mundator*, & infra *mundavit malebam* quam *mandavit*. Quid ita? quia מרק *Marak* (unde *Marcus* derivari potuit) est *tergere*. Tamen nihil esse mutandum, ex vetustis Hebraicorum nominum interpretationibus, quae tum in Mss. tum antiquitus editis Bibliis leguntur, didici: in quibus MARCUS inter cetera redditur SUBLIMIS MANDATO. Et heic quoque forsitan pro *Mandator* legendum est auferendi casu *Mandato*. Haec tamen interpretatio ex quibusnam radicibus Judaicis pullulet, adhuc quaero.

(415) Quod in Adnot. 413. dixi S. Marcum a Bonifacio minime habitum fuisse episcopum, id ex hoc loco confirmatur, ubi non minus Nicander & Marcianus *excelsa mandasse Campaniae* dicuntur; nec tamen umquam pro episcopis agniti fuerunt hi duo martyres.

(416) Vocem *Acutus* pro *Clavus* usurparunt Vegetius in III. de re veter. 2. Innocentius agrimensor, Macrobius, Isidorus: passim vero posteriores scriptores. Etiam in actis quibusdam apud me sancti martyres Marcus & Marcellianus [de quibus crastino die] *acutos* (h. e. clavos) *in pedibus acceperunt*.

cus oculis in caelum erectis Dominum exorabat. MARCVS (417) CVM SOCIIS supplices rogabant Domini majestatem, & pestilentissimi idololatrae in eos exercebant impiam crudelitatem. Et ideo solo tenus prostrati hos deprecemur veritatis testes eximios, ut pro nobis intercedant ad Dominum viventem atque regnantem cum Patre & Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Ex hoc sermone,& ex iis quae ad eum adnotavimus, profecto vides, quid V. desinente saeculo Atinates de his triumviris senserint. I. Eos uno die unoque communi festo colebant. II. eosdem tres pro sociis martyribus habuerunt, qui post factum in Campania Fidei praeconium, ibidem martyres occubuerint, Marcus scil. clavis in caput impactis, Nicander & Marcianus truncati capitibus. III. Nihildum de Marci episcopatu eodem exeunte saeculo auditum fuit, nec quod S. Petri discipulus exstiterit [quae certe decora minime praeteriisset Bonifacius,si ea tunc fama viguisset] nec postremo quod Marcus, Nicander, & Marcianus sub Domitiano sanguinem fuderint.

Jam vero quum eodem Bonifacio teste, citra ambages S.Marcus Nicandrum & Marcianum Socios martyrii habuerit; fatendum erit eodem in loco ac tempore tres hosce passos. In Campania quidem eosdem tres depugnasse Bonifacius putavit; jam enim ea sensim falsa opinio animis insederat, ibi eos fuisse passos, ubi post centum amplius annos eorum reliquiae colebantur. At equidem ἀντιστρέφοντι (*reciproco*) argumento usus, ex eo quod certo ostenderim SS. Nicandrum & Marcianum in Moesia inferiore decertasse, consequens esse contendo, etiam S.Marcum hodiernorum martyrum commilitonem ibidem martyrio coronatum, & quidem eodem die VIII. Junii, eodemque anno 302. sub Galerio Maximiano in milites Christianos saeviente. Ex quo fit, etiam hunc Marcum fuisse professione militem. Verum age haec eadem ex Hieronymianis Mrologiis, quibus nihil est antiquius ac venerabilius, extra dubitationis aleam statuamus.

§. II. *Ex Hieronymianis Mrologiis Marcum eodem die ac loco passum, quo Nicander & Marcianus demonstratur. Deinde id ex eo etiam, quod uti Nicandri & Marciani, sic etiam Marci judex unus idemque Maximus fuerit, suadetur.*

Ad prius quod attinet,in omnium vetustissimo Antuerpiensi sive Epternacensi Hieronymiani mrologii apographo die VIII. Junii(quo SS. Nicandrum & Marcianum principio proponi colendos cap. 4. probavimus) subjungitur: *Dorostoro civitate* [in qua scil. eosdem Nicandrum & Marcianum martyrium fecisse cap. 3. §. 4. ostensum fuit) *Natalis S. Marci*. Eadem in Lucensi & Corbejensi exemplaribus continentur. Mrologium reginae Sueciae (apud Boll. tom. VII. Jun.) eodem die: *In Dorostoro natalis sancti Marci*. Eadem & Notkerus eodem die habet. Hic autem Marcus quum eodem die ac loco, quo Nicandrum & Marcianum passos praediximus, ponatur; haud dubie ille habendus est, quem Bonifacii homilia diserte SOCIVM SS. Nicandri & Marciani facit. Nihil in his mrologiis de ejus episcopatu dicitur: imo locus unus idemq.passionis, nempe Dorostorum, ut etiam *Maximi* praesidis nomen [de quo mox] satis admonent, Marcum hunc unũ ex illis fuisse militibus, quos ibidem Galerii persecutio ex hac in caelestem militiam transtulit.

Sed & Marci hujus judex [ut ad alterum eorum transeam, quae modo proposui] idem prorsus *Maximus* fuit, qui Nican-

(417). Hoc maxime loco citra ambages Marcus, Nicander & Marcianus in unam passionis societatem copulantur.

candrum & Marcianum capite damnavit: id quod diſerte ex Adenulfo Capuano intelliges, ſi utramque hiſtoriam (tum nempe S. Marci, tum etiam SS. Nicandri & Marciani) ab eo ſcriptam, & ab Vghello in Atinenſibus editam, conferas. Dixeris fortaſſe, Adenulfum hunc ſaeculi XI. ſcriptorem non idoneum videri ad fidem ejus rei faciendam. Verum ſicuti Adenulfus in Nicandri & Marciani hiſtoriam acta antiquiora ſincera, quae adhuc habemus, [etſi additis de ſuo pluribus circumſtantiis] transfudit; idem & in Marco feciſſe, non eſt dubium. Certe tranſitionem illam quam Nicandri & Marciani paſſioni praemiſit Adenulfus (ſic ordiens : *HINC IAM*, h. e. poſt Marcum, *ad Nicandri & Marciani* &c. *arma properemus*) ex ſcriptore illo Graeco eſt imitatus cujus adhuc Acta S. Nicandri & Marciani aetatem ferunt, qui in Graeco ſic incipit: *Venerunt* (ἔπειτα) *deinde*, i. e. forſitan poſt S. Marcum, *contra diabolum . . . Nicander & Marcianus & induti lorica juſtitiae, armanti ſe Chriſto integros praebuerunt*. Sed eo redeo. Quum Adenulfus Nicandro & Marciano Maximum judicem aſſignat, non fallit, quia ex veteribus actis id didicit. Ergo ne in Marco quidem [cui eumdem dat judicem] fallit, quia id in veterib. Marci Actis eum reperiſſe oportet; & quia non eſt dubium, quin hic Nicandri & Marciani ſocius a Bonifacio dicatur.

Ceterum quum Marcum ſocium Nicandri & Marciani audis, cave id ſic accipias, quaſi eadem hora, eademque exſecutione, atque illi, ſublatus e vivis fuerit; aut demum eadem ſententia capitali damnatus. Nam nihil tale ex ſinceris Nicandri & Marciani actis elucet. Satis ergo eſt, ſi fingamus, Marcum ſimul cum illis prehenſum, aut in eamdem cuſtodiam truſum, ac facile etiam eodem die VIII. Junii ſed ſeorſum ab illis punitum, puta Marcum mane, Nicandrum & Marcianum ante occaſum ſolis. Vtcumque eſt, certe eos pro ſociis antiquitas habuit.

Poſtquam vero poſt medium IV. ſaeculi Gothis in Moeſiam incurſantibus, Marci, Nicandri & Marciani corpora partim Atinam partim Venafrum abducta fuerunt; ſtatim ac tumultuariae illius translationis memoria exoluit; ab imperita multitudine treſviri illi pro loci martyribus ſunt habiti. Exeunte certe V. ſaeculo aut VI. ineunte eos in Campania paſſos Bonifacius credidit. Deinde quo plus aetate proceſſum fuit, hoc plus popularibus rumoribus fuit additum. Quas demum narrationes Adenulfus, forſitan de ſuo etiam ditatas, in unam contexuit hiſtoriam, quam tota deinceps poſteritas eſt admirata.

XVIII NT S MARCI ET MARCELLĪA

VIdentur Neapolitani hoc perſuaſum habuiſſe, *Marci & Marcelliani* diem Paſſionis non in hodiernum diem, ſed in alium quemvis incidiſſe, quandoquidem heic non *Paſſionis*, ſed *Natalis* nota uſi fuerunt. Aut ſaltem quia de vero paſſionis die incerti erant, idcirco *Natalis* notam [quae generalis eſt, & quodlibet feſtum ſive die ſuo ſive non ſuo celebratum deſignat] adhibuerunt. Poſtremo memini alicubi in his faſtis praeſcribi ſic : N.P. h.e. *Natale paſſionis* h. e. *feſtum paſſionis* : ex quo liquido conſtat, τὸ NAT. in hiſce marmoribus aliud non eſſe quam γενικῶς *Feſtum*, ſive ſuo ſive non ſuo die agitatum. Ceterum mihi perquam probabile ſit, antiquos de die Paſſionis horum geminorum fratrum nihil penitus explorati habuiſſe, quandoquidem in S. Sebaſtiani actis, in quibus eorum hiſtoria ſcribitur, de die certaminis nihil prorſus innuitur. Adde quod fratrum hodiernorum feſtum videntur mihi Graeci die 3. Julii celebraſſe, quemadmodum cap. 2. & 3. conjiciam. Etſi iidem Graeci die XVIII. Decembris in Menaeis, Sebaſtiani, ac ſimul ejus commilitonum feſtivitatem agunt : inter quos ultimo loco *Marcellinum*

num [ſic enim *Marcellianum* hodiernum tranſnominant] & *Marcum* recenſent.

Videndi de his athletis Baronius, Tillemontius, Henſchenius hoc die, Bailletus, Dominicus Georgius ad Adonem a ſe nuper illuſtratum, ceterique hagiologi ſcriptores; quorum ſcrinia compilare putidum fuerit. Nos praetermiſſa tantum exſequimur.

Eorum, uti dixi, res geſtae in S. Sebaſtiani venerandae antiquitatis actis, apud Bollandum ad XX. Januarii deſcribuntur; de quorum antiquitate ac pretio cap. ſeq. dicam. Seorſum vero geminorum fratrum horum hiſtoriae compendium, eiſdem fere verbis contractum, ex Ms. Vltrajectino Henſchenius eruit, & huic diei pag. 569. inſeruit. Multo breviora ſunt, ſed indidem derivata, quae in Capuano Breviario, quod penes me eſt, tres in lectiones diſpertita hoc die leguntur: quae huc afferri non poenitebit.

C A P. I.

Horum Martyrum acta ex Breviario Capuano.

Lectio I. *Temporibus Diocletiani &* (418) *Maximiani imperatorum cum ſaeva per totum* (419) *orbem in Chriſtianos perſecutionis eſſet exorta tempeſtas, beatiſſimus & Chriſtianiſſimus vir Sebaſtianus clariſſimis* (420) *viris Marcelliano & Marco duobus* (421) *geminis fratribus pro Chriſti nomine in vinculis conſtitutis quotidie ſolatium exhibebat, & tam ipſis, quam etiam ſervis eorum, cum quibus tenti fuerant, ſalutaria fidei conſilia miniſtrabat: quibus fugitiva ſaeculi blandimenta reſpuerent, et momentanea tormentorum genera non timerent.*

Lectio II. *Qui cum beatiſſimis* (422) *conſolationibus acquieſcerent, & verbera* (423) *carnificum animo perſeveranti* (424) *tranſi-*

(418) At in actis S. Sebaſtiani num. 64. Carinus, Diocletianus & Maximianus uno eodemque tempore regnantes admittuntur. Hoc quia abſurdum videbatur, Breviarium Capuanum Carinum ex triumviratu exemit. At praeſtabat Maximianum ex eo ternione detrahere. Sed re melius perpenſa, his verbis non initia [ut in Actis Sebaſtiani] ſed furor perſecutionis [de quo Acta num. 65.] deſcribuntur. Quocirca heic Diocletiani & Maximiani nomina retinenda ſunt, quia de jam adulta inſectatione agitur.

(419) Romae tantum & in aliquot Italiae partibus perſecutio ſaeviebat; fortaſſis etiam & alibi, ſed non *per totum orbem*.

(420) Iſtud *Clariſſimis viris* non eſt arbitrarium epitheton, ſed titulus dignitatis; qui conſuevit *Clariſſimatus* vocari. Vide Acta S. Sebaſt. n. 3.

(421) Gemellos fuiſſe etiam initio actor. S. Sebaſtiani num. 3. legitur: *Clariſſimis igitur viris Marcelliano & Marco duobus geminis fratribus*. Sed & horum geminorum amici num. 5. ajunt, eorum matrem *uno dolore duos filios peperiſſe*. Et tamen hos eoſdem Menaea ad XVIII. Decemb. non ſemel αὐταδέλφυς vocant, h. e. *germanos fratres*, ut ea vox in H. Steph. Theſ. & Cangii Graeco Gloſſario redditur. At quid in eo eximii, ſi tantum germani erant? Crediderim potius hoc Menaeorum loco αὐταδέλφυς tantumdem eſſe quod διδύμυς h. e. *gemellos*. Ac forſitan alibi quoque ei vocabulo hanc notionem ſubeſſe, putem.

(422) *Conſolatio* pro admonitione ponitur, ſicuti Graece παράκλησις pro παραίνεσις. De quo dixi ad Rom. XV. 4. Porro rectius hoc totum heic legitur [quo modo etiam in fonte ipſo actor. S. Sebaſtiani] quam in compendio actorum hoc die apud Bollandiſtas his verbis: *Qui quum non acquieſcerent*. Videtur enim inducendum illud *Non*. Niſi vero vult, martyres non acquieviſſe gentilibus ad ſacrificandum hortantibus. Sed omnino melius in noſtro Breviario legitur.

(423) Videndum an non huc referri queat *Vinculorum verberatio*, cujus meminit J. C. Calliſtratus l. 7. D. *de poenis*. Fortaſſis enim in ipſa cuſtodia verberabantur.

(424) Eiſdem prorſus verbis in integris S. Sebaſtiani actis. At in compendio actorum apud Henſchenium hoc die: *Et verbera carnificum patienter tranſirent*. Ac retruſius certe aliquid in verbo *Tranſeo* heic latet, quod conjicere magis quam certo affirmare poſſumus.

Scio autem in hodierna militia genus quoddam eſſe fuſtuarii, quo quis noxius per medios milites hinc atque inde diſpoſitos, ac virgas dextra tenentes tranſvehitur. Qui quum curſim traducitur, hinc atque inde plagas a circumſtantibus accipit, a ſingulis ſingulas. Id hodie vocant, *Paſſare la bacchetta*. An olim tan-

transirent: capitalem jussi sunt subire sententiam; ea scil. ratione, ut si eodem momento quo decollandi erant, sacrificiis consensissent, & parentibus suis & conjugibus filiisque & facultatibus redderentur. Unde factum est, ut ab Agrestio (425) *urbis Romae praefecto triginta dierum inducias* (426) *impetrarent: in quorum spatio ageretur cum eis, quatenus ad* (427) *turificandum idolis consentirent.*

Lectio III. (*) *Post haec a Fabiano* (428) *duce tenti & ad stipitem ligati acutos* (429) *in pedibus acceperunt: ut tamdiu fixis starent plantis, quamdiu diis debitum exhiberent officium. Tunc ambo fratres in uno ligno confixi psallebant dicentes: Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Quibus cum diceret insanus judex: Infelices & miseri deponite amentiam vestram, & liberate vosmetipsos a cruciatibus imminentibus: responderunt: Numquam tam bene epulati sumus: modo coepimus esse in amore Christi. Cumque dies cum nocte transisset, & illi in psalmis & hymnis perseverarent; lanceis* (430) *per latera transfixi, ad regna siderea* (431) *migraverunt.*

Ora-

tantumdem usurpatum fuerit, ita ut heic *transire verbera* haud aliud sit, quam quod dixi, plane praestare non possum. Sicuti nec illud affirmare ausim, referri huc posse militare illud poenae genus quod Polybius VI. 35. describit, quod ξυλοκοπίαν [*fustuarium*] vocat. *Fustuarium*, inquit, *poena est hujusmodi. Tribunus fustem capit, eoque condemnatum quasi attingit solum. Quo facto omnes legionarii qua fustibus qua saxis inibi intra castra ut plurimum sontem necant.* Diversissimum quidem Polybianum istud poenae genus fuit a transvectione per virgas, de qua modo loquebar. Sed tamen a Polybiano fustuario duci exemplum potuit ad id, quando sontes per carnificum verbera traducebantur.

(425) Non hunc *Agrestium Chromatium* tantum, sed & *Fabianum* [qui in actis S. Sebastiani praefecti urbani dicuntur] Bucherianus laterculus praefectorum omittit. Sed ab eo indiculo alios quoque abesse, viri docti notarunt: Vide Tillem. not. 4. in S. Sebastianum tom. IV. Memoriar. Sed nos aliam viam cap. 3. ingrediemur, ne Chromatius & Fabianus ab illo absint Catalogo.

(426) Istud *Impetrarent* non ad ipsos martyres esse referendum, sed ad eorum parentes Tranquillinum & Marciam, ex Actis S. Sebastiani, & hor. martyr. Henscheniano compendio satis constat. In compendio *Maria* pro *Marcia* mendose legitur.

(427) Ad id saltem, quod levissimum habebatur, martyres impellebantur. Vide hesterno die in actis SS. Nicandri & Marciani illud, *Ture tantum deos, Nicander, honorato.*

(*) Duae priores lectiones ex S. Sebastiani actis contractam historiam continent. At tertia Lectio totidem ferme verbis ex illis describitur.

(428) Etiam ab Adone in horum Martyrum elogio *Dux* appellatur; at in Henscheniano actorum compendio *Praeses* bis nuncupatur: utrumque improprie, quum in Actis S. Sebastiani disertim *Praefectus* pluries vocetur num. 77. & alibi.

(429) *Acutos* i. e. clavos. De quo vide dicta ad hesternum diem in adnotatis ad lectiones Breviarii Capuani. Hinc porro factum quod apud optimos Italos scriptores *Aguto* tantumdem sit quod Latinis *Clavus*.

De hoc cruciatu in Menaeorum strophis [ad XVIII. Decemb. quo die Sebastianus cum comitatu colitur] legitur: Ῥητορεύει Μαρκελλῖνος καὶ Μάρκος &c. *Rhetoricatur* [quod verbum eo respicit, quod mox heic sequitur: *Psallebant dicentes* . . .] *Marcellinus* (pro *Marcellianus*) *& Marcus*. Post pauca: ἄμφω δὲ κέντροις τοὺς πόδας καθηλοῦνται. *Amborum pedes clavorum aculeis configuntur.*

(430) In Menaeis stropha sequenti: *Marcellinus & Marcus* [λόγχῃ σφαγιάζονται] *lancea immolantur.*

Et hi quidem gemelli ex vi sententiae, quam in eos Agrestius Chromatius tulerat, capite amputandi erant. At sive successor Fabianus mutavit sententiam, sive quid aliud fuit (de quo videatur infra Adnotatio 440.) non temere hoc certe est, quod lanceis transfixi dicantur.

(431) Hactenus ex Actis S. Sebastiani. In quibus tamen haec insuper de sepultura adduntur num. 84. *Item sepulti sunt & ipsi in via Appia, miliario secundo ab urbe, in loco qui vocatur Ad arenas, quia cryptae Arenarum illic erant* [istud *Erant* satis arguit S. Sebastiani historiam non ab aequali scriptore compositam] *ex quibus urbis moenia struebantur.* Olim scil. ab Aureliano [ut equidem interpretor; quia ultimus omnium Urbis pomoerium protulit] ex arena illa *moenia struebantur*. Nam de Diocletiano et Maximiano nihil ejusmodi scriptum reperio.

Oratio. (432) *Sanctorum tuorum nos Domine Marci & Marcelliani natalicia tueantur; quia tanto fidutialius tuo nomini supplicamus, quanto frequentius Martyrum benedictionibus confovemur. Per Dom.*

C A P. II.

De Marci & Marcelliani historia ex Actis S. Sebastiani petita.

§. I. *De longioribus S. Sebastiani actis judicium. Syllogen plurium martyriorum ad S. Sebastiani res gestas attinentium ea continent. Auctor sive Ambrosius adhuc juvenis, sive verius longe alius fuisse docetur, antiquus tamen, nec IV. saeculo posterior. Ejusdem opusculi naevi, & ingens pretium. Quid* Primae cohortis princeps. *Locus actorum Pelagiano dogmati in speciem favens explicatur. Mortem poenam esse peccati gentiles ex Christianis didicerant.*

Quod ad XX. Januarii nullum de celeberrimis S. Sebastiani actis judicium tulerim, ex eo accidit, quod initio hujus commentarii nudas tantum Sanctorum notitias, eaque dumtaxat quae peculiariter ad hasce marmoreas ephemerides illustrandas pertinerent, persequebar, de universa interim Sanctorum historia securus. Ac ne nunc quidem, quum coepi jam longius in Acta ipsa digredi, ac post aliorum messem spicilegium facere, ea mihi mens est, ut fusissima S. Sebastiani acta retexam. Tamen quia bona historiae ejus pars in SS. Marco & Marcelliano versatur; breve saltem judicium de tam egregio monumento heic desiderari minime patiar.

Ea igitur tota historia ex pluribus singulorum martyrum passionibus [nam singulorum singulas primitus scriptas olim exstitisse, vix est quod dubitem] contexta videtur; ita ut totam ferme illam persecutionem describat, qualis sub Carini fine & initio Diocletiani Romanam Ecclesiam infestavit. Itaque syllogen actorum rectius dixeris: nisi quod hoc inter haec acta, & Eusebii (verbi causa) de martyribus Palaestinae libellum interest, quod Eusebiani martyres alio nullo communi vinculo, quam unius ejusdemque persecutionis tenebantur; quum contra quae martyria in hisce actis describuntur, ea omnia ad S. Sebastianum [*Ecclesiae* Romanae *defensorem* haud immerito heic vocatum] ejusque res gestas referuntur; ut qui Christi milites auctoritate, consilio, opibus, & quibuscumque rebus posset, regeret foveretque.

Hanc vero eamdem historiam non ab aequali scriptore elucubratam, ex pluribus passim locis intelligitur, ac potissimum ex ejus fine, ubi de Ecclesiae pace mentio apertissima fit.

Jam vero de hujusmet aurei libelli auctore si quaeras; abhinc nongentos annos (433) ea acta S. Ambrosio Mediolanensi tribuebantur. Neque id prorsus inepte. Nam eorum stylus, etsi haud plane Ambrosianus est, ab eo tamen non longo intervallo diffidet. Ac sane si ea Acta ab Ambrosii manu sunt; inter ejus juvenilia referri poterunt. Vbique in his actis juvenem animadvertas, praecipue in allocutionibus plus nimio luxuriantibus, & ex earum tenui argumento, quod forsitan hic auctor in antiquioribus actis reperit, studio rhetorico amplificatis: quam juvenilem haud dubie redundantiam depasci aetatis maturioris judicium solet. Et tamen in tanta copia satis adhuc stylus nervosus est; non usque eo tamen, qualis Ambrosium provectiorem deceat.

Verum quid ultra dissimulo? Libelli hujus dictio vix est, ut ab Ambrosio, ne juniore quidem, proficisci potuerit. Nam ut minutiora taceam, quae sunt innumerabilia; Ambrosius per omnia Laconismum affectat, eoque dum mire capitur, interim passim arduus ac salebrosus est, atque attentum lectorem quaerit, cui praeterea saepenumero crucem figit.

Q q q q 2 Hunc

(432) Est eadem verbis totidem in omnium vetustissimo Gelasiano sacramentario.

(433) Ab auctore anonymo IX. saeculi apud Bollandum [ad 20. Januar. in Comment. praevio n. 6.] ea historia S. Ambrosio bis adscribitur.

Hunc Ambrosii jam viri characterem ne ab juniore quidem abfuisse, necesse est; quippe is non tam artificio quaesitus, quam ab ingenio profectus cernitur. At contra hujus historiae scriptor ubique diffusus ac facillimus fluit. Ejus proinde auctor incertus est, bene vetus tamen atque omnino quarti saeculi: labentis, an ad finem vergentis, haud facile dixerim. Haec de auctore & aetate.

De ejus vero pretio ipsum per se opusculum, vel me tacente, clamat. Plura ex hac una historia scitu dignissima discimus, quam ex pluribus simul aliis. Nec me latet, pauca quaedam in eadem reperiri historica ἁμαρτήματα (*peccata*) ut quod Carinus cum Diocletiano & (*) Maximiano componatur; & quod multa passim Diocletiani Romae degentis mentio fit, quem alibi prorsus res tunc strenue gessisse constat. Verum quid scriptori huic faceres; qui quanto vicinior rebus gestis erat, tanto plus historiarum Diocletianea initia complectentium inopia laborabat. Itaque eam Historiae Augustae partem auditu magis [qui fallacissimus est] quam studio didicerat.

Ab his vero pauculis in Augustam historiam offensionibus ubi discesseris; quae ad martyres ipsos pertinent, quorum res gestas ex scriptis commentariis hauserat, pulchre habent. Cujusmodi illud est, quod actorum initio Sebastianus *Princeps primae cohortis* ab Imperatore factus dicitur. Quae dignitas ad eam militiam pertinebat, quae adhuc sub Carino & Diocletiano perdurabat: quam militiam Vegetius IV. saeculi desinentis scriptor *Veterem consuetudinem* vocat. *Veterem* autem *consuetudinem* nō eam intelligit, quae stante Rep. obtinebat, sed quae sub Caesaribus ad Constantinum usque; qui demum in rebus omnibus politicis & militaribus haud pauca immutavit. Sed quia nemo alius praeter Fl. Vegetium *principis primae cohortis* meminit, simulque ejus gradus vim ac notionem explicuit; profecto proderit ex ejus lib. II. octavo capite quae huc pertinent, adscribere. Sic incipit. *Vetus autem consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primipili; qui non solum aquilae praeerat, verum etiam quatuor centurias, hoc est quadringentos milites in prima acie gubernabat. Hic tamquam caput, totius legionis merita* (434) *consequebatur & commoda. Item primus hastatus duas centurias idest ducentos homines ducebat in acie secunda, quem nunc Ducenarium* (435) *vocant. PRINCEPS autem PRIMAE COHORTIS centuriam semis hoc est centum quinquaginta homines gubernabat. Ad quem prope omnia, quae in legione ordinanda sunt, pertinent. Item secundus hastatus centuriam semis id est centum quinquaginta homines regebat. Triarius prior centum homines gubernabat. Sic decem centuriae cohortis primae a quinque ordinariis* [h. ordinum ductoribus] *regebantur: quibus magnae utilitates, & magnus honor est a veteribus constitutus: ut ceteri milites ex tota legione . . . contenderent ad tanta praemia pervenire.*

Haec tam multa eo huc deprompsi, primū ut ex ejus verbis intelligas, IV. exeunte saeculo, quo Fl. Vegetius scribebat, nomen *Principis primae cohortis* jam fuisse abolitum. Et tamen auctor passionis S. Sebastiani, qui eodem tempore eam scripsit, id nomen usurpavit, haud alia certe de causa, quam quia nomen ejus dignitatis in primitivis Sebastiani actis sub Diocletiano

tiano

(*) De Diocletiano nulli dubium est, eum aliquamdiu cum Carino regnasse. At quod his duobus etiam Maximianus alicubi adjungitur, id forsitan ab indoctis postea factum fuit, quibus absurdum videbatur sicubi Diocletianus sine collega Maximiano legeretur.

(434) *Merita* h. e. stipendia: de quo ad acta SS. Nicandri & Marciani die hesterno cap. V. ad sect. 2. diximus. *Totius*, inquit, *legionis merita*, sive stipendia, *consequebatur*, h. e. eorum omnium graduum, qui in legione infra centurionem primipili erant, stipendia simul unus lucrabatur.

(435) *Ducis Ducenarii* crebra est in lapidibus mentio.

tiano scriptis usurpatum reperisset. Deinde minus recte Tillemontius Not. 3. & alibi id officium reddidit *Premier capitaine des Pretoriens*; nec enim is militaris gradus ad praetorianam, sed potius ad legionariam militiam pertinebat, quantum ex Vegetio licet perspicere.

Nolo heic nunc ad ea diluenda incumbere, quae contra haec S.Sebastiani acta opponi solent. Cujusmodi illud est de praefectis urbanis duobus, Agrestio Chromatio, & Fabiano ibi memoratis; de quibus tamen altum est in indiculo praefectorum Bucheriano silentium. Verum hanc calumniam cap.4. dispellemus.

Adhaec & illud objici solet, quod num. 27. ubi S. Marcus minus commode sic loquens inducitur: *Qua ratione mori timeant, qui sciant hanc hominis esse NATVRAM NON POENAM?* Id tamen dictum ex eo Tillemontius excusat, quia ante Pelagianum errorem auctor haec scripsit. Verum quo pacto id excusari possit, quum non tantum ex Scripturis id Christiani nossent, mortem poenam esse peccati, sed ne gentiles quidem (436) Christianorum temporum hoc ignoraverint? Itaque id sibi forsitan auctor actorum vult, postquam semel ex unius peccato *in omnes homines*, uti loquitur Apostolus, *mors pertransiit*; mori non tam poenale, quam naturale haberi, quia ad omnes peraeque pertinet: quocirca quum ab ortu ipso debitum mortis tamquam naturale [quia hac lege nascimur] contraxerimus, Christianis minime omnium esse timendum, quos beata vita post obitum manet. Aut verius sic ea verba saniorem in partem accipe: *Qua* (inquit) *ratione mori timeant*[Christiani: nec enim gentilibus metum adimit, sed tantum Christianis] *qui sciant, hanc hominis* [supple *reparati*: de quo tantum heic loquitur] *esse* (veluti) *naturam non poenam*?

§. II. *Ad sectionem* 34. *aliasque sequentes animadversiones*.

INCREMENTA *pro filiis*. *Quo ordine nomina ad baptismum data*. Competentes *unde dicti*. *Rectum Jovis aevo sequiore usurpatum*. Grammaticorum *nominis quae vis olim fuerit*. *De* Compulsoribus. Nymphae *pro nymphaeis*. *Papa* EPISCOPORVM EPISCOPVS. *De patronis regionum urbis*. *De Naumachia prope Vaticanum*. *Cur aquae* LOCVS MVNDVS *vocentur*. SCHOLASTICISSIMVS *tantumdem quod eloquentissimus*. Pavo *quid*.

Quandoquidem huc usque quaedam hinc & inde sive diluenda sive illustranda decerpsimus; jam cetera ordine videamus. Ac primum illud parum Tillemontius Not.2. concoquit, quod in actis *Incrementa* ponuntur pro filiis. Nam num. 34. Claudius commentariensis ad Sanctos simul congregatos ait: *Detuli vobis duo incrementa mea*, filios intelligens. Quod tamen sermone ἰδιωτικῷ pulchre usurpatum puto. Nam quum l. 19. D. de usuris, *Incremento gregis fetus accedere* dicantur, id argumento est, fetus illos etiam absolute *Incrementa* appellatos, & sic etiam in familia servili vernas *Incrementa* dictos; ac postremo ob eamdem rationem etiam ingenuos *Incrementa* nuncupatos. Est quaedam Ciceronis epistola sic incipiens: *Filiolo me AVCTVM scito, salva Terentia*.

Jam vero num. 35. & 36. quomodo ante baptismum ii qui *Competentes* vocaban-

(436) Adulto jam Christianismo, quum multa ethnici ex Judaeis & Christianis imbiberunt, tum illud quoque, mortem peccati poenam esse. Id certe ex duplici antiquo titulo didici: quorum unus in agri Capuani marmore Tifatino scalptus hoc tetrastichon continet.

Vna . dies . adimit . crudeli . clade . peremptas
Quis. (pro *quibus*) *ara* . [h.e. cippus sepulcralis] *haec . posita . st*. (pro *posita est*)
POENA . HOMINIS . MISERI
Filia . namque . perit . periit . et . mater . eumdem
Deserit . illa . patrem . deserit . illa . virum

Adhaec apud Fleetvvoodum pag. 321. alius lapis haec habet.

Desine . jam . flere . POENAM . non . sentio . mortis
Poena . fuit . vita . requies . mihi . morte . parata . est

bantur, nomina darent, pulcherrime describitur. Ibi Tranquillinus, gemellorum martyrum pater, primus omnium nomen dedit, deinde servato ordine quodam ceteri mares, post quos feminae nomina obtulerunt, ac ne hae quidem sine suo quodam ordine. Porro qui ordo in nominibus accipiendis, idem & in intingendis postea observatus fuit. Nam num.37. sic incipitur: *Hoc itaque* [Tranquillino] *ordine suo* (*suo*, inquit, quia Tranquillinus primus dederat nomen) *baptizato*, *universi*, *prout competebat* [cor. *competebant*] *baptizati sunt*. Ex quo intelligis, *Prout competebant*, tantumdem esse ac *Quo quisque ordine nomen dederat*; ac porro ex eo *Competentium* nomen videri factum, quod quum aliquis nomen daret, pittacium offerret, in quo scriptum erat, *Ego* [*Tranquillinus* puta, aut *Nicostratus*, aut quo alio nomine vocabatur] *Baptismum peto*. Certe Augustinus aliique *Dare nomen* & *Baptismum petere* jungunt semper, simul monentes, inde *Competentium* vocem derivari. Augustinus de Cura pro mortuis: *Pascha appropinquante, dedit nomen inter alios competentes*. Et epist.155. *Te nomen dedisse inter competentes*. Et de Fide & oper. *Quum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc etiam Competentes vocaremur*. Et alibi passim. Nam quia non seorsum, sed simul uno in loco nomina dabantur, hinc a simul petendo, *Competentes* dicebantur: id quod non prius fiebat, quam satis congruo tempore inter *Audientes* catechismum imbibissent. Hujus ritualis petitionis vestigium hodienum servatur illis verbis, *Quid petis ab Ecclesia Dei*, &c.

Num. 41. Notabilis est nominativus JOVIS. *A quibus*, inquit, *Jovis colitur*. Quem rectum casum vulgo putant antiquorum tantum fuisse, [ut quod in celebri deorum Consentium disticho legitur, *Mercurius*, *Jovis*, *Neptunus* &c.] non item aevi recentioris. Tamen & in Apuleio in IV. Met. legitur, *Quem tremit ipse Jovis*; & utitur Hyginus fab. LIV. *Et Jovis velles* &c.

Num.51. extremo: *Christus non elegit GRAMMATICOS & oratores, sed piscatores simplices*. Vides heic *grammaticorum* nomen apicem summae eruditionis complecti. Apud antiquos enim *Grammaticus* tantundem erat, atque is quem nos philologum, aut ἀρχαιολόγον aut *Criticum* vocamus. Sic Demetrium Phalereum [cui Ptolemaeus suae bibliothecae praefecturam mandavit] non alio nomine Tertullianus Apol. c.18. condecorat, quam quod *Grammaticorum* probatissimum vocat. Sed & Svetonius *de illustr. Grammaticis* passim bibliothecae curam grammaticis datam docet.

Num. 65. acerrima Christianorum insectatio lectu dignissima describitur; ad cujus finem sic legitur: *Circa insulas, circa vicos, circa nymphaea, quoque erant positi COMPVLSORES, qui neque emendi copiam darent, aut hauriendi aquam ipsam facultatem tribuerent, nisi qui idolis delibassent*. De *Compulsoribus* vide Fresnium in Glossario, qui non aliam ei voci notionem assignat, quam ut sint, *fiscalium onerum exactores, qui publicis functionibus* (h. e. tributariis solutionibus) *obnoxios ad solutionem compellunt*: idque indicatis pluribus Cod. Theodosiani, Ammiani, Senatoris, Ennodii locis docet. At latius patuisse id vocabulum ex hoc loco ostenditur. Sunt iidem igitur, qui Graecis ἐπείκται, Latinis *Operum exactores*. Jam vero quod heic *Nymphaea* (ea sunt aquarum receptacula) in editis scribitur, in pluribus Mss., Bollando teste, *Nymphas* legitur: neque id male. Sciendum est enim [quantum quidem ex marmoribus potui intelligere] interdum quidem *Lymphas* pro *Nymphis*, quatenus deae sunt, poni, interdum contra *Nymphas* pro *Lymphis* aut pro *Nympheis*. Non vacat nunc quidem in inscriptiones, quibus id demonstretur, digredi. Verum hoc ipso anno Romae trans pontem Milvium lapis tempore Septimii Severi inscriptus effossus fuit, & a viro amicissimo doctissimoque Francisco Serao descriptus: in quo inter cetera sic scribitur:

tur: *Sacrarium . Dei . Liberi* ... *&* *aream. et . ortulum. SVPER. NYMPHIS* (h. e. *nympheis*) ... *donum dederunt*. Quod epigramma alibi opportunius dabo integrum.

Num. 67. Tiburtius Caium Papam compellat: *Obsecro te, Pater et EPISCOPORVM EPISCOPE*. A posteriore manu hoc Romani Pontificis elogium manasse, suspicatur Tillemontius. Atqui cum ea verba ab nullo eorum Mss. librorum, quos Bollandus vidit, abesse significentur; quid causae est, cur ejus elogii antiquitatem episcopo Romae invideamus?

Num. 73. quidam, qui dicitur *Patronus regionis Naumachiae*, S. Zoen ubi ad sacrificandum frustra compulisset, tandem renuentem in custodiam misisse narratur. Qui locus valde notandus: ex quo intelligitur, praeter patronos civitatum (de quibus passim marmora antiqua loquuntur) fuisse etiam regionum [saltem urbis Romae] patronos, quibus in subitis rerum leviter coercere aut saltem in custodiam tradere dabatur. Horum patronorum fit rursus in actis minus sinceris S. Clementis I. Papae mentio. *Tunc Comes sacrarum Publius Tarquinius videns innumerabilem multitudinem Christo credere, invidia ductus, vocavit ad se PATRONOS REGIONVM, & data eis pecunia, monuit ut seditionem excitarent nomini Christiano*. Atque hi regionum patroni iidem fuisse videntur, atque ἀμφοδάρχαι qui singulis ἀμφόδοις (*vicis*) praefecti dicuntur in Chronico Alexandrino: de quo vide Fresnium in Graeco Glossario. Porro *Naumachia*, a qua ea regio sibi nomen quaesivit, prope Vaticanum fuisse traditur ab Aringo lib.2. cap.3. num.16. peculiariter autem circa aedem S. Peregrini. Videatur idem cap. 5. num. 4. ubi *prope Naumachiam* sepulcrum S. Petri fuisse ostenditur, ad quod tunc S. Zoe orabat.

Num.76. de SS. martyribus Nicostrato, Claudio & sociis in mare submersis sic scribitur: *Pelagi fluctibus dati sunt, & IN LOCO MVNDO inter aquas coronam martyrii celebrarunt*. Quid porro sit illud *In loco mundo*, difficile dictu est. Vt aliquid tamen de loci hujus intelligentia dicam; sciendum est, nihil gravius apud antiquos visum fuisse, quam naufragio & inter aquas perire. Id & ex pluribus Homeri locis patet [cui poetae ea mors δυσθάνατος vocatur] & ex Hesiodo (cujus in Ἔργοις illud est: Δεινὸν δ' ἐςὶ θανεῖν μετὰ κύμασιν; *Grave est mori in fluctibus*)& ex pluribus aliis poetis, ac prosae scriptoribus ostendit Petrus Lasena in suo *Cleombroto*: quod ei dissertationi nomen fecit, quam de iis qui in aquis pereunt scriptam reliquit. Idem & ex parricidarum apud Romanos poena ostendi potest. At huic gentilium persuasioni scriptor Actorum S.Sebastiani supra scripta verba opposuit, minime pudendum quodcumque vel maxime ingloriae mortis genus ratus, quod pro Christi nomine Christiani oppeterent. Itaque dedita opera *fluctuum & aquarum* nomina inculcat, & in iis tamen martyrium celebratum docet. At quo, inquis, illud *In loco mundo* pertinet? Id eo spectat quod apud antiquos Judaeos, gentiles, Christianosque nihil purius aquae elemento excogitari poterat, qua maculae legales omnes apud Judaeos eluebantur, quaque piacula quaedam tum apud gentiles, tum etiam apud Christianos lustrabantur. Cicero pro Roscio Amer. notat, ideo parricidas non nudos fuisse projectos, sed in culeum insutos, *Ne quum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo extera, quum violata sunt, expiari creduntur*. In Stobaei Eclogis physicis ἀεὶ ῥεῖθρα ποταμῶν καθαρὰ, *fluenta semper pura* esse, notatur. Ea igitur de causa, *In loco puro* disertim heic positum fuit.

Num.77. quonam sensu S.Tiburtius *scholasticissimus* vocetur, ex eo constat, quod is ad defendendas in foro causas sua studia comparasse in his actis dicitur. Nam *Scholasticus* est *patronus*, aut etiam quivis *disertus*, *eloquens*. Idque alterum heic significari, ex superlativo gradu intelligitur: quam superlativam formam haud recte

recte reprehendit Tillemontius Not. 2. Nam ejusd. formae exempla plura Fresnius in *Scholasticus* protulit. Quum vero Tiburtius tanta eloquentiae laude floreret; non leve ejus facundiae specimen historiographus num. 78. 79. suo huic commentario inseruit, ubi Tiburtius tanta vi, ac tum verborum tum sententiarum robore in Torquatum i seudochristianum insurgit, ut haud facile vehementioris invectivae ἀποσπασμάτιον (*fragmentum*) alibi reperias. Quod forsitan historiographi calamo deberi dixeris. Nec equidem repugnabo. Nam profecto nollem sanctissimum martyrem tam acrem ac prope cruentum in insectando fuisse.

Quae num.83. ac deinceps sequuntur, ea alibi illustravimus partim ad 23.Martii, ubi de S. Castulo zetario, partim supra Cap. I. ad Capuani breviarii lectiones; quarum tertia totidem verbis constat, atque ea quae in his actis num. 84. leguntur. Num. 89. Lucina *levans eum* (Sebastianum) *posuit in pavone suo*. De hoc vehiculi genere vide Fresnium. At postea *Pavo* & *Pavio* sumebatur, credo, pro ferculo, in quo Reliquiae martyrum portabantur. Id certe ex linteis, quibus *pavo* aut *pavio* cooperiebatur, conjici potest. Vide Cangium in utroque vocabulo.

C A P. III.

Peculiare horum martyrum festum, antehac Graecis ignotum, ex Basilii Menologio leviter correcto Graeciae ex conjectura restituitur. Ejus menologii elogium cum Latinis horum gemellorum actis confertur & illustratur.

Negari quidem non potest, quin Graeci in Menaeis die XVIII. Decembris festum S. Sebastiani cum suis praecipuis sociis, inter quos etiam gemelli fratres hodierni numerantur, agant: cujus festi (437) notitiam proclive lectori erit ex Menaeis editis haurire. At mirandum videbatur, cur in utroque Menologio [tam Basilii Imp. quam ejus, quod ex Sirleti interpretatione habemus] nulla de tot nobilissimis martyribus mentio occurreret. Ac de Sebastiano quidem ceterisque ejus commilitonibus alii viderint. Interim conjectando id conabor, quo minus Basilius Imp. & ille alter Sirletianus Menologus in Marcum & Marcellianum inofficiosi videantur. Etenim modo admittamus in alterius nomen mendam irrepsisse, ac pro *Marcelliano* pluribus gradibus eo ventum, ut *Mocianus* (438) scriberetur; nemo deinde hoc mihi eripiet, quin *Marcus* & *Mocianus* martyres (qui die 3.Julii in utroque Menologio, & aliquot aliis liturgicis libris celebrantur) ipsissimi sint hodierni pugiles. Illorum quidem elogium in Basiliano Menologio ejusmodi est.

Marcus & Mocianus Christi martyres propter Christi confessionem a praefecto Maximo

(437) In Menaeis Venetis in ea rubrica, quae proxime ante elogium historicum ponitur, hi martyres uno communi festo celebrandi proponuntur, *Sebastianus*, *Zoe*, *Tranquillinus*, *Nicostratus*, *Claudius*, *Castor*, *Tiburtius*, *Castulus*, *Marcellinus* [pro *Marcellianus*] & *Marcus*. Deinde quum singula singulis aut binis disticha appendantur; de gemellis hisce tale ad ultimum proponitur.

Ἐχθρῶν παγέντες, οἷα λόγχαις, καρδίαις,
Νύττεσθε λόγχαις Μάρκε καὶ Μαρκελλῖνε.

Vbi *Marcellini* penultimam versu cogente corripuit versificator, quod & nos pari ex necessitate imitamur, atque ita vertimus ut sententiam magis quam verba sectemur.

Marcellinus Marcusque non tam lanceis Figuntur, animis quam profecto hostilibus.

In ipso elogio historico illud tantum ad hos αὐταδέλφους [sic enim *gemellos* vocat] pertinet, quod eos Caius episcopus diaconos, eorum vero patrem presbyterum, uti & S. Sebastianum ἔκδικον [*defensorem*] Ecclesiae constituerit.

(438) A. Μαρκελλιανὸς fiebat primum Μαρκιανὸς [nam, ut alibi saepe inculcavimus, primitiva cum suis derivativis passim a Graecis & Latinis confundebantur] deinde quum ingens apud Graecos *S. Mocii* nomen esset, proclive fuit ex *Marciano* [maxime si quo casu ex eo nomine littera canina excidisset] *Mocianum* efficere. In Sirleti Menologio is per ultimam vocalem *Macianus* scribitur.

ximo comprehenſi, abnegare Chriſtianam religionem, idolorum vero inſaniae dare manus cogebantur. Dum vero cruciarentur, puer parvulus, qui forte arae ſacrificiorum adſtabat, praefectum, quod injuſte ageret, objurgavit. Quare is vinctus atque flagellis conciſus; incluſus eſt in cuſtodiam una cum Paulo quodam Chriſtiano qui tunc praeſens Sanctos roborabat. Porro quum Sancti (Marcus & Mocianus) *capitalem ſententiam ſubiiſſent, & vincti ducerentur ad mortem, Deo preces & gratiarum actiones fundebant, eo quod digni habiti eſſent martyrio. Sed & uxores cum filiis flentes ſequebantur uſque ad ſupplicii locum. Quo quum ventum eſſet, capite truncati fuerunt, caris eorum uxoribus capita excipientibus.*

Dicet heic aliquis, elogium iſtud longe alia complecti ab iis, quae in Latina S. Sebaſtiani hiſtoria de Marco & Marcelliano narrantur. Fateor quidem in ſpeciem videri diverſam hiſtoriam. At ſi propius rem intueamur, multo majorem ταυτότητος, quam diverſitatis argumenta inter utramque narrationem agnoſco.

Jam primum omnium ſicuti in Latinis actis Marci & Marcelliani palaeſtra Roma fuit, ſic nec aliam fuiſſe neceſſe eſt Marci & Mociani. Nam quum horum judex ἔπαρχος h. e. (439) *praefectus* ſemper vocetur; aperte hinc diſcimus coram praefecto urbis Romae iſtos Menologii martyres ſtetiſſe, h. e. Romae.

Sed, inquis, praefectus, a quo Marcus & Marcellianus damnati fuerunt, *Fabianus* vocabatur, quum contra iſte alter Menologii praefectus *Maximus* vocaretur. Verum hoc ipſum cauſam meam maxime promovet. Vel vide quae capite ſeq. adnotaturi ſumus: ex quibus conſtabit, praefecto huic tum *Fabiani* tum etiam *Maximi* nomina haeſiſſe, ſi modo Acta S. Sebaſtiani cum indiculo praefectorum urbis conciliare velimus. Maneat igitur tam *Marci* & *Marcelliani*, quam *Marci* & *Mociani* eamdem fuiſſe palaeſtram, eumdemque judicem.

At enim, addes, quae in Menologio de puerulo, deque Paulo narrantur, eorum in Actis S.Sebaſtiani nec vola neque veſtigium. Et id fateor. Verum credi poteſt, habuiſſe Graecos peculiaria quaedam horum gemellorum acta, in quibus plura legebantur, partim veris narrationibus, partim Graecanicis commentis referta; in quibus de puero deque Paulo ea narrabantur.

Quod in Menologio ſequitur, Marcum & Mocianum capitalem ſubiiſſe ſententiam, ea ſunt ipſiſſima verba Actorum Latinorum, quae eiſdem verbis ex Breviario Capuano initio Lect. 2.retuli cap. 1. Atque hinc porro Graecis oblata errandi occaſio fuit, ut Marcum & Mocianum capite truncarent, qui tamen re vera lateribus transfixi obierunt. Aut vero prius quidem transfixi lanceis, poſtea obtruncatis, ſecundum ſententiae continentiam, obierunt. Verum hoc totum cujuſmodi ſit, vide fuſius inferne (440) diſcuſſum.

Poſtremo quod in Menologio de uxoribus

(439) Nam quod Card. Sirletus *Praeſidis* vocem pro vocabulo ἔπαρχος [quod in Graeco fuiſſe neceſſe eſt; quia in Graeco Baſiliani Menologii non aliud judicis vocabulum quam ἔπαρχος, idq.bis, legitur] in ſui Menologii interpretatione poſuerit, id probare non poſſum; etſi non ignorem *praefecti* & *praeſidis* vocabula aevo ſequiore, ſic quaſi ſynonyma, fuiſſe inter ſe confuſa; ut vel ex Marci & Marcelliani actorum compendio apud Henſchenium hoc die conſtat, in quo Fabianus bis *Praeſes* vocatur. At re vera immane quantum inter utrumque diſtat: nec dubium eſt, quin numquam ἔπαρχος *praeſidem* provinciae ſignificet, ſemper autem praefectum, ſive praetorius ſit ſive urbis Romae. At coram urbano praefecto capitalia judicia exerceri conſueviſſe, & libri juris, & hiſtoriae paſſim teſtantur.

(440) *Cur acta Latina hos gemellos lanceis perfodiant, idque praeter ſententiae tenorem, Menologia vero eoſdem obtruncent. Ab neutris erratum videri, nec variatam ſententiam: niſi quod acta Latina atrocioris tormenti rationem habuerunt, ſuperſeſſa obtruncatione; Menologia vero, omiſſa laterum trajectione, capitum abſciſſionem ſententia judicis imperatam unice memorarunt.*

ribus & filiis additur, id quoque ab Actis Latinis minime abludit, in quibus de gemellorum martyrum conjugibus ac natis plura dicuntur. Quod vero uxores maritorum ſuorum capita exceperint, id ſive Actorum peculiarium, quae apud Graecos de his martyribus extitiſſe conjicio, copiae debemus, ſive Graecorum ingenio mire commentorum fecundo.

Ceterum illud ſedulo notari velim, quod in Menologio martyrum uxores *τίμιαι γυναῖκες* vocentur: id quod ego *caras uxores* reddidi. Nam ea notione Herodianus in Commodo uſurpavit, ubi de Marcia ſcribit, *ἣν εἶχε τῶν παλλακίδων τιμιωτάτην*, *quam* (Commodus) *cariſſimam inter concubinas habuit*. At ſi vocem *τίμιος* uſitata notione acceperis pro *Honorabilis*, *honeſtus*, *praecellens*; tum vetabo heic eam dictionem ut merum epitheton accipi, ſed potius pro titulo dignitatis. Scimus in actis Latinis (tam S. Sebaſtiani, quam in Breviario Capuano, & in Compendio Henſcheniano) gemellos hos martyres *viros clariſſimos* inſcribi, ex quo licet colligere, eos fuiſſe ſenatores. At maritorum honorificos titulos cum ſuis uxoribus fuiſſe olim communicatos, ad XIV. Maii ad Acta S. Bonifacii animadvertimus. Ex eo fit conſulum aut ſenatorum conjuges in marmoribus CC. FF. h. e. *clariſſimas feminas* inſcribi. Quo fit haſce *τιμίας γυναῖκας*, *clariſſimas feminas* [aut quocumque id modo interpreteris] non alia fortaſſis de cauſa ſic dici, quam quia Marci & Marcelliani, qui in Latinis actis *clariſſimi viri* dicuntur, uxores eſſent.

Ex hactenus dictis facile animadvertis, ſi pro *Mociano* in Graecorum libris *Marcianus*

Quae ſupra cap. I. initio Lectionis ſecundae leguntur uſque ad *Facultatibus redderentur*, ea totidem omnino verbis ſumpta ſunt ex Sebaſtiani Actis num. 4. Ibi de gemellis legitur: *Capitalem juſſi ſunt ſubire ſententiam*. Ac ne *capitalem ſententiam* de quavis nece; etiam illaeſa cervice, intelligas, prohibent quae ſequuntur, *Ea ſcil. ratione, ut ſi eodem momento, quo DECOLLANDI erant, ſacrificiis conſenſiſſent*, ſervarentur. Quae ideo recitavi, ut mirari deſinamus, ſi quum Marcus & Marcellianus in Actis Latinorum lanceis transfixi oppetierint, contra in Menologiis Marcus & Mocianus obtruncati dicantur. Nam Graeci ad ſententiae tenorem unice attenderunt: cujus tamen exſecutio poſtea variavit, dum capitum abſciſſioni laterum trajectio ſubſtituta fuit.

Quid ſi ſententia exſecutione ſua non caruit; et quae difficultas ex variatione ſententiae adverſus acta S. Sebaſtiani conflari poterat, ea ex utroque menologio diſſlatur? In actis enim Latinis ſententia talis a Chromatio pronuntiatur, qua *decollari* jubeantur: & tamen poſtea intactis cervicibus, longe alio mortis genere confecti fuere. At certe nihil magis abnorme excogitari poteſt, quam ſententiam exſecutione fuiſſe deſtitutam.

Huic quidem difficultati ſat ſcio reſponderi illud poſſe, a Fabiano (qui Agreſtio Chromatio prioris condemnationis auctori ſucceſſit) mutatam fuiſſe ſententiam. Atqui etiam hoc non admiſſo, tamen ei incommodo menologia Graecorum obviam eunt, dum hoſce martyres capitibus, ſecundum ſententiae continentiam, amputant.

At enim iſto modo, inquis, acta Latina mentientur, quae lateribus transfixos eos obiiſſe dicunt. Non mentiuntur illa quidem; quippe quae amputatione cervicum (quae tantum dicis cauſa ante aut poſt mortem facta fuit) narranda ſuperſederunt. Itaque, ſi ſapimus, utrumque verum eſſe dicemus, hodiernos gemellos & lanceis tranſadactos fuiſſe, & ante aut poſt exhalatas animas decollatos. Prius illud actis Latinis [in quibus novum transfoſſorum laterum ſupplicium accurate deſcribitur, dum alterum interim abſciſſorum capitum ſuppleri ex tenore ſententiae jubetur] debemus: poſterius vero menologiis refertur acceptum, in quibus ad illud potius mortis genus attenditur, quod ſententiae tenor complectebatur. Ita Latinorum Graecorumque narrationes mutuam ſibi operam auxiliarem praeſtant.

Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Quod dixi, potuiſſe hos geminos dicis cauſa obtruncari, id firmari poteſt exemplo actorum S. Aquilinae [apud Bollandiſtas die XIII. Junii pag. 677. ſect. 17.] ubi Aquilina poſt ſpiritum ante percuſſionem exhalatum, tamen a percuſſore obtruncatur, *διὰ τὴν κέλευσιν τοῦ ἀνθυπάτου*, *ad exſequendam proconſulis ſententiam*.

cianus scribatur, tum vero fore, ut cetera inter Menologii duos martyres, interque gemellos diei hujus facile conveniant. Id etiam non de nihilo est, quod de *Marco* & *Mociano* altum apud alios Graecos [si duo Menologia excipias] silentium est: & quod horum nec natales, nec patriam, nec palaestram, nec tempus ex laudatis Menologiis discere licet. Quod eo fit, quia quum martyres exteri essent, eorum notitiae apud eos deperierunt. Jam vero de horum gemellorum judice videamus.

C A P. IV.

Gemellorum martyrum judicem videri binominem fuisse, & Fabiani simul ac Maximi gessisse cognomina ostenditur: quo posito etiam ejus in praefectura decessorem Agrestium Chromatium videri Cejonii Vari nomina simul habuisse: eaque ratione Acta S. Sebastiani cum praefectorum indiculo pulchre conciliari. Marci & Marcelliani annus martyrii est 286.

Loco trium nominum, quibus vetus Roma contenta erat, sub Caesaribus tertii saeculi ac deinceps πολυωνυμίαν (*plurima simul nomina*) placuisse usurpari, nemo est qui nesciat; ita ut interdum septem, octo, aut plura simul nomina cumularentur. Quo posito, nullam amplius fore pugnam spero inter S. Sebastiani acta, in quibus Marci & Marcelliani judex *Fabianus* vocatur, & inter Marci & Mociani (h. e. Marci & Marcelliani, ut equidem conjiciebam) ex Menologiis elogium, in quibus judex nuncupatur *Maximus*. Nullum, inquam, posthac discidium erit, modo inducamus animum, unum eumdemque praefectum *Fabiani* simul & *Maximi* gessisse nomina.

Id quidem, inquis, fieri potuisse, nemo negaverit: at re vera sic accidisse, quis, rogo, praestare poterit? Atqui, inquam, ita prorsus fuit, si quidem actis S. Sebastiani cum praefectorum laterculo, quem ex Bucherio habemus, convenire necesse sit. Scio a Tillemontio in S. Sebastiano Not. 4. eam querelam minime praetermitti, quod quum in iis actis praefecti urbani duo memorentur, *Agrestius Chromatius* & ejus successor *Fabianus*; eorum loco in Bucheriano syllabo reperiri *Cejonium Varum* & *Junium Maximum*. Confer si lubet Bucherianum (441) quem dixi catalogum. At nihil facilius dictu erat, quam ambos illos praefectos πολυωνύμους (*plurium nominum*) exstitisse: quorum secundus [ut ab eo incipiam] supra *Junii Maximi* nomina tertiũ etiam *Fabiani* cumulaverit. Id vero ita fuisse, etiam utrumque menologium in Marci & Mociani [quem Mocianum eumdem ac Marcellianum esse contendimus] elogio fidem faciet; in quo pro *Fabiano* praefecto *Maximus* praefectus legitur; ille (ut equidem accipio) *Junius Maximus*, qui in Bucheriano indice pro *Fabiano* (ex actis S. Sebastiani noto) proponitur. Itaq. vana est illa Tillemontii responsio, ab eo indiculo quosdam abesse praefectos, fatentis. Atqui quos abesse conqueritur, ii minime (442) ab-

(441) Ex Bucheriano indice eos tantum praefectos huc conferam, quibuscum cum S. Sebastiani actis commune aliquid esse potuit. Ab anno igitur 283. ordiar.

Caro & Carino. [supple *consulibus*. i. e. anno 283.] *Titutius Roburnus P. V.* h. e. praefectus urbi.

Carino II. & Numeriano. [an. scil. 284.] *Cejonius Varus P. V.*

Diocletiano II. & Aristobolo. [ann. 285.] *Cejonius Varus P. V.*

Maximo II. & Aquilino. [an. 286.] *Junius Maximus P. V.*

Diocletiano III. & Maximiano. [an. 287.] *Junius Maximus P. V.*

Maximiano II. & Januario. [ann. 288.] *III. Kal. Martii Pomponius Januarius P. V.* Vltimo anno videtur praefectus idem ac consul fuisse, ob eamque causam non nisi exeunte Februario h. e. post fasces depositos, praefecturae honorem adeptus.

(442) Tillemontius ubi semel constituisset, in praefectorum libello Chromatium & Fabianum deesse; hunc his duobus locum in Bucheriano indice assignat Not. 3. & 4. Nimirum Chromatium quidem exeunte anno 283. prae-

absunt; sed alia in indice nomina, alia in martyrum historiis gerunt. Nam illo tempore, ex tot nominibus, quae in uno eodemq. homine cumulabantur, unum aut duo, & quidem interdum alibi aliud, enotabantur, ceteris praetermissis.

Postquam indicio Menologii evicimus, judicem martyrum gemellorum *Junium Maximum Fabianum* fuisse appellatum; pronum deinde erit fateri, hujus proximum decessorem quatuor saltem nominibus fuisse insignitum, quorum duo ex actis, duo ex laterculo innotescunt. Vocabatur igitur *Agrestius Chromatius Cejonius Varus*: vir de Christi ecclesia, cui nomen dedit, siquis alius, tunc optime meritus; qui frequenti Christianorum coloniae in sua latifundia, quae in Campania possidebat, deductae monitu Caii pontificis latebram praebuit.

Jam vero quum ex Bucheriano laterculo aetas praefecti Fabiani [qui in eo laterculo *Junius Maximus* inscribitur] constet; etiam de anno martyrii geminorum fratrum simul constabit. Praefectura Junii Maximi Fabiani biennium totum tenuit, h. e. annis 286. 287. Quum autem in Sebastiani historia statim post abdicatam ab Agrestio Chromatio (qui & Cejonius Varus) praefecturam, inter prima Fabiani facinora fratrum geminorum passio describatur; consequens est, priore sui biennii anno in gemellos animadversum fuisse, h. e. anno 286. sive Maximo II. & Aquilino consulibus.

Et is quidem annus in toties laudato laterculo sic notatur: *Maximo II. & Aquilino. Junius Maximus P. V.* h.e. praefectus urbi. Quandoquidem autem ex Gruteriano lapide pag. 309. 8. integra prioris consulis nomina haec erant, *M. Junius Maximus*; ex eo vides, consulem eadem ac praefectum gessisse nomina, imo verisimillime in unum eumdemque utramque dignitatem fuisse illo anno collatam: quod & aliis annis contigisse, ex eodem indiculo intelligitur. Sed alibi hoc ipso mense Junio monuimus, quoties id contigit, tunc id ita capiendum, ut unus idemq. diversis anni temporibus illos honores gesserit. Itaque dicendum erit, Kalendis Januarii Maximum consulem processisse; deinde ubi is post duos circiter menses fasces deposuisset, in eum urbanam praefecturam fuisse collatam. Quod eo notare volui, ne forte putes ineunte anno 286. gemellos occubuisse; nam videtur ineunte anno Maximus (quia tunc ei fasces praeferebantur) nondum ad praefecturam pervenisse; quam non nisi depositis fascibus iniit. Itaque crediderim potius adulto jam anno 286. (h.e. post exactum Februarium, atque initam praefecturam) Gemellos hosce coronam martyrii consecutos.

XIX P S GERVASII ET PROTA

NOn multus in his egregiis athletis ero. De nota *Passionis* (quae praeter verum huic diei praemitti videtur) calumniam ubi prius a marmoreis Fastis depulero, ac mox de Pseudophilippi libello judicium qualecumque meum interposuero; tum ad extremum pauca hinc atque inde parum animadversa ex eodem libello decerpam.

C A P. I.

Jure an injuria Passionis notam dies hodiernus in hisce Fastis praescriptam gerat.

Per-

praefectum facit, eumq. inter Roburnum & Varum collocat. Male: quia ex actis certum est, Chromatium diutiuscule praefectum fuisse, eique non Varum sed Fabianum successisse. Sed profecto Chromatium haud alium a Varo fuisse, praestabilius erat, ut ante dixi.

Et in Chromatio quidem rem ille parum feliciter expedit; at in Fabiano infelicissime. Nam quando aliter non potuit, in mediam Maximi praefecturam irrumpere Fabianum jubet; atque [id sibi sumens, Maximum ineunte anno 286. & iterum exeunte 287. praefectum fuisse] Fabianum inter utramque Maximi praefecturam infindit. At profecto quanto satius erat, uti dixi, in Varo Chromatium, inque Maximo Fabianum agnoscere.

Perculit me ſane initio hic marmorei Kalendarii locus. Nam qui faſtos hoſce in depoſitionum aut paſſionum diebus perdocendis hactenus fidiſſimos duces expertus eſſem, heic ſaltem eos falſi manifeſtos videbar deprehendiſſe. Nam quo pacto *Paſſionem* horum martyrum hoc die annuntiant, quum exploratum hodie videatur, diem XIX. Junii non martyrii diem fuiſſe, ſed ſive inventionis aut translationis, ſive potius iteratae depoſitionis, quando ſcil. eorum Reliquias non ſine Divino oraculo inventas S. Ambroſius in Altari condidit, atque iſto modo Ambroſianam baſilicam dedicavit? Res enim quemadmodum tunc geſta ſit, ipſe qui geſſit divinus Ambroſius epiſtola ad Marcellinam ſororem declarat: cujus verba huc afferre ſupervacaneum puto. Legat qui volet ipſam ejus epiſtolam. Cur igitur P. h. e. nota *Paſſionis* hodie ſignatur, quando pro more N. i. e. *natalis* nota praeſcribenda fuiſſet?

An in ſcalptoris ſupinitatem ejus rei culpam conferemus? Quid vero ſcalptor commeruit, quare in eo ſemper haec faba cudatur? An illud excipiemus, quod in pluribus mrologiis hic dies quaſi ſuus h. e. emortualis ſignetur? de quo vide quid Sollerius (443) ad ſuum Vſuardum expoſtulet. Verum id leve eſt. Etenim *Natalis* vox ſicuti in noſtris hiſce faſtis, ſic haud raro alibi generale eſt feſti cujuslibet anniverſarii nomen, ſive depoſitionis, ſive translationis, ſive iteratae ſepulturae, aut alterius generis.

Verum perſpexi tandem, culpam erroris hujus [nim. quod hic dies tamquam re vera *θανάσιμος emortualis* in his faſtis habeatur] nec in ſcalptore, nec in auctore Kalendarii reſidere, ſed in Pſeudo-Philippo potius, illo ſcil. cujus ficta certaminis horum martyrum narratio ab octavo ſaltem ſaeculo circumferebatur; quae tamen eo ſaeculo haud paullo antiquior fuit. In ejus, inquam, narrationis fine ſic in pluribus optimis Mss. (444) legitur: *Martyrizati ſunt autem beatiſſimi martyres Gervaſius & Protaſius in Mediolanenſium civitate ſub die XIII. Kalendarum Juliarum ſub Aſtaſio comite: regnante vero Domino noſtro* &c. Falſam hanc clauſulam dixeris. Atqui non id quaerimus, ſit ne clauſulae illi de die paſſionis credendum, ſed quampridem ſcripta fuerit. Et quidem fuiſſe antiquiſſimam, ſcriptorum codicum vetuſtas teſtatur. Quibus adde quod ſaltem ante medium IX. ſaeculum eam clauſulam Pſeudophilippi libello ſubjectam fuiſſe, marmorei hi faſti declarant: in quibus haud temere P. hoc eſt *Paſſionis* nota huic diei praefigitur, ſed quod ita in calce Pſeudophilippi, qui tunc omnibus admirationi erat, paſſim legebatur.

Et hactenus quidem ephemeridas Neapolitanas haud feſelliſſe, quando hunc diem *paſſioni* martyrum attribuerunt, oſtenſum fuit; certe quod eis modo recitata libelli Pſeudophilippi clauſula praeiverit. Hujus vero clauſulae antiquitatem viciſſim ex Neapolitanorum faſtorum conſenſu demonſtrari, palam eſt. At quis interim praeſtabit, inquies, eam clauſulam [quae certe ab editis & pluribus Mss. abeſt] ab ipſo auctore libelli fuiſſe profectam?

Id equidem praeſtare nec audeo nec poſſum.

(443) Sollerius initio *Obſervationis* ad Vſuardum ſic incipit: *Celeberrimorum.. Martyrum a Sancto Ambroſio incboata & inſtituta ſollemnitas in omnia Mrologia noſtra tranſiit hac ipſa die, quae* inventionis *ſeu* tranſlationis, *aut* elevationis *potius dicenda eſſet, quam NATALIS*. Quaſi vero *Natalis* nomen non ad omnia feſtorum genera referatur, modo quotannis eodem die recurrant.

(444) Vt in codice canonicorum Forojulienſium, & in altero Reginæ Suecorum apud Dominicum Georgium ad Adonem hoc die ſcribitur. Atque hinc vides, mendoſum eſse, quod editores Benedictini in Adnotatis ad finem ſect. 13. epiſtolae 53. Ambroſio adſcriptae, ſive Pſeudophilippi, ex Romana editione addiderunt: *Idola reſpuentes, ſub Aſtaſio comite in Mediolanenſi civitate die Kalend. rum. Juniarum feliciter pervenerunt*, nempe ad palmam martyrii, de qua ſupra. Mendoſum, inquam, iſtud additamentum eſt, ac legendum *die XIII. Kalendar. Juliarum*.

possum. Tamen ea clausula cum libelli sive (*) potius epistolae 53. Ambrosio adscriptae narratione pulchre convenit. Quae narratio sic incipit, *In diebus transactae nuper quadragesimae*. Nempe tempore Quadragesimae martyrum reliquias Deo revelante fuisse detectas citra ambages Epistola eloquitur. Id vero centesimo plus minus anno post Inventionem martyrum personatus hic auctor scribebat: auctor, inquam, in eo ferme tantum fallax, quod Philippi cujusdam [quem ob praestita martyrum reliquiis obsequia tunc fuisse percelebrem necesse est] personam induit, in ceteris haud callidus mendaciorum structor, uti cap. seq. exponam. Nunc si festum, quod jam inde a V. saeculo die XIX. Junii non tantum Mediolani fiebat, sed & Romae (uti constat ex Gelasiano sacramentario) & Carthagine (teste Mabilloniano Carthaginensi Kalendario) si id inquam festum re vera ad inventionem martyrum pertinuisset; quo ore libelli auctor scribere potuisset, eas reliquias tempore quadragesimae fuisse Ambrosio revelatas? Quis non libellum uti mendacem rejecisset, qui eam inventionem mense Junio quotannis celebratam, tribus mensibus in suo libello impudenter antevertisset? In hujus certe tam celebris facti tempore assignando haud impune noster Pseudophilippus, cetera satis candidus, mihi crede, imposuisset. Quum ergo re vera constante quadragesima inventio contigerit; quo demum festivitas diei XIX. Junii tam antiqua spectabat? Non alio certe, quam quia hos martyres hodierno potissimum die palmam martyrii consecutos, antiquitus persuasum fuisse oportuit. Postremo & id quoque hactenus dictis accedit, quod nec Ambrosius, nec ejus βιογράφος Paulinus, inventionem illam in mensem Junium incidisse significat. Et tamen Tillemontius, Bollandistae, & eruditissimus quisque hodiernam festivitatem ad inventionem corporum, aut eorum in altari basilicae repositionem consensu & confidentia summa referunt.

Ne tamen earum rationum, quas mihi objici posse auguror, quidquam effugere videar; primum, sat scio, illud objicient. Tempore inventionis illius tantum abest, ut diem passionis scirent, ut prorsus novi atque inauditi martyres illi acciderint. *Patronos* [scribit ad Sororem Ambrosius] *habebamus & nesciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur praestare majoribus. SS. martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus*. Ex quibus intelligitur, nullam tunc sacram horum martyrum memoriam fuisse celebratam, nec quidquam de die passionis tunc constitisse. Quum ergo post illam inventionem annuum festum celebrari placuisset; dies hodiernus ei festo assignatus fuit, non quia is triumphalis fuisset [quî enim diem passionis tenerent, qui ceterarum rerum omnium ignari essent?] sed quod eo die sacra pignora sive detecta sive in Altari collocata fuerunt.

Quibus respondemus, ab eodem Ambrosio paucis interjectis haec subjici. *Nunc senes repetunt, audisse se aliquando horum martyrum nomina, titulumque legisse*. Ergo senes meminerant se *titulum* h. e. inscriptionem legisse: in qua depositionis dies, (qui olim in omnibus Christianis elogiis sedulo adnotabatur) prorsus inscriptus erat. Nec a vero abludit, eum titulum postea quaesitum atque inventum fuisse, atque hoc modo Mediolanenses de die passionis edoctos, anniversarium certaminis festum instituisse. Postremo & antiqua eorum martyrum monumenta alicubi inventa esse fieri potest, per quae de die passionis certiores fierent. Haec

eadem

(*) Circumfertur sub falso Ambrosii nomine epistola 53. in qua inventio SS. Gervasii & Protasii minutim narratur. Ei epistolae cujusdam Pseudophilippi libellus in arca martyrum repertus [in quo describitur eorum passio] inseritur. Verum quia idem auctor libelli, qui & epistolae fuit; saepe nos ex Pseudophilippi libello citabimus, quae re vera extra libellum in epistola leguntur. Hoc semel monuisse sufficiet.

eadem monumenta videtur poſtea Pſeudophilippus ſecutus tum, quum libellum de hiſce martyribus Philippo neſcio cui ſuppoſuit. Quae quidem ille antiquiora monumenta de ſui penore ingenii ditiora effecit. At in die certe paſſionis minus imponere potuit ob eas rationes, quas proxime expoſuimus.

Alterum multo gravius ex Auguſtino opponi poteſt, quod tale eſt. Hipponenſis antiſtes in quadam horum martyrum Memoria ſermonem 286. (alias 39. de diverſis) habuit, cujus eſt inſcriptio, *In Natali martyrum Protaſii & Gervaſii*. In eo ſermone cap. 4. ſic concionatur: *Celebramus hodierno die, fratres, memoriam in hoc loco poſitam ſanctorum Protaſii & Gervaſii Mediolanenſium martyrum. Non eum diem quo hic poſita* (memoria) *eſt, ſed eum diem celebramus, quando INVENTA eſt pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus per Ambroſium epiſcopum hominem Dei. Cujus tantae gloriae martyrum etiam tunc ego teſtis fui. Ibi eram: Mediolani eram: facta miracula vidi: novi atteſtantem Deum pretioſis mortibus ſanctorum ſuorum*. Deinde celeberrimum caeci illuminati miraculum narrat. Jam vero ex his ſic ratiocinari libet. Auguſtinus nec dedicationis eccleſiae Hipponenſis, aut translationis reliquiarum eo factae, nec martyrii diem, ſed *Inventionis* (eo enim illud INVENTA ſpectat) SS. Protaſii & Gervaſii tunc celebratum, teſtatur. Atqui id feſtum non aliud eſſe potuit, quam quod in Mabilloniano quinti ſaeculi Carthaginenſi Kalendario die XIX. Junii ſignatur his verbis: *XIII. Kal. Julias Sancti Gervaſi & Protaſi martyrum*. Ergo die XIX. Junii habitus is ſermo fuit. Proinde in eum diem *Inventio* SS. martyrum incidebat.

Difficile ſane argumentum: quod, credo, Tillemontium induxit, ut feſtum hodierni diei ad inventas, ſive collocatas in Ambroſiana reliquias referendum cenſeret. Et tamen ne libelli auctor (quem ſatis antiquum, nec prorſus proſtitutae fidei eſſe, cap. ſeq. demonſtrabitur) ludibrium debeat, dum hic tempore Quadrageſimae repertum eum theſaurum memorat; reſpondere cogimur, Auguſtini ſermonem non die XIX. Junii, ſed Martio aut Aprili menſe habitum, eo maxime die, quo inventionis anniverſaria ſollemnitas recurrebat. Ex quo deinde ſequitur, feſtum quod XIII. Kal. Julias in Carthaginenſi laterculo notatur, ad diem paſſionis pertinuiſſe. Statim enim ut certiora de his martyribus documenta, ac praeſertim dies martyrii innotuit, veriſimile eſt duplex martyrum Mediolanenſium feſtum fuiſſe agitatum, inventionis unum, paſſionis alterum: ac poſterius quidem in Carthaginenſibus faſtis fuiſſe ſignatum: at Auguſtinum prioris habuiſſe tunc rationem, ſive quod altera celebritas nondum inſtituta fuiſſet (nam Carthaginenſe Kalendarium recentius Auguſtino eſſe, ex ſignatis ibi tum Auguſtino ipſo, tum etiam Vandalicae perſecutionis martyribus liquet) ſive quod [ſi quidem jam tum ea inſtituta fuerat] Auguſtinus Inventionis, cui interfuerat, celebrandae miro ſtudio tenebatur. Sic quidem reſpondere libellus ille falſo inſcriptus, ſed tamen vetus, cogit: quem credibile non eſt, ea de tempore inventionis in quadrageſima factae ſcripſiſſe, in quibus redargui ab omnibus potuiſſet, praeſertim in tam recenti rei geſtae memoria.

Ceterum quum ex Ambroſio repertas reliquias Fer. IV. collocatas vero ſub Altari Fer. VI. intelligatur; quumque anno 386. [quo is theſaurus divinitus oſtenſus fuit] dies XIX. Junii non in Fer. IV. ſed in VI. incidat; coguntur adverſarii fateri, feſtum hodierni diei non ad inventionem proprie pertinere, ſed potius ad eum diem, quo Lipſana ſub Altari collocata fuerunt: de quo vide Tillemontium Not. 4. & Papebrochium ad hunc diem. At vero id cum modo recitatis Auguſtini verbis aperte pugnat. *Eum*, inquit, *diem celebramus, quando INVENTA eſt* &c. cujus occaſione patrata miracula refert. Quocirca quum anno 386. dies

dies XIX. Junii cum Fer. IV. [qua Feria decurrente detecta sunt sacra pignora] minime concurreret ; praestabilius erit, non mense Junio inventos fateri martyres, sed potius quavis alia quarta Feria in illius anni quadragesimam incurrente.

Et haec quidem, haud citra veri speciem a me dicta, non tamen usque eo defendimus, tamquam si festum hodiernum pro exploratissimo passionis die habeam. Sed tamen haud temere tunc a Neapolitanis pro tali habitum, & nunc quoque probabilius haberi debere, certissimum est.

C A P. II.

De aetate libelli Pseudophilippi. De ejusdem fide & veracitate judicium. Lectiones Capuani breviarii de SS. Gervasio & Protasio.

Is, de quo agimus, libellus commentitiae Ambrosii epistolae 53. *Fratribus per omnem Italiam* inscriptae [de cujus νοθείᾳ nullus relinquitur dubitandi locus] inseritur. Ea in epistola quidam intra arcam ad caput martyrum libellus scriptus a nescio quo Philippo, qui passioni interfuit, repertus fuisse narratur: quo in libello eorum certamen & sepultura describitur. Nec dubium ullum est, quin ab uno eodemque architecto & epistola illa 53. & insertus libellus prodierit. Quocirca, ut ante monuimus sub *libelli* nomine ipsam etiam epistolam interdum designabimus. Eum autem libellum Damasceno (445) integrum ex eo locum

(445) *Ex Damasceni citatione arguitur, Ambrosii epistolam 53. cum inserto Pseudophilippi libello, diu ante Damascenum Graece redditam, concivisse omnium admirationem.*

Quaedam a Damasceno ex Spuria Ambrosii epistola 53. [quam nos sub Pseudophilippi nomine designare consuevimus] recitantur ad calcem alterius orationis de imaginibus, sub hoc lemmate: Τȣ̃ ἁγίȣ Ἀμβροσίȣ ἐπισκόπȣ Μεδιολάνων, ἐκ τῆς πρὸς πᾶσαν Ἰταλίαν ἐπιστολῆς. *Sancti Ambrosii Mediolanensium episcopi, ex epistola ad universam Italiam.* Deinde ex ejus epistolae sect. 2. fragmentum illud subjicit, ubi Ambrosius ait, sibi Paulum Apostolum se videndum praebuisse; cujus vultum, ex eo quem ex depictis Pauli imaginibus observaverat, internoverit. Fragmentum ipsum infra cap. 3. in adnotatis ad Pseudophilippum Graece & Latine dabimus.

Atque heic monendus est lector, ne Benedictinorum improvidae suspicioni inhaereat. Quibus in Admonitione ad eam spuriam Ambrosii epistolam pag. 478. venit in mentem dubitare, an non ea Pseudoambrosii verba post Damasceni tempora ejus orationi adjecta fuerint. *Si tamen*, inquiunt, *ejus* (Damasceni) *vere sit illud fragmentum*. Atqui ea subdubitandi ratio (cui non nihil innixus est postea Tillemontius) nullo prorsus fundamento nititur. Nec Benedictini alii, qui in egregiam Damasceni operum editionem incubuerunt, codicem ejus ullum Ms. protulerunt, a quo is Pseudoambrosii locus abesset. Ceterum satis scitum est [id quod etiam Damasceni editor in sua praefatione conqueritur] Damascenum, cui eruditionis plurimum inerat, critico tamen acumine, juxta atque antiquorum plerosque, caruisse; eoque spuria a sinceris haud satis quivisse discernere.

Forsitan dixeris, haud plurimum antiquitatis Pseudophilippo ex eo conciliatum iri, quod Damascenus spuriam Ambrosii epistolam legerit decerpseritque. Quid enim? Anno circiter DCCXXX. orationes de imaginibus Damascenus elucubrabat. Antiquior igitur VIII. ineunte saeculo epistola illa cum inserto Pseudophilippo fuerit: at non usque adeo antiqua, ut V. saeculo aut VI. ineunte conscripta fuerit.

His respondemus, Damascenum Latine nescivisse [quippe Damasci natum, atque in Saracenorum Chaliphae aula ad multam aetatem versatum] proinde in Ambrosii opera Graece reddita, in quibus ea epistola simul cum aliis legeretur, incidentem, ita demum ex ea quivisse decerpere. Eam vero Ambrosianorum operum translationem non sub Damasceno primum factam, reor. Scio quaedam S. Ambrosii opera a Martiano Mediolanensi antistite, furente Nestoriana haeresi, ad Theodosium juniorem missa fuisse, eaque procul dubio tunc Graece fuisse reddita, quippe quum ea Graece a Graecis antiquis scriptoribus citata fuerint. Atque ultro etiam largior, nondum illo tempore epistolam 53. (quae nondum forsitan conficta fuerat) in Graecum fuisse transfusam. Sed tamen quae tunc Ambrosianorum operum interpre-

locum decerpente haud paullo antiquiorem fuisse, sicuti & (446) Beda (octavi saeculi scriptoribus) non est dubitandum. Quam pridem autem ante octavum saeculū compositus fuerit, haud perinde certum est. Nec aliunde aetatis argumenta peti posse video, quam ex ipsius dictione: quae quidem sicuti ab ea gratia, qua quarto saeculo scribi mos erat, paullulum fortasse abest, ita nec cum septimi nec sexti saeculi barbarie convenit. Itaque nihil verisimilius putem, quam V. saeculo, aut summum sexto ineunte scriptum fuisse: quo tempore non defuisse ingenia ad pias technas struendas prona, non est cur miremur; quum omni tempore eo morbo laboratum fuerit. Hujus vero aetatis, quam huic scripto assignavimus, aliquot indicia proferemus in animadversionibus, quas mox cap. seq. in illud daturi sumus. Cujusmodi est illud in inscriptione epistolae SERVUS CHRISTI: & quod Ambrosius jura metropolitica exercet, nullum autem Metropolitae titulum assumit: quodque (ut cetera taceam) dictio tota eadem, quae dixi, tempora redolet.

Hactenus de aetate. At de fide ac veracitate scriptoris eadem ferme sentio, quae olim ad XI. Junii de Pseudo-Joannis-Marci historia S.Barnabae dixi, quaeque alibi de altera spuria Ambrosii epistola, quae de S. Agnes martyrio scripta exstat, edisseram; & quae sunt alia generis hujus. Omnes hi quidem imposturam lectoribus fecerunt, at pro saeculi tamen illius captu piam. Itaq. quū ab rerum gestarum aetate haud remotissimi essent; narrationes omnes quae tunc de iis Sanctis circumferebantur, pio studio ac satis bona fide corraserunt; easque tamen, quo credibiliores efficerent, forsitan verisimilibus aliquot circumstantiis de suo convestiverunt; ac postremo ad majorem commentariolo αὐθεντείαν (*auctoritatem*) conciliandam, praeclara libellis suis nomina praescripserunt [f]. Itaque & hosce, & quotquot similes horum fuere, non tam prostitutae fidei, quam falsae atque improvidae pietatis damno. Nisi si vero idem sibi forte licere illi, quod poetae, voluerunt: qui quum episodia plurima ex verisimili in sua poemata inducant, & eas personas induant, quas convenientiores operi putant; non ob id continuo arguuntur mendacii.

Itaque ut de Pseudo-Joanne illo, ita & de hoc, qui S. Ambrosii simul, & cujusdam Philippi personas sibi tantisper induxit, & aliis generis hujus (modo de antiquitate constet) eo censura pertinet, ut fundus quidem historiae pro vero sit habendus; at allocutiones & minusculae circumstantiae ex verisimili petitae eo adjectae credendae sint, ne narratio tamquam nimis macra respueretur.

At inquis, quasnam narrationes hic Noster colligeret, quum Ambrosius testetur, vix aut aegre Mediolanenses eorū martyrum nomina tunc memoria tenuisse? *Patronos* (inquit ille epist. ad sororem) *habebamus & nesciebamus . . . SS. marty-*

terpretatio sub Theodosio facta fuit, ea opinor Graecorum ingenia postea stimulavit, ut & cetera Mediolanensis doctoris opuscula arcesserent, Graeceque verterent: inter quae etiam ea spuria epistola sibi locum quaesivit: quam sexto, aut summum septimo saeculo & Graece redditam, & pro Ambrosiana a Graecis habitam, haud temere crediderim.

(446) Beda genuinus hoc die sic annuntiat: *Sanctorum Gervasii & Protasii in Mediolano: quorum sepulcra Ambrosius Deo revelante reperit; & ita incorrupta eorum corpora, ac si eodem die fuissent interempti* &c. Nam ut cetera Anglus monachus potuerit ex Ambrosio discere; at illud certe, quod corpora *incorrupta ac si eodem die fuissent interempti*, narrat, aliunde non potuit quam ex Pseudophilippo arcessere: cujus haec sunt verba: *Invenimus quasi IPSA HORA positos sanctos*. Nam contra Ambrosius ossa se reperisse testatur: & corpora prorsus incorrupta fuisse, nusquam affirmat: etsi id ex Ambrosio posse colligi, nos infra ostendamus. Hoc Bedae elogium postmodum in omnia IX. saeculi mrologia transfusum fuit.

martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus . . . . Nunc senes repetunt, audisse se aliquando horum martyrum nomina, titulumque legisse.

Sed fatendum est, haec Ambrosium scripsisse eodem die, quo reliquias condiderat, aut summum postridie; nec enim de eo, quid mox die Dominico aut deinceps gesserit, verbum ullum. Quum inquam tertius inventionis dies tum ageretur, potuerantne in tam recenti facto conferri civiũ sententiae, & in frequentissima tunc metropoli quid quisque de his athletis sciret, aut fando audisset, sedulo inquiri? Potuerant ne excuti tabularia, siquid forte de his antiquitus scriptum exstaret? Potuerant ab Ravenna, aut ubicumque parentes habitassent, sparsae narrationes aut monumenta repeti? Nihil horum sane potuit, civium studiis ad venerationem potius, quam ad indaganda rerum ante actarum vestigia tunc effusis. At postea id minime neglectum arbitror; & quidquid postea ex quantulacumque inquisitione coaluit, id post centesimum ferme annum ab nostro Pseudophilippo ita litteris fuisse mandatum reor; ut tamen levia quaedam de suo fortassis admetiretur. A quo tamen scripto fucus & offuciae absunt. Nullus in toto hoc scripto miraculorum, nullus exquisitorum cruciatuum apparatus, nec quae cetera a perditae fidei scriptoribus ad nauseam congeruntur.

Atque ut per se lector de fundo hujus historiae judicare queat; proderit perbreve libelli Pseudophilippi compendium, quod Lectionibus tribus veteris Breviarii Capuani continetur, huc afferre, ad qualecumque potius specimen, quam ut cupidis [haud dubie ad libellum ipsum rejiciendis] satisfaciam.

Lectiones Breviarii Capuani de SS. Gervasio & Protasio.

Lectio I. *Gervasius & Protasius gemini* (447) *fratres, sancti Vitalis & beatae Valeriae filii, cum omnia sua pauperibus erogarent, in uno se cenaculo concluserunt, per decem annos lectioni & orationi vacantes. Qui in anno conversionis suae undecimo hoc ordine ad palmam martyrii pervenerunt. Superveniente comite Astasio, qui contra Marchomannos proficiscebatur ad bellum, deorum cultores eidem occurrerunt, asserentes quod dii sibi respondere contemnerent, nisi prius Gervasius & Protasius immolarent.*

Lectio II. *Statim igitur tentos ad immolandum hortatur. Cui cum Gervasius diceret, ab Omnipotente Deo ipsum debere victoriam quaerere, non ab idolis surdis & mutis; tamdiu plumbatis cedi jussit, quamdiu spiritum exhalaret. Deinde Protasium fecit astare, eique dixit: Miser vel tu vivere stude, & non cum fratre tuo mala morte perire. Cui Protasius: Quis est miser, ego qui te non timeo, aut tu qui me timere probaris? Tunc comes eum fustibus cedi, deinde decollari praecepit.*

Lectio III. *Philippus autem servus Christi cum filio suo corpora eorum rapuit, & occulte in domo sua in arca saxea sepelivit:*

(447) Gemellos fuisse, ignotum antiquis fuit. Nec Ambrosius certe, nec alius Pseudophilippo antiquior id memoravit, aut saltem fratres eos fuisse dixit. Itaque ex Pseudophilippi libello id primum innotuit: ubi ad finem sect. 18. seu 2. *Quos uno ortu geminos genuerunt*. Nec temere hoc est, quod duo gemellorum paria duobus continuis diebus coli crediderunt. Sed Marcum & Marcellianum die hesterno celebratos vere geminos fuisse, acta S. Sebastiani haud dubiae fidei testantur. De hodiernis vero est quod dubitem. Si dandus est conjecturae locus; equidem suspicor, hunc Pseudophilippum, quum quinto aut summum sexto ineunte saeculo vulgi sermones omnes ore aut scripto traditos corraderet, ut suum hunc libellum componeret, inaudivisse aliquid de martyrum horum διδυμότητι. Nam quia eos uno veluti partu martyrium caelo pepererat, & quia ex uno sepulcro, tamquam communi alvo prodierant, ac tandem quia horum festum celebritati Marci & Marcelliani vere geminorum succedebat; ex his ansa dabatur, ut cum hesternis vere gemellis hodierni saltem μεταφορικῶς gemini compararentur. Quod paullatim, ut in his fit, pro historica circumstantia haberi coepit, & a Pseudophilippo isto est serio traditum.

livit : & libellum eorum ortum , finem & vitam continentem ad caput ipsorum posuit . (448) *Passi sunt autem sub Nerone , qui coepit circa annum Domini* (449) *quinquagesimum .* (450) *Horum sepulchra sanctus Ambrosius Domino revelante reperit : & ita incorrupta eorum corpora sunt inventa , ac si eodem die interempti fuissent .*

C A P. III.

In Ambrosii epistolam LIII. & in Pseudophilippi libellum adnotata aliquot.

§. I. *In priores duas sectiones . Inscriptio SERVVS CHRISTI ab episcopis V. saeculi usurpata . AVGMENTARE JEJVNIVM , sive SVPERPOSITIO . Locus libelli hujus Graece a Damasceno productus .* Exaltare *superius quam vim habeat . Revelatio Ambrosio facta non tantum ex Augustino , sed & ex Paulino Nolano , & ex ipso Ambrosio asseritur & illustratur .* Gratiam *quid Ambrosius vocet . S. Ambrosius metropolitae jura non nomen usurpabat . De antiquitate Mediolanensis metropoleos . In martyrum inventione ritualis episcoporum fossio .* Fossarii *ecclesiarum . Martyrum corpora incorrupta patuisse , non tantum ex Augustino , sed ex ipso Ambrosio comprobatur.* Reliquiae & Ossa *quid valeant . Textus libelli ex Breviar. Capuano suppletur . Protasius prior nativitate terrena, Gervasius caelesti; qua ratione hic saepius prior nominari solet .*

Jam vero in libellum illum , de quo tamdiu loquor, aliquid animadversionum aspergere non pigebit . Sequar autem sectiones editionis Papebrochii ad hunc diem pag. 821. Quarum quidem numeros, quum ille cum praecedentibus commentarii sui numeris continuet ; hinc prima Pseudophilippi sectio est Papebrochio 17. & sic deinceps .

Inscriptio hujus spuriae Ambrosii epistolae talis est : *Ambrosius SERVVS CHRISTI Fratribus per omnem Italiam , aeternam in Domino salutem .* Merito taxat hanc epigraphen Tillemontius, tamquam Ambrosio inusitatam . At saltem (quod nunc mea interest) a medii aut vergentis V. saeculi consuetudine non abludit . Illud certe *Servus Christi* Hilarus Papa , qui Leoni Magno successit , usurpavit in inscriptione , quae in Baptisterio Constantiniano in sacello S. Joannis Evangelistae legitur in hunc modum: *Liberatori suo beato Joanni Evangelistae Hilarus episcopus FAMVLVS CHRISTI .* Hinc credo factum , ut qui eodem desinente saeculo epistolam de SS. Gervasio & Protasio sub nomine Ambrosii evulgavit, pari inscriptione usus fuerit . Sicuti & altera spuria ejusdem Ambrosii epistola de SS. Vitalis & Agricolae inventione haud absimilem inscriptionem gerit , quae talis est : *Ambrosius servus Jesu Christi, vocatus episcopus, dilectissimis fratribus & universis plebibus per Italiam, aeternam in Domino salutem.* Postremo ea videtur communis fuisse spuriarum , sed tamen bene veterum , Ambrosii epistolarum epigraphe . Nam & ea quae est de S. Agnetis passione, parem inscriptionem gerit in meo antiquo Breviario Capuano ; etsi in S.Ambrosii editione Maurinorum patrum ἀνεπίγραφος exhibetur .

Sectione 18.(h.e. 2.) de inventione sic narrare incipit personatus Ambrosius , cujus nomen epistola 53. praesefert : *In diebus transactae nuper quadragesimae .* Id vero criminatur Papebrochius & alii , nempe rem exploratissimam rati , Martyrum horum corpora mense Junio reperta fuisse . Verum hanc calumniam

 capi-

(448) Vsque huc ex libello Pseudophilippi contracta sunt . At sequens periodus (de martyrio sub Nerone perfecto) aliunde prorsus est : nam ex Pseudophilippo potius colligitur , eos sub M.Aurelio anno 168. palmam consecutos , ut cap. seq. ad sectionem penult. adnotabimus .

(449) Tempus παχυτέρως consignatur . Nam re vera Nero anno LIV. Claudio successit.

(450) Haec ultima periocha tota ex Beda est , cujus elogium supra Adnot. 446. recitavimus . Quamquam Pseudophilippi libellus Bedae praeluxerat , uti supra eadem Adnot. 446. ostensum fuit .

capite 1. depulimus. Unde & argumentum exsistere diximus ejusmodi. Quum hic auctor (de cujus antiquitate non est dubitandum) in tempus quadragesimae incidisse inventionem testetur; ex eo fit, festum quod antiquitus die XIX. Junii celebrabatur, non ad Reliquiarum repertarum aut repositarum, sed ad martyrii memoriam pertinuisse.

Pluribus interjectis: *Ad impetrandum vero quod poscebam a Domino, AUGMENTAVI jejunium*. De ὑπερθέσει h. e. *superpositione* istud est capiendum, quando scil. per duos, tres, quatuorve dies jejunium per omnimodam ἀγευστίαν (*nihil gustando*) continuabatur: quod quadragesima in primis fieri consuevit, in primis in majore hebdomada. Quod de *superpositione* Noster heic agat, liquet ex eo quod sequitur: *Tertia vero nocte defecto jejuniis corpore, non dormienti sed stupenti . . . apparent* duo illi ephebi, de quibus supra. *Defectum jejuniis* (continuatis nimirum, nec ad vesperam solutis) *corpus* dicit, eaque de causa se somnum non cepisse. Nam si proxima vespera de more solvisset jejunium, frustra in jejunia causam non admissi somni contulisset. Jam vero quod *augmentandi* verbum heic usurpatur, id probum est ac prisce dictum. Gregorius Turonensis de vitis Patrum cap. 15. *Diebus autem quadragesimae sanctae addebatur AUGMENTUM abstinentiae, ciborum diminutione*.

Jam vero apparitionis hujus initium, ex quo coepi decerpere, juvabit paullo uberius afferre, & cum Damasceni Graeca interpretatione (cujus in Adnot.445. mentionem feci) conferre. Is ergo, qui tantisper S. Ambrosii sibi personam induxit, sic narrat: *Tertia vero nocte, defecto jejuniis corpore, non dormienti sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparent* (duo illi ephebi, de quibus supra, Gervasius scil. atque Protasius) *Persona, quae similis esset B. Paulo, cujus vultum me pictura docuerat*. Hunc vero integrum locum totidem verbis in partes suas advocat S. Jo: Damascenus ad calcem alterius orationis, quam de Imaginibus scriptam reliquit: cui loco hunc praeposuit indicem: Τοῦ ἁγίου Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολάνων, ἐκ τῆς πρὸς πᾶσαν Ἰταλίαν ἐπιστολῆς. *Sancti Ambrosii Mediolanensium episcopi, ex ejus epistola ad omnem Italiam*. Sic enim epistola illa in Ambrosii editionibus inscribitur, *Ambrosius servus Christi Fratribus per OMNEM ITALIAM* &c. Deinde is locus sic Graece concipitur. Τῇ νυκτὶ δὲ τῇ τρίτῃ, ἐκ νηστείας μοι ἤδη καταπεπονημένου σώματος, οὐ καθεύδοντι ἀλλ' ἐν ἐκστάσει ὄντι, μετά τινος προσώπου μοι κατεφάνησαν, ὃ προσεῴκει τῷ μακαρίῳ Παύλῳ τῷ Ἀποστόλῳ, αὐτῆς τῆς ἐν εἰκόσι γραφῆς τὸν αὐτοῦ χαρακτῆρα διδασκούσης σαφῶς. Et haec quidem pulcherrima interpretatio Damasceno videtur antiquior, ut ante dixi in Adnot. 445.

Post non pauca Paulus sic monet Ambrosium: *Arcam* (in qua martyrum reliquiae) *superius exaltabis*. Non otiosum est illud SUPERIUS. Nam *Exaltare* ancipiti notione sumebatur, tum sursum, tum etiam deorsum, uti ostendimus die XIV. Maii ad acta S. Bonifacii mart. in quibus *Exaltari* dicitur quod deorsum, & quidem *alte* in terram depangitur.

Hactenus visio Ambrosio oblata procedit. De qua quidem scrupulum injicit Tillemontius, quippe quam Ambrosius epist. ad sororem non memoret, sed potius ad instinctum nescio quem totum consilium effodiendae terrae referat. *Statimque*, inquit, *subiit veluti cujusdam ardor praesagii*. Sed bene est, quod tacente Ambrosio, aperte id testatus sit Augustinus IX. Confess. 7. *Tunc memorato antistiti tuo PER VISUM aperuisti, QUO LOCO laterent martyrum corpora Protasii & Gervasii*. Quibus verbis non tantum de visu fidem facit, sed & de loco per visum commonstrato, ut heic narratur. Et tamen hoc alterum negavit Tillemontius Not. 2. media. Jam vero idem Augustinus in XXII. de Civit. 8. *Quae* (corpora Protasii & Gervasii) *quum laterent, & penitus nescirentur, episcopo*

ſcopo Ambroſio PER SOMNUM revelata, reperta ſunt. Addatur utriuſque (tum Auguſtini tum Ambroſii) amicus Paulinus Nolanus, qui de ea revelatione Ambroſio facta ſic cecinit:

Poſtquam ignoratos prius, & tunc INDICE CHRISTO
Detectos ſibimet, mutata tranſtulit aula.

Quamquam quid diſſimulo? Ambroſius ipſe in ea ad Sororem epiſtola utrumque (tum viſum ſcil. tum locum) non obſcure attendenti ſignificat. Etenim poſt populi acclamantis ſtudium, *Subiit*, inquit, *veluti cujuſdam ardor praeſagii*. Quo loco *Praeſagium* haud dubie eſt *Divina ſignificatio*: quocirca illud *Cujuſdam ardor praeſagii* non aliud eſt, quam *Divinae alicujus ſignificationis cupiditas*. Sequitur: *Quid multa? Dominus gratiam dedit*. Hoc eſt, quod exoptabam, ut mihi Reliquiae divinitus patefierent, hoc Dominus gratificatus eſt. Eo loci quid GRATIA eſſet, tunc ſatis a ſorore perſpiciebatur; quippe quum eo vocabulo in his revelationibus uti tunc conſueſſent. Pergit: *Juſſi eruderari terram . . . inveni SIGNA CONVENIENTIA*: eccui vero rei convenientia, niſi praeviae Divinae revelationi?

Jam vero poſt viſionem convocaſſe ſe narrat Ambroſius *omnes per circuitum fratres & coepiſcopos urbium vicinarum*: Id quoque quaſi aetati Ambroſii non conveniens Tillemontius Not. 2. Papebrochius & alii criminantur. Verum etiam ſi Ambroſius epiſcopus unus e multis fuiſſet, tamen invitare finitimos antiſtites poterat. Ceterum Ambroſium (utpote ſedis ejus epiſcopum, quae *Metropolis Italiae* Athanaſio & Theodoreto dicta fuit) metropolitica jura exercuiſſe, ex ejus epiſtolis conſtat, quas laudat Dominicus Georgius in *De metropolibus Italiae* extremo cap. 22. Scimus & eumdem Ambroſium epiſcopos coegiſſe ad concilium, & plura alia feciſſe, quae cuivis facere minime licuiſſet. Etſi illud quoq. fateor nondum eo tempore morem obtinuiſſe, ut Mediolanenſes epiſcopi ſibi *Metropolitae* aut *Archiepiſcopi* nomen arrogarent: quod aliquamdiu poſtea inductum fuit. Quocirca quod heic nondum metropoliticae dignitatis nomen ullum uſurpetur, id vero antiquitatem hujus ſcripti arguit.

Sequitur mox: *Primus ego* (inquit Ambroſius) *terrae foſſor acceſſi: ceteri epiſcopi proſecuti ſunt*. Hoc vero Tillemontius Not. 2. adverſari ait verbis iis, quae epiſt. ad ſororem leguntur, *Juſſi eruderari terram*. Sed nihil eſt inter utrumque diſcidii. Epiſcoporum enim foſſio tantum ritualis fuit: in laborem mox operae ſucceſſerunt: non quidem operae in id conductae, ſed ii proprie, qui Eccleſiae *Foſſarii* vocabantur, & ordinem quemdam eccleſiaſticum ſed ultimũ conſtituebant. Iidem in libello precum Marcellini & Fauſtini *Foſſores* & *Arenarii* vocabantur, Graecis autem κοπιαταὶ & κοπιῶντες.

Sequitur: *Quam* (arcam) *aperientes, invenimus quaſi IPSA HORA poſitos Sanctos, miro odore fragrantes*. Ex his verbis, *quaſi ipſa hora*, expreſſit Beda illud, *Et ita incorrupta eorum corpora ac ſi EODEM DIE fuiſſent interempti*. Quae quidem circumſtantia fruſtra a Tillemontio Not. 3. & aliis carpitur. Etenim praeiverat Auguſtinus in IX. Confeſ. 7. qui *Incorrupta* patuiſſe tradit. Nec audiendus eſt Tillemontius, qui iſtud *Incorrupta* ex Ambroſio explicandum eſſe contendit, qui *Oſſa integra* (h.e. *non comminuta*, uti Tillemontius interpretatur) reperta ait: non inquam eſt audiendus, quia Auguſtinus non oſſa, ſed ipſa corpora incorrupta fuiſſe ſcripſit his verbis Deum alloquens: *Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent martyrum corpora Protaſii & Gervaſii, quae* (corpora) *per tot annos INCORRUPTA in theſauro ſecreti tui recondideras*. At Tillemontius videlicet ad Ambroſium provocat, non aliud quam *Oſſa* & *Reliquias* memorantem, quae corporum non integrorum vocabula exiſtimat. At vir doctiſſimus fallitur. Nam *Reliquiarum* nomine aevo meliore corpus

pus

pus (451) integrum veniebat: qua notione haud dubie Ambrosius *Reliquias* usurpavit in laudata toties ad sororem epistola: *Inviolatae reliquiae loco suo & ordine repertae.* Ubi *Reliquiae* sunt integra corpora, quae *inviolata* dixit, sane eleganter, Alludit enim ad sepulcrorum jura apud Romanos, quae *violari* dicebantur, siquis sacrilegus aliquid ex corpore detraxisset. Atqui his martyribus non modo hominum, sed ne temporis quidem rapacitas injuriam intulit. Deinde quomodo Ambrosius non incorrupta fuisse significavit, qui proxime scripserat: *Sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphalis notae.* Et ad finem epistolae: *Sanguis hic* (quasi si recens effusus) *clamat coloris* (vividi) *indicio.* Ac scimus eum sanguinem linteis exceptum fuisse, ac longe lateque ab Ecclesiis expetitum, toti posteritati venerationi fuisse. At enim (excipit Tillemontius) quo pacto illud ejusdem epistolae interpretabimur, *Ossa omnia integra*: & illud *Condidimus integra ad ordinem*? An non *ossa integra* h.e. non comminuta notat? ea vero condita *ad ordinem* dixit, ad illũ scil. ordinem disposuit, qui in compage humani corporis cernitur: quod loquendi genus Ossa ab se invicem disjuncta fuisse notat. At equidem *Ossa* cohaerentia accipio, quibus cutis desuper superfunditur, ut *Ossa* sint ipsa corpora: quod haud raro (452) usurpatur. Aut si Ossa mavis singula interpretari; vel sic pulchre Ambrosio cum Augustino conveniet. *Invenimus* (inquit Ambrosius) *mirae magnitudinis viros duos.* En duo corpora integra & compaginata. Ne vero in speciem tantum integra suspicareris, sed cinereae tamen substantiae; statim addit, *Ossa omnia integra* (i. e. solida, non friabilia): *sanguinis* [recentis, uti proxime ostendimus] *plurimum.* Postremo addit: *Condidimus integra* [nihil scil. ex eis delibantes] *ad ordinem* [aliter *ac ordine*] ad illum scil. ordinem, quo Protasius atque Gervasius priore in sepulcro jacuerant, ut alter dextrum, alter laevum latus teneret. Atque haec ad martyrum gloriam dicta sunto: quae tamquam recens sepulta, sic ab Ambrosio reperta fuisse, libens Augustino & huic, in quem commentamur libello, credo.

Hujus sectionis verba ultima ejusmodi sunt: *Quorum mater Valeria & pater Vitalis dicti sunt; quos uno ortu geminos genuerunt, & unum Protasium, alium Gervasium vocaverunt.* Haec ultima periodus verbis totidem in Responsorio Lectionis primae Breviarii Capuani leguntur, sed auctiora; ibi enim sequitur versiculus ejusmodi: *Quos in fide Christi educantes ab ipsis pene cunabulis sacris litteris nutriendos tradiderunt.* Quam quidem periocham olim in Pseudophilippo lectam post superius recitata verba fuisse, crediderim, quum

(451) *Reliquias* eadem notione Latini usurpabant, qua Graeci λείψανα. Utraque vox ubi ad hominum cadavera refertur, proprie eam totius hominis partem significat, quae abeunte anima in homine relinquitur. Totum igitur cadaver, non ejus partem, respectu animae ab eo profectae, tum *Reliquias*, tum etiam *Exuvias* appellabant. Et exempla quidem ejus notionis passim apud optimos utriusque linguae scriptores reperies. Sed quia in Ambrosium commentamur, malo ex eadem aetate unum aut alterum producere. Nazianzenus Orat. in Cyprianum, ejus solidum corpus ἅγια λείψανα *sanctas reliquias* vocat. Ex Latinis autem prodeat in medium Ammianus. Is extremo lib. XXI. ubi pollinctum defuncti Constantii corpus conditumque in loculis narrasset, addit: *Eique vehiculo ... quod portabat RELIQVIAS* &c.

Non nego quidem nonnumquam inter *Corpus integrum* & *Reliquias* fuisse distinctum; sed id discriminis ad ustrinam pertinet. Nam ad discrimen corporis non combusti (quod *Corpus integrum* interdum dicitur) placuit interdum combusti cineres appellari *Reliquias.* Apud Grut. p. 689. 8. *Corpus integrum conditum sarcophago* dicitur. At contra p. 471. 7. *Reliquiae corporis Tarquini Prisci* ... Eamque in partem accipitur JCtus Florentinus l. *Monumentum* D. *de relig.* At ei distinctioni in corporibus non crematis locus esse nullus potest.

(452) *Ossa* saepissime in veteribus epitaphiis titulis cadaver significant; sicuti & interdum apud JCtos aliosque scriptores.

quum a Pseudophilippo totum ferme officium Breviarii Capuani prodierit. Id vero est notatu dignum; quippe hinc discimus, hos martyres parentibus Christianis ortos, ab ipsa infantia Christi cultores fuisse. Jam vero quod modo dictum fuit, *Unum Protasium*, *alium* [in Brev. Cap. *alterum*] *Gervasium vocaverunt*, in eo ordo nativitatis servatur, qui ordo nomini congruit. Nam qui primus natu fuit, is Protasius [a πρῶτος, *primus*] dictus est. Idem ordo in Augustino, Sacramentariis quibusdam, & alibi obtinet. At plerumque tamen in Pseudophilippo & alibi passim Gervasius praeit; non alia, uti reor, de causa, quam quia ad palmam prior pervenit, (ut ex hoc libello patet) & nativitate caelesti prior fuit.

§. II. *In reliquam libelli partem*. Militares consularium *qui?* Consularium *vocabulum Hadriano posterius*. Sagmarius & Saumarius. Caedes & Macto. Conversio *quid huic scriptori & aliis sit. Sub M. Aurelio & L. Vero hos martyres, quam sub Nerone occubuisse, credibilius est. Annus martyrii. Gervasio non abscissum fuisse caput, non modo ex libello, sed etiam ex Ambrosio ostenditur.* Biothanati *martyres a gentilibus nuncupati*.

Sectio 19. (sive 3) sic incipit: *Quorum pater Vitalis erat militaris consularis*. Papebrochius heic syntaxin convenientiae intellexit (unde & merito queritur, nusquam *Militarem consularem* inter magistratus reperiri) quum sit potius syntaxis regiminis. *Militarem* autem *consularis* quid Noster vocet, haud est dictu difficile. Vox *Militaris* in inscriptionibus eum significat, qui aliquando militavit, aut qui adhuc militat. Hanc notionem firmant loca plura scriptorum historiae Augustae, & acta SS. Tharaci & sociorum. Vide Casaubonum, & Salmasium ad Trebellium in Victorino, & alios plures. Salmasio autem non assentior, qui *Militarem* eum tantum definit, qui olim militaverit; nam ut alia exempla taceam, hic certe Vitalis adhuc militabat, uti jam videbitur. Nam quod *Consularis militarem* fuisse dicit, id eo pertinet, quod Vitalis hic in officio consularitatis adhuc militabat. Id quod ex eo quod statim subjungitur, constat. *Hic* (Vitalis) *quum fuisset cum Paulino judice suo* (i. e. consulari illo, sub quo adhuc militabat) *Ravennam ingressus*. Constat & ex eo quoque, quod ead. sect. dicitur, Vitalem post illud tempus detrectasse apparitionem, quam consulari praestabat. Non fuit igitur haec legionaria militia, sed qualis eorum erat, qui quoquomodo praesidibus apparebant. *Consularis* porro nomen [si vera Pseudophilippus narrat] vetat hos martyres ad Neroniana tempora referre; quia consularium in Italia institutio Hadrianum auctorem habuit. Itaque malim, sub M. Aurelio haec gesta fuisse: de quo infra.

Sect. 21. [seu 5.] *Qui eam* [Valeriam matrem Gervasii & Protasii] *deponentes de saumario*. Scripserat auctor *Sagmario* [quid sint *equi sagmarii*, nemini est obscurum] deinde amanuenses saeculi barbariei obsecundantes, *Saumario* reposuerunt. Nam *Sauma* & *Saumarius* aetas posterior usurpare maluit; unde apud Italos voces *Soma* & *Somiero* manarunt. Post pauca: *Tanta eam caede* [gentiles] *mactaverunt*, *ut vix seminecem* relinquerent. Heic vides *caedem* pro plagis seu actu caedendi, & verbum *Mactare* pro eo quod est verberare usurpari: utrumq; non barbare. De *Macto* pro *caedo* aut *verbero*, alicubi ad acta praecedentium sanctorum memini me aliquid adnotasse. Hinc instrumentum quo caeditur *Mazza*, & ictus ipse *Mazzata* Italis dicitur.

Ibidem in fine hodierni martyres post parentum suorum certamina *domum propriam*, *& res parentum & casellulas* (h. e. rusticas casas) *venumdantes*, *dederunt pretium omne pauperibus & familiolae* (κυριολέκτως servos *familiam* vocat) *quam etiam ingenuam fecerant*. *Ipsi vero in uno cenaculo se concluserunt*, *per decem annos lectioni & orationi & jejuniis vacantes*. *Decimo autem anno*, *CONVERSIONIS suae undecimo*, *ad palmam martyrii hoc ordine*

dine pervenerunt. Haec eo integra recitavi, ut intelligas quid *Conversionem* appellet. Non enim conversionem ad Christianismum intelligit [nam ex iis quae ex Breviario Capuano supra recitavi, ubi ad finem sect. 18. seu 2. commentabar, hi martyres ab incunabulis Christo servierunt] sed ad vitae asceticae institutum: quod statim a morte parentum capessiverunt tum, quum redacta ex divendito patrimonio pretia largiebantur. Itaque annus martyrii undecimus fuit ab ἀσκήσεως initiis, at ab ea vita, quam in cenaculo gesserunt, decimus. Ea ferme notione postea *Conversio* in Arausicano I. can.22. Arelatensi II. can.2.& alibi usurpata fuit. Hinc etiã *Conversionis* vox pro monasticae vitae proposito adhiberi coepit, & *Conversi* pro monachis, *Converti* pro monachismum amplecti.

Sectio 22. (seu 6.) sic incipit. *Eodem tempore superveniente comite Astasio* [*Comitis* vox sub Constantino maxime in vocabulum dignitatis transiit: quod vocabulum satis arguit, haec Pseudophilippum magis ex narrationibus suorum temporum, quam ex satis antiquo scripto hausisse] *qui proficiscebatur ad bellum, quod a Marcomannis fuerat excitatum, occurrerunt illi templorum cultores cum Sacerdotibus suis, dicentes: Si vis laetus ad AUGUSTOS NOSTROS reverti victor, Gervasium & Protasium sacrificare compelle.* Haec pluscula ideo adscripsi, ut appareat, Pseudophilippi aevo horum martyrum certamen ad tempora divorum fratrum h. e. M. Aurelii & L. Veri referri placuisse. Nec enim ante divos fratres Augustorum plurium mentio fieri poterat: proinde errare eos, qui nullo prorsus fundamento nixi, martyrium illud ad Neroniana tempora retrahunt. Fateor Tillemontium Not. 1. vulgarem opinionem de Neronis aetate sequi: sed quam imbecillo tibicine ea opinio fulciatur, ipsemet agnoscit. Atqui equidem sic rationes ineo. Qui martyrum historias adulterare satagebant, ii quanta maxima antiquitate poterant, martyres sibi ad exornandum propositos donare adnitebantur. Itaq. in spuriis historiis saepe legimus sub Domitiano, sub Nerone, sub Trajano, sub aliis antiquioribus Caesaribus hos aut illos pugiles poni, qui re vera in Diocletiani persecutione decertassent. Id quidem millies accidit. Ergo hic Noster nihil haud dubie maluisset, quam sub Nerone Gervasium atque Protasium necari, ut leto illustriore illos occumbentes, ipso scil. aevo Apostolico, induceret. Nunc quia id salva sui temporis traditione docere non potuit; ei traditioni dare manus necesse habuit, & horum martyrium sub Augustis duobus posuit. De anno si quaeras; percommode in annum 168. conferetur: quo anno victoriam de Marcomannis (quorum heic Pseudophilippus meminit) relatam chronicon Eusebianum tradit. Potuisset & ad annum sequentem referri [quo anno in Germanos & Marcomannos iterum rebellantes legimus profectos esse Augustos fratres] nisi media hieme anni 169. mortuum L. Verum sciremus, ac proinde mense Junio (cujus die XIX. Gervasium & Protasium oppetiisse, ad Pseudophilippi calcem legebatur, & hi fasti marmorei adstipulantur) unum, non duos imperatores remp. gubernasse.

Eadem sectione extrema Astasius *jussit eum* (Gervasium) *tamdiu plumbatis caedi, quamdiu exhalaret spiritum.* Atqui [inquit Tillemontius Not.2.] hoc mortis genus Ambrosio repugnat, qui epistola ad Marcellinam hos athletas capite detruncatos significat. Sed miror hoc viro summo excidisse, quum aperte ibi Ambrosius non nisi unius avulsi capitis mentionem faciat. *Reliquiae*, inquit, *loco suo & ordine repertae: avulsum humeris caput*. Atqui si ambo obtruncati fuissent, haud dubie scripsisset, *Avulsa humeris capita*. At enim, inquies, ambos *flexisse colla*, utique a percussore feriendos, citra ambages idem Ambrosius in Comm. in Lucam. cap.13. scripsit. Verum eo loci nomina Gervasii & Protasii intrusa a manu posteriore fuisse, jamdudum Benedictini

mona-

monachi monuerunt, quos (453) vide si lubet.

Sect. 23. (sive 7.) initio: *Noli biothanatus fieri.* Vox *biothanatus* in martyrum actis saepe recurrit: quo nomine ethnici Christianos ultro se violentae morti devoventes donabant. Occurrit idem vocabulum apud Lucianum, Tertullianum, Jul. Firmicum, Lampridium: quod jam viri docti observarunt.

XX · P S SINCRITI MĀR

EX littera P. quae huic diei praefigitur, intelligimus, in hunc ipsum diem hujus martyris *Passionem* incidere. Qui quidem haud dubie *Asyncritus* ille est, cujus cum sociis Ἄθλησις h. e. *certamen* sive *Passio* hoc die colitur a Graecis. Nam in Synaxario Ms. Parisiensis Collegii S.J. hoc die sic scribitur [apud Henschenium hoc die pag. 6.] Ἄθλησις &c. *Certamen sancti Hieromartyris Asyncriti. Celebratur ejus sollemnitas in* (μαρτυρίῳ) *Martyrio S. Isidori*(454)*intra Ecclesiam S. Irenes quae est ad mare.* De ea Ecclesia & Martyrio Isidori vide Cangii CPolim Christianam, & hoc die Henschenium. In eodem Synaxario eodem die ubi de SS. Methodio & Josepho dictum fuerat, rursus inseritur *Certamen S. Martyris Asyncriti* (καὶ τῶν σὺν αὐτῷ) *& sociorum. Celebratur vero eorum sollemnitas* &c. In quo additamento duplex discrimen a superiore annuntiatione est, tum quod *martyr* tantum vocetur, qui supra *Hieromartyr* dictus est, tum quod ei commilitium, sed suppressis nominibus, adjungatur. Nec minus eidem Asyncrito *Socii* tribuuntur in Mss. Menaeis tum Mediolanensibus, tum etiam Divionensibus: qui quidem socii in nostris fastis marmoreis heic & alibi passim sub signiferi nomine subaudiendi relinquuntur. In eisdem Menaeis manu exaratis hi senarii leguntur.

Ἀσύγκριτον σφαγέντα Κυρίου πόθῳ
Ἀσύγκριτα στέφουσιν ἀξίως στέφη.
Jugulatus ecce amore Christi Asyncritus
Merito corona incomparabili nitet.

Ex quibus genus martyrii cognoscimus.

Duplex autem de hodierno martyre controversia agitari potest, una de orthographia nominis, altera de eo an distinguendus sit ab Asyncrito Pauli ad Roma-

(453) In Ambrosii lib. VII. in Lucam ad illud cap. XIII. 19. *Simile est grano sinapis,* sic legitur: *Granum sinapis martyres nostri sunt. Felix, Nabor, & Victor, Gervasius & Protasius, & Nazarius habebant odorem fidei, sed latebat. Venit persecutio: ARMA POSUERUNT, COLLA FLEXERUNT: contriti gladio per totius terminos mundi gratiam sui sparsere mysterii.* Ex quibus, & obtruncatos fuisse, & ante professos militiam intelligitur. Verum Benedictini patres in sua optima editione pag. 1453. adnotant, Gervasii, Protasii, & Nazarii nomina ab omnibus Mss. codicibus, quos ipsi vidissent, abesse: ceterum videri in aliquo recentiore Ms. addita ob eam caussam fuisse, quod Mediolani, ubi decertarunt, eximie colerentur, & alibi ab Ambrosio celebrati fuissent. Jam vero quod ibid. idem adnotator addit, eadem *Gervasii* &c. nomina reperiri in omnibus editionibus, id falsum est. Nam nec in Romana illa optima leguntur, nec in iis quae ex Romana expressae fuerunt, ut Parisiensi anni 1603. & Coloniensi anni 1616. Porro illud omitti non debet, quod etiam a Corbejensi [scripto abhinc 900. annos] Ambrosii codice eadem tria nomina exsulant. Quocirca vera est Pseudophilippi narratio Protasium tantum obtruncantis, & Ambrosii epist. ad Sororem unum dumtaxat *avulsum humeris caput* memorantis: frustra reclamante Tillemontio.

(454) In Graeco Synaxarii Parisiensis apud Henschenium est ἔνδον τῆς ἐκκλησίας &c. *Intra Ecclesiam S. Irenes.* At idem Henschenius ibid. num. 3. ex vita S. Isidori mart. narrat S. Marcianum extruxisse aedem S. Isidori *PROPE* [non *intra*] *S. Irenem.* Adhaec Cangius in CPoli Christiana lib. 4. pag. 148. num. XXI. citat ex Synaxariis ad X. Januar. in S. Marciano: *Aedificavit templum S. Irenes ad mare* [ἐπιγράψας: sed corr. ἐπισυνάψας] *adnectens ei oratorium S. Isidori.* Ex his vides in suprascripto Synaxario Parisiensi pro ἔνδον scribendum esse ἐγγὺς, *prope.*

manos. Prior levior est. Sed tamen auctoritas nostri marmorei Kalendarii (quod antiquius plerisque Graecorum officiorum libris esse non dubito) suadere poterat, nomen esse trisyllabum, & Graecorum potius scriptionem una syllaba redundare, quam peccasse nostros, qui *Syncritum* in hisce marmoreis tabulis scalptum reliquerunt. Verum absit ut studio marmorum nostrorum plus nimio abripiar. Etenim pro *Asyncrito* tetrasyllabo quantum usquam exstat Graecorum monumentorum militat. Ac facilius multo fuit, sic nostros SINCRITI pro *Asyncriti* scripsisse, sicuti *Spania* pro *Hispania* & alia plura eodem aevo aphaeresim patiebantur. Facilius, inquam, id fuit, quam in eo perscribendo vocabulo Graecos erasse, apud quos S. Asyncriti cultus in Martyrio S. Isidori CPoli vigebat. Adde quod in disticho supra recitato, nisi id nomen tetrasyllabon sit, versus concidat necesse est, & quod ii senarii allitterationem ad *Asyncriti* nomen (quod *Incomparabilem*) significat, complectantur. Postremo *Asyncriti* (i. e. *incomparabilis*) nomen laudem non mediocrem continet: at contra *Syncritus* (h. e. *comparabilis*) nihil est, quippe nec ad laudandum nec ad vituperandum pertinens. Proinde ea nomenclatio inepta fuisset. Hisce de causis etiamsi hodiernus athleta diversus sit ab Asyncrito, cui salutem nuntiat Apostolus (de quo jam dicemus) at certe ei cognominis esse debuit.

Ad alteram dubitationem quod attinet: quum Henschenius hoc die [pag. 7. num. 4.] satis in ταυτότητα (*identitatem*) propendeat; tamen equidem alia omnia initio sentiebam. Nec enim pro ταυτότητα aliud afferri potest, quam quod uterque episcopus fuerit. Nam quem Paulus ad Rom. XVI. 14. salutari jubet [*salutate*, inquit, *Asyncritum*, *Phlegontem* &c.] is *Episcopus* (*) *Hyrcaniae* fuisse dicitur tum in Menaeis (ad VIII. April. quo colitur) tum etiam in Pseudodorothei & Pseudohippolyti scriptis de LXX. Discipulis. Nec minus hodiernus Asyncritus episcopus fuerit necesse est, quum in Synaxario Parisiensis Claromontani Collegii ἱερομάρτυρος (*hieromartyris* h. e. episcopi & martyris) elogio decoretur; etsi in posteriore ejusdem festi praeconio ἁπλῶς vocetur *Martyr*. Ab hoc vero tantum communi hierarchico gradu ubi discesseris, cetera differre videbantur. Diverso enim die coluntur, ille die VIII. Aprilis, hic hodierno. Ille pro uno ex LXX. Discipulis, & pro eo, quem salvere jubet Apostolus, in Graecorum libris habetur: de hoc autem tanta haec decora tacentur: quae tamen reticeri minime debuissent, quandoquidem magno hunc alterum studio CPolis prosequebatur, quippe cujus anniversarium ἀθλήσεως (*certaminis*) festum in Martyrio S. Isidori celebrabat. Postremo hodierno Asyncrito diserte martyrii palma adscribitur, quae tamen de Apostolico, qui die VIII. April. colitur, prorsus (455) reticetur.

Sed tamen re melius considerata, id tamen ab Henschenio satis probabiliter excipi posse fateor, quod celebritas illa diei VIII. Aprilis communis plurium fuerit a Paulo ad Rom. salvere jussorum, *Herodionis*, *Phlegontis*, *Asyncriti*, *Rufi* &c. Eos autem praeter commune id festum, habuisse peculiares sollemnitates credibile est, diebus iis, in quos eorum passiones aut obitus incurrissent. Hinc quia *Asyncriti* a Paulo salutati passio in XX. Junii incidebat [unde in his Fastis P. h. e. *Passio* praescribitur, & in Graecis Officiis

Ἀθλη-

(*) *Hyrcania* Ptolemaeo metropolis fuisse dicitur regionis cognominis, quae *Hyrcania* vocatur, ac mari Caspio adjacet.

(455) In Menaeis aliisque libris de Asyncriti Apostolici martyrio verbum nullum: de quo in Menaeis hoc distichon adscribitur, quo nihil aliud quam allusio ad ejus nomen (quod *Incomparabilem* notat) continetur.

Ἀσύγκριτον εὗρεν ὁ Ἀσύγκριτος δόξαν,
Δοξάσας ἐν γῇ τὸν Θεὸν ἀσυγκρίτως.
Incomparabilem Asyncritus fert gloriam,
Incomparabili Deum ornans gloria.

Ex quo disticho recentiorum Graecorum facile ingenium agnoveris.

Ἀθλήσις) hinc seorsum hoc die *Asyncritus* Apostolicus coli videri potest. Ceterum quia hoc die in laudatis Graecorum libris nullum elogium legitur; mirum non est, si de eo tacetur Pauli discipulatus: qui tamen ex die VIII. Aprilis supplendus relinquebatur iis, qui CPoli hunc Asyncritum haud alium ab Apostolico esse probe norant. Accedit nostrarum ephemeridum auctoritas: in quibus facilius dictu est, virum Apostolicum colendum proponi, quam quemvis alium plane ignorabilem.

XXI P S RVFI MĀR

C A P. I.

De hodierno Ruso.

RVfos martyres haud paucos tabulae ecclesiasticae memorant. Sed ut eos taceam, quos certum est huc minime pertinere: estne hodiernus idem ac Rufus ille, quem salutari jubet Apostolus epist. ad Rom. XVI. 13.? Hunc quidem Latini die XXI. Novemb. colunt, Graeci vero (ut hesterno die monuimus) die VIII. April. junctim cum Asyncrito & aliis ibidem ab Apostolo memoratis in omnibus suis libris venerandum proponunt, & unum habent ex LXX. discipulis, ac Thebarum episcopum fuisse volunt. Sane quum Asyncritus a Paulo salvere jussus in his fastis signatus hesterno die fuerit; videri possit hodiernus *Rufus* ad eum pertinere Rufum cui ibid. Paulus salutem impertivit; ita ut duobus continuis diebus Apostolicos duos ac Pauli familiares colere Neapolitanis in mentem venerit. Hoc quidem pro Rufo Pauli dici potest. At contra difficile dictu est, hos duos Pauli necessarios duobus contiguis diebus pro Christo immolatos fuisse. Et tamen non minus hodierno Rufo, quam hesterno Asyncrito littera P. h. e. *Passionis* nota praescribitur. Aliud igitur cogitetur, suadeo.

An vero est Rufus ex iis duobus (456) unus qui Capuae coluntur, & Mrologio Rom. die 27. Augusti signantur? Non: quia Rufus is [qui facile unus idemque fuit, divulsus in duos] nostris hisce marmoreis tabellis eodem die XXVII. Augusti, quo colitur in Romanis fastis, affigitur. Taceo alios quosdam Rufos martyres, qui multo minus huc pertinere possunt.

Verum quid moror? Mihi dubium nullum est, quin hodiernus non sit alius quam *Rufinus* ille, qui in omnium Latinorum Mrologiis huic diei inscribitur. Nam quod *Rufus* a nostris dicatur, qui alibi semper ὑποκοριστικῶς *Rufinus* scribatur, id nihil est. Nam ejus moris, quo nomina diminutiva cum suis primitivis in uno eodemque homine aut caelicola (maxime aetate media) alternant, exempla passim innumera toto hoc commentario protulimus. Vel vide adnotata ad XVII. Januar. aut potius initio commentarii ad XI. Junii, ubi certe *Antoninus* est magnus Antonius.

Nec illud te turbet, quod Rufini socia *Martia* (aut *Marcia*) a nostris marmoribus absit: nam millies hoc monuimus, commilitones a nostris subaudiendos relinqui.

Hi autem, quos dixi, duo hodierno die in antiquissimis Hieronymiani mrologii apographis secundo loco sic proponuntur: *In Sicilia Rufini & Martiae*. In hodierno Rom. mrologio etiam secundo loco annuntiantur. At in Adone & ceteris IX. saeculi primo loco. Ado sic incipit: *Apud Siciliam civitate Syracusis natalis sanctorum mart. Rufini & Marciae*. Quae Usuardus descripsit. Similia habentur in Notkero, in Rhinoviensi, Richenoviensi, in mrologio reginae Suecorum, & Wandelberto. Ambos etiam Rom. parvum ante Adonem annuntiaverat.

(456) Rufus unus *Episc. & Martyr* inscribitur, alter *Martyr* Carpophori socius. De iis videatur Sanctuarium Capuanum Mich. Monachi.

rat. At Augustanum & Labbeanum unius Rufini meminerunt.

Ad Siculos scriptores ut veniam: Octavius Cajetanus *Breviarium Gallicanum*, *tabulas Ecclesiae Syracusanae*, & *vet. codices Mss.* testes advocat, dolens, eorum acta desid rari. At Joannes a S. Joanne, qui nuper de Siculorum officiis librum edidit, laudat *Breviarium Gallo-Siculum Matthaei Caldi* (quod idem, credo, fuerit ac *Gallicanum* Cajetani) & eos *apud Syracusas Siciliae* ponit. Ex quibus hoc saltem in omnimoda actorum inopia assequimur, hos martyres, apud totam retro antiquitatem illustres, Syracusis martyrium pertulisse: id quod jam antea Adonis, Vsuardi, Reginae Succorum, & Richenoviense mrologia docuerant. Haec de loco.

Ad diem quod attinet: ex nostris fastis [in quibus nota P. hoc est *Passio* praescribitur] has duas hostias hoc maxime die fuisse immolatas, nunc primum discimus. At Adoni & Vsuardo dies Passionis pro eorum consuetudine *Natalis* appellatur.

Illud nescio cur praeterieram, quod quoddam Ms. Florarium apud Henschenium [hoc die pag. 73.] utramque feminam fecit his verbis: *Apud Siciliam civitate Syracusa natale sanctarum martyrum Rufinae & Martiae.*

C A P. II.

De nullo Eusebii Caesariensis apud Neapolitanos cultu.

Quum omnia ad unum mrologia, tum quae sub Hieronymi nomine [457] circumferuntur, tum etiam quae IX. saeculo [458] scripta fuere, uno ore *S. Eusebium Caesareae Palaestinae episcopum* hoc die annuntient: ejus inquam Eusebii, a quo qui Arianam labem amoliri cupiunt, eos frustra laborare [459] compertissimum est: in eo, inquam, mrologiorum consensu laetor equidem quod interim a Neapolitanorum fastis medio IX. saeculo scriptis Palaestinus is praesul abesse reperiatur: forsitan ob eam caussam [quam tangit Tillem. to. VII. Art. XI. initio] quod aequiores se Latini quam Graeci [quibus Graecis tantisper libet Neapolitanos annumerare] ei se antistiti praebuerint.

Ceterum quid auctores mrologiorum transversos egerit, ut tam supine de Eusebii sanctitate judicaverint, quem recentis tunc memoriae synodus Nicaena altera (inter oecumenicas VII.) damnaverat, haud facile dixerim. Florentinius quidem pro Eusebio Caesareae Cappadociae episcopo irrepsisse ob nominis celebritatem hunc alterum *Cesareae Palaestinae* episcopum, suadere voluit, sed nemini praeter Papebrochium id persuasit; maxime quum de Cappadocis hujus sanctitate nihil usquam scriptum reperiatur.

At equidem eruditiss. Baronii sententiae libens accedo. Cui quum persuasum esset, in Latinorum mrologia Palaestinum Eusebium loco Eusebii Samosateni episcopi, & martyris fuisse intrusum; hinc in Rom. mrologium, quod sua potissimum cura auctius & emendatius prodiit, exturbato usurpatore, sanctissimum martyrem ac praesulem Samosatenum postliminio revocavit. Baronio, ut id faceret, Graeci in primis facem praetulerunt, in quorum Menologio Sirletiano

(457) Nempe Epternacense sive Antvverpiense (omnium, quae nunc exstant, antiquissimum) Lucense, & alia. At in Corbejensi Eusebius Caesareae Cappadociae episcopus annuntiatur: quod secutus est Florentinius. Ceteroqui non magna est Corbejensis apographi prae aliis existimatio.

(458) Nimirum Flori, Adonis, Notkeri, Vsuardi, & quaedam alia. Quae omnia descripsit Dominic. Georgius ad Adonem hoc die. Qui tamen (credo, motus auctoritate & exemplo Baronii, qui Palaestinum Eusebium prior ex Ecclesiae tabulis eraserat) in Adonis textu Eusebium historiographum omisit, contentus ejus omissa verba in subjectis var. lectionibus produxisse.

(459) De quo consule prae ceteris Tillemontium to. VII. in hoc Eusebio artic. 11. 12. 13. quo nemo alius solidius (etsi breviter more suo) virus omne istius Ariani doctoris detexit, & quaecumque pro ejus defensione afferri possint, evertit.

tiano (quod solum ex Graecis fastis vir summus ad manus habuit) non hoc, sed sequ. die Eusebium Samosatenum reperit. Concinunt autem & ceteri Graecor. libri, Basilii Menologium, Menaea tum excusa tum scripta, & quidquid est ceterorum officiorum sive typis excusum, sive in bibliothecarum membranis delitescens; in quibus non hoc, sed die XXII. Junii de Samosateno antistite agitur; at interim de Palaestino nihil.

Verum inquies, si re vera hodiernus Eusebius initio nō alius a Samosateno fuisset; cur non eum Latini die crastino potius cum Graecis coluerunt? Id leve est; nam, unius diei discrimen in ipsis etiam Graecorum libris saepissime deprehenditur, dum qui in Menaeis verbi causa hoc aut illo die celebratur, is in Menologio Basiliano aut Sirletiano pridie aut postridie locum tuetur suum. Itaq. etiamsi *Depositionis* vocabulum hoc die de Eusebio in aliquot mrologiis usurpetur; id latius aliquanto, quam vulgo creditur, patebat, & tam diem θανάσιμον, [*emortualem*] quam ἐνταφιον [*sepulcralem*] designabat: quod saepe alibi animadverti. Ceterum Eusebii Palaestini & historiographi diem depositionis undenam IX. saeculi scriptores rescire potuerunt? quis umquam eum diem scripto tradiderat? At Samosateni diem depositionis ipsa cultus ejus antiquitas docuit, ac transmisit ad posteros.

Jam vero ne quemquam morer: quo pacto is error sensim sine sensu mihi videatur inductus, paucis aperiam. Scitum est, in Hieronymianum mrologium non aliis initio, quam solis martyribus aditum patuisse: nam siqui non martyres in eo sibi locum quaesiverunt, ii & paucissimi sunt, ac ferme manu posteriore adscripti. Itaque Palaestinus ille etiam si non tantū orthodoxia, verum etiam eximia sanctitate floruisset, tamen ex defectu martyrii ab Hieronymiano mrologio abesse cogebatur. Atq. in eo quidem mrologio sic prorsus primitus scriptum auguror, quo modo in Hieronymiano Lucensium canonicorum, non quidem mrologio, sed Kalendario Florentinius (qui octavo saeculo id scriptum testatur) signatum invenit hisce verbis: *XI. Kal. Eusebii episcopi*. Non aliis igitur verbis ea annuntiatio in primitivo Hieronymiano concepta fuerat, sine loci nomine (quod millies ab Hieronymiano abest) ac sine *martyris* elogio, quod fere semper in eo desideratur, quippe quod non alios quam martyres admittebat. At deinde posteritas, quum illum Samosatenum (de quo tamen ea annuntiatio unice intelligenda erat) vulgo ignoraret, nec alium Eusebium episcopum, quam Palaestinum historiographum [460] admiraretur; de hoc demum (de cujus ἑτεροδοξία *haeresi* nihil comperti habebat) cogitare coepit. Et quidem Epternacense Hieronymianum apographum, ceteris antiquius, ad id credendum dux aliis fuit: in quo sic hodierno die scribitur: *Caesarea Palestinae Eusebi episcopi Histographi* (sic). Quod deinde in quidquid est mrologiorum, manavit. Atque ea maxime pro Baronii viri summi sententia afferri potuisse putavi.

XXII DP S PAVLINI EPI

DE hoc Graeci nihil: at contra apud Latinos is cultum satis antiquum obtinuit. Nam etiam Hieronymiani Mrologii [vix aut raro alios quam martyres admittentis] apographis omnibus, ut & Romano parvo seu Rosweidano inscriptus reperitur. De eodem satis prolixum elogium Florus Bedae mrologio intexuit: quod & ceteri postea martyrologi (Rabanus, Ado, Notkerus, Vsuardus, Wandelbertus, & quis non?) arripuerunt. Ne in die quidem festivitatis ullum

(460) Videndus Tillemontius initio Artic. XI. ubi plures Latinos qui hunc historiae scriptorem non tantum pro orthodoxo, verum etiam pro viro sancto habuerunt, enumerat.

ullum eſt diſſidium . Ac recte omnino huic dici *DEPoſitionis* notam hi faſti praepoſuerunt : id quod ex Vranio confirmatur ſic ſuam epiſtolam concludente : *Obiit S. Paulinus epiſcopus decimo Kal. Julii , Baſſo & Antiocho VV. CC. conſulibus* : qui eſt dies XXII. Junii anni 431. Nunc quandoquidem Vranianae epiſtolae meminimus , aliquot in eam nondum animadverſa producemus .

SPICILEGIVM

Animadverſionum in celebrem Vranii epiſtolam de obitu S. Paulini .

Hujus quidem elegantis planeque aureae epiſtolae totam ſectionem undecimam , qua S. Joannis I. Epiſcopi Neapolitani a Paulino ad caelum evocati mors beata deſcribitur,jam ſupra ad III. Aprilis non mediocri luce perfudimus . Sed & in cetero decurſu opuſculi ſunt paſſim loca quibus nova lux affundi poſſit . In id vero nunc veluti in tranſcurſu dabitur opera .

§. I. *Ad epiſtolae inſcriptionem . De* Illuſtratus *dignitate . Pacatus , ad quem ſcribit Vranius , non alius fuit a Theodoſii laudatore : de cujus honoribus , aetate , patria , poeticae praeſtantia plura docentur . Vranius non Gallus natione fuiſſe videtur , ſed facile Afer , aut forſitan ex maritimis Hiſpaniae locis .*

Ab inſcriptione ordiar , quae talis eſt : *Domino illuſtri & in Chriſto merito venerabili Pacato Vranius presbyter .* Quia Pacatus inter *Illuſtres* perſonas cenſebatur , idcirco ſic Vranius mox epiſtolam auſpicatur : *Litteris NOBILITATIS tuae* &c. Tres autem *Honoratorum* gradus apud ejus , in quo verſamur , aevi ſcriptores notari poſſunt , *Illuſtrium*, *Clariſſimorum* , *Spectabilium* . Sed *Illuſtrium* titulus potior erat ceteris [uti conſtat ex quibuſdam Cod. Juſtin. legib. apud Briſſon. & ex Novel. 23.] ac tribuebatur praefectis tum praetorio, tum Vrbi , adhaec quaeſtoribus , magiſtris militum & aliis pluribus , de quibus viri docti ſatis multa adnotarunt . Et quandoquidem in Vet. Gloſſario vocabulum *Illuſtrium* tantumdem eſt quod ἀξιωματικῶν ; non dubito quin pleraeque dignitates eo honorifico elogio donarentur . Ea eſt *Illuſtratus dignitas* apud Senatorem VI. 11. & *Illuſtratus gradus* l. 11. §. *ſin autem* C. *de judiciis* . Imo quia qui dignitates gerebant, continuo *Illuſtres* vocabantur, hinc opinor nata eſt locutio *Illuſtrare* (pro *gerere*) *dignitatem* , uſurpata lib. VI. Cod. Theod. tit. 22. lege ultima , his verbis : *Quam ille actu illuſtrat dignitatem* . Haec de *Illuſtris* titulo , qui Pacato tribuitur .

Pacatum autem non alium celebratiſſimum novi , quam illum panegyriſten , qui Magno Theodoſio poſt Maximi necem anno 388. peractam , Romae menſe Junio ſequentis anni panegyricum recitavit . Idem plena appellatione *Latinus Pacatus Drepanius* vocabatur:apparetque tum ex ipſo panegyrico,tum ex Sidonio, Aquitanum, ac peculiariter Nitiobrigem fuiſſe . Huic vero *Illuſtratus dignitas* optime conveniebat , quippe quum ex Codicis Theod. Proſopographia conſtet, Drepanium anno 390. (*) proconſulem Africae fuiſſe,anno vero 393. *Comitem* (**) *rei privatae* . Ad hunc igitur Pacatum miſſam hanc epiſtolam ſtatuo .

At Chiffletius & Tillemontius in S. Paulino, ad ejus filium referre malunt , veriti credo , ne non is Pacatus qui anno 389. panegyricum dixit , advivere uſque ad annum 431. potuerit. Hinc Jo: Albertus Fabricius [in Biblioth. Latina, ubi de Pacato oratore] audacter huic panegyriſtae Pacatum alterum filium tribuit, ad quem Symmachi epiſtolas illas , quae Pacato inſcribuntur , fuiſſe miſſas ait . Fabulae . Nam nemo Symmacho aequa-

(*) Per quod etiam tempus Auſonius Pacato inſcripſerit neceſſe eſt tum *Ludum VII. Sapientum* [cui ſic praeſcribit : *Auſonius conſul Latino Drepanio Pacato PROCONSVLI*] tum etiam *Technopaegnion* , quod ſic incipit : *Auſonius Pacato Proconſuli .*

(**) Pro hac altera dignitate *comitis R. P.* Drepanio aſſerenda citat Gothofredus l. 3. *de bonis proſcript.* in qua tamen de Drepanio nihil. Ac prorſus alibi credo id reperit .

aequalior fuit, quam Pacatus orator, qui paullo post Symmachi exsilium (ei ob postulatam arae Victoriae restitutionem illatum) laudationem illam Theodosio recitavit. Vt autem a viris doctis metum omnem abstergam; sciendum est, moriente S. Paulino haud facile alium Pacatum exstitisse, qui posset Paulini vitam versibus celebrare [quod Pacati consilium ex hac Vranii epistola perspicitur] quam panegyristen: id quod paucis suadebitur.

I. Jam primum omnium oratorem Pacatum necesse est Ausonio multo juniorem fuisse, quippe quem Ausonius *filium* appellare non dubitaverit. Nam ubi ei sua carmina dedicat, sic Dedicatoria inscribitur: *Ausonius Latino Pacato Drepanio FILIO*. Deinde eumdem Drepanium Sidonius [qui eodem anno 431. quo S. Paulinus obiit, natus perhibetur] inter eos refert qui (461) ante se vixissent. Ita subductis rationibus Pacatus iste Paulino aut aequalis, aut paullo aetate inferior fuerit oportet. Sed quia is praestabat ingenio, idcirco hujus quamlibet juvenis judicio sua poemata Ausonius permittere non dubitabat. Nota sunt Ausonii (462) loca, ex quibus quod dixi, perspicitur.

Adhuc igitur juvenis Drepanius Theodosium Romae laudavit, atque honores maturatos gessit. Vnde mirum non est, si S. Paulino superstes fuerit; & ejus *vitam versibus illustrare* [ut ab Vranio scribitur] in animo habuerit. Vides ut temporum ratio sibi constet; ac simul ut ex indicatis Ausonii ac Sidonii locis intelligatur, Pacatum hunc longe plus poeticae praestantia, quam arte oratoria, floruisse, ut is merito hoc sibi sumpserit, ut S. Paulini gesta caneret. Ab hoc autem diversus est ille *Drepanius Florus* cujus poematia quaedam ex G. Fabricii, ex Andr. Rivini, & ex Mabillonii editione extant: qui saeculo VII. vixisse creditur. Hic

(461) Apollinaris locus valde notabilis extat lib. VIII. epist. 11. ad Lupum. Initio epistolae ait, Nitiobriges & Vesunnicos (utriq. in Aquitania erant) in vindicando sibi Lupo (qui apud Nitiobriges ortus, Vesunnae nuptias sibi contraxerat) decertasse. Ea praefatus, Lupum a poeticae ac rhetoricae artis praestantia laudaturus, haec addit: *Tu vero utrisque praesentiam dispposite vicissimque partitus, nunc Drepanium* (hic est Latinus Pacatus Drepanius noster) *illis* (Nitiobrigibus) *modo istis* (Vesunnicis) *restituis Anthedium*. Per quae verba, utrumque ex vivis excessisse, quum haec scriberentur, significatur. Notandum est autem, Drepanium, quamvis Theodosio orationem dixisset, heic tamen inter poetas cum Anthedio, non inter rhetores recenseri; nam statim additur: *Etsi a te instructio rhetorica poscatur; hi Paulinum, illi Alcimum non requirunt*. Quum tantam igitur hic Pacatus poeticae laudem tulisset, ut eum Ausonius uno Marone inferiorem poetam vocaret, ejusque censurae sua carmina submitteret, quumque idem, teste Sidonio, magnum sibi nomen ab eodem studio apud populares reliquisset; merito haud alius ab hoc Drepanio. is fuit qui Nolanum Paulinum versibus exornare meditabatur.

(462) Ludum septem sapientum *Latino Drepanio Pacato proconsuli* inscribere Ausonius non dubitavit; cujus judicium quanti fecerit, ex dedicatoria intelligitur, in qua sic legitur:

Aequanimus fiam te judice, sive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quae dedimus.

Ac rursus in fine:

Et correcta magis quam condemnata vocabo,
Apponet docti quae mihi lima viri.
Interea arbitrii subiturus pondera tanti,
Optabo ut placeam, sin minus, ut taceam.

Ad eumdem etiam suum Technopaegnion misit, ubi eum hortatur, ut is vicissim sua poemata legenda mittat. Postremo ex iis dedicatoriis, quae in Tolliana Ausonii editione agmen ducunt, in earum tertia hunc Nostrum poetarum excellentissimum post Virgilium vocare non dubitat. Ac proderit ex eisdem dedicatoriis hendecasyllabis haec pauca huc afferre.

Quem (Pacatum) *pluris faciunt novem Sorores*
Quam cunctos alios, Marone dempto.
Pacatum haud dubie, Poeta, dicis.
Ipse est: intrepide volate versus ...
Hic vos diligere, hic volet tueri.
Ignoscenda teget, probata tradet.
Post hunc judicium timete nullum.

Vides profecto quantum Burdigalensis vates Drepanio nostro tribuerit.

Hic autem orator Pacatus, ac simul poeta tantus, quantum ex Ausonii [cujus vatis !] testimonio Adnot. 462. necnon & ex Sidonii suffragio Adnot. 461. demonstravimus: hic inquam Pacatus, quamvis ortu Aquitanus, tamen ob gestos plures honores maximam partem in Italia vixisse credendus est. Tum certe, quum haec Vranius scribebat [scripsit haec autem haud citius anno 432. post mortem S. Joannis Neapolitani die III. Aprilis sublati] Pacatus in Italia versabatur. Quo spectat illud in extrema Vranii epistola positum: *Vtinam antequam proficiscar* (ex Campania scil.) *hujus operis* [quod Pacatus meditabatur] *lectione dignum me facias*. Ac de Pacato, ad quem scripsit Vranius, haec habui dicere.

Venio ad Vranium: de quo hoc tantum scimus, quod presbyter fuerit; nec Nolanus sed advena, quippe qui se abnavigaturum nuntiat; & quod morienti Paulino (463) adfuerit. Ceterum cujas fuerit, haud facile dixerim. Chiffletius Gallum est suspicatus, eum scilicet, de quo Paulinus ipse epist. XIX. (al. 17.) cum S. Delphino conqueritur; quod (464) leve est. Atqui si Noster fuisset natione Gallus, nae is de suo in patriam reditu non scripsisset extrema in epistola hunc in modum: *Vtinam antequam proficiscar, hujus operis lectione dignum me facias: quia si Christo placuerit, continuo NAVIGARE dispono*. Is sane loquendi modus eum transmarinum h. e. Afrum ostendit. Afris consuetum est *navigandi* verbum absolute usurpare pro eo quod est ex Africa in Italiam commeare, aut contra; id quod ex S. Cypriani epistolis me animadvertisse commemini. Ac plures in Africa coluisse amicitias Paulinum, satis compertum arbitror: ut facile Vranius Afer ad eum, tamquam ad veterem amicum, ventitaverit. Aut vero sicui id parum probatur [maxime quum mollior Vranii stylus haud multum Africam redoleat] possumus & Hispanum suspicari. In Hispaniae vero loca maritima haud facile aliter ab Italia quam mari ibatur. Quumque Barcinone, urbe maritima, Paulinum presbyterum fuisse olim consecratum, sciamus; ei cum Barcinonensi clero intercessisse intimas necessitudines perquam credibile est. Eo fit, ut unum ex Barcinonensibus presbyteris Vranium exstitisse, non sit plane incredibile: at re vera fuisse, ecquis praestare poterit? Quod vero huc attinet; probabile reor, eum nihil habuisse cum Galliis commune. Nec enim ex Italia interiora Galliae petituris mare attingi solebat (attingi inquam, quia non nisi Massilia tenus procedebatur: quod apud Gregor. Turon. in I. de Glor. Mart. 83. ab ejus diacono non sine dira procella factum legitur) sed passim totum iter vehiculare erat. Forsitan potuit Massiliensis aut ex vicinia esse, quo erat opportunior transfretatio. At Vranius longinquiora loca se petere significat verbis illis, *Antequam proficiscar*. Nam Massiliam verbi causa tam brevi ex Italia afferri poema Pacati poterat, quã ferme in Campaniam. Ita quidvis potius quã Gallus hic scriptor fuit. Imo transmarinus fuit, quique vix aliter, quam abnavigando, remeare in patriam posset; eam enim, ut ante dixi, vim habet NAVIGARE absolute positum pro eo quod est domum repetere.

Jam vero multo magis illorum rationes concident, qui hunc sive Nolanum, sive saltem fecere vicinum: de quo

(463) Constat id ex initio sect. 5. (al. 4.) *Vidimus, & inter lacrymas atque singultus vidisse gaudemus. Vidimus, quomodo tollitur justus* &c.

(464) Conqueritur ea in epistola (anno 400. scripta) Paulinus, se per totam aestatem *Vranum* sive *Vranium* exspectasse, qui litteras sibi a Delphino datas redderet. *Per totam aestatem irrita non venientis Vrani exspectatione suspensi*. Id autem nihil est; nam (praeter anni 400. ab anno 432. aut 433. quo Noster de obitu S. Paulini scripsit, non mediocre intervallum) ille parum se Paulino studiosum probavit, Noster longe plurimum: ille verisimiliter Gallus, Noster transmarinus, ut infra ostendetur: ut omittam quod ille *Vranus* (quod nomen minime inusitatum apud antiquos fuisse, alicubi hoc in opere ostendimus) si vera est Mss. & editorum lectio, vocabatur, hic vero *Vranius*.

quo videbis inferne (465) adnotata; ubi eumdem numquam revera abnavigasse, sed Nolae suum diem obiisse, haud temere ex titulo quodam epitaphio conjiciemus.

§. II. *In epistolam ipsam adnotatiunculae.*

DENIQVE in narrationum initiis pro Itaque *usurpatum. Quo sensu Paulinus se* spiritualem *atque* angelicum *praebuerit. De S. Symmacho Capuae episcopo, ejusque musivo, & inscriptione: qui temporum ratione habita, is esse debuit, qui Paulinum moribundum invisit. Vestimenta integra olim texebantur. De* Vrsacio *Exsuperantii episcopi fratre, Comite R. P.* Achiatri *qui? Non tantum in aula imperiali, sed & episcopali id sibi nomen medici arrogabant. Pacis hereditariae celebritas ab episcopis morituris ritu & ordine peracta. Tempus matutini & Lucernarii. Hujus Lucernarii initium episcopus praecinebat. Ostenditur,* Lucernariam devotionem *non aliud fuisse quam officium vespertinum. Quid proprie* Devotio. *Locus corruptus sect.6. minima mutatione sanatur. Quid apud Vlpianum sit* Intricare peculium. *Quaedam minoris momenti alia.*

Sectionum numerus paullo aliter in Papebrochio hoc die, quam in nuperis S. Paulini editionibus adnotatur. Nos utrumque numerum adponemus, sed ita ut prior Papebrochianus sit intelligendus, alter autem is, qui in Paulini nuperis praestantissimis editionibus adhibetur.

Sect.2. (aliter 1.) *Ejus* (Paulini) *vitam ex merito mortis agnoscimus . . . Denique quum . . . duo ad eum episcopi visitandi studio convenissent* &c. Quum nunc demum initium narrandi faciat, tamen a particula *Denique* orditur. Non inepte tamen; quia *Denique* in initiis pro *Itaque* usurpabatur: cujus rei exempla ex aevo meliore non pauca attuli ad diem hujus mensis alterum in animadv. ad Acta SS.Petri & Marcellini in Adnot.95.

Verum hic locus notabilis est ob episcopi Symmachi mentionem. *Denique*, inquit, *quum ante triduum quam de hoc mundo ad caeleste habitaculum vocaretur, quum jam de salute ejus omnes desperassent, & duo ad eum episcopi visitandi studio convenissent, idest sanctus SYMMACHVS, & benedictus Acindynus; ita in eorum adventu recreatus atque refectus est, ut oblita omni carnali infirmitate, totum se eis spiritalem atque angelicum exhiberet.* Vt ab ultimis ordiar; istud *Spiritalem atque Angelicum* non ad morales ποιότητας (*qualitates*) Paulini est referendum, quasi hoc significet, eum de rebus tantum spiritualibus & angelicis ἀναγωγικῶς cum hospitibus sermones miscuisse. Id tametsi non dubito a Paulino factum, tamen non ea notione *spiritualem* se eis totum & *angelicum* praebuit; verum haec locutio eo pertinet, ut *oblita* [ut ante dictum fuit] *carnali infirmitate*, qua tamen excruciari non desiverat, tamquam si *spiritalem atque angelicam* naturam, corporis ac doloris expertem, jam occupasset induere, ita omnimodam indolentiam hospitibus eum praesetulisse, dicat. Jam vero de *Acyndino*, sive (466) quidquid is vocabatur, nihil habeo dicere. At vero *Symmachus*

(465) Tillemontius quidem in S. Paulino Artic.53. ex eo quod Vranius narrationem suam ab adventu duorum episcoporum, *Symmachi* (quem Capuanum fuisse demonstrabitur) & alterius cujusdam, ordiatur, eum ex alterutrius clero fuisse conjicit. Ita Italum fuisse dicemus. Id tamen cum eo stare non potest, quod se abnavigaturum, significat.

Multo minus id stare potest, quod eum Vghellus & alii Nolano clero adscribunt, ea ratione freti, quod in coemeterio S. Felicis titulus sepulcralis *Vranii presbyteri* detectus fuerit, depositi die XXII. Decembris. Nam etsi eum ipsum, quo de agimus, fuisse suspicor; non continuo tamen efficitur, eum fuisse Nolanum. Imo potius dicemus, eum dum Nolae moras necteret, navigationemque differret, interim ultimo morbo implicitum, apud S. Felicem se sepeliri voluisse. Idque perquam verisimile arbitror.

(466) Posterioris episcopi nomen Surius sic exhibuerat, *Benedictus Hyacinthinus*. Poste-

chus hic Capuae episcopus fuit: cujus festum in antiquo Capuanae Ecclesiae Kalendario apud Mich. Monachum in Sanctuario Capuano in diem XXII. Octobris incidebat (*) quo die hodiedum Symmachus is apud Veterem Capuam ritu primae classis uti patronus colitur. Nam ibi ejus corpus asservari [adhuc irrepertum tamen] in perillustri Collegiata Basilica *S. Mariae* [quae & oppido nomen *S. Mariae* indidit] vetus ejus diei Oratio innuit. Quam dixi veterem basilicam, eam antiquam ecclesiae Capuanae Cathedralem fuisse, in quodam inter meas schedas opusculo ostensum a me fuit. Ea autem pervetusta ecclesia a S. Symmacho a fundamentis primum exstructa videtur; postea vero forsitan in eam, quae nunc est, miram amplitudinem redacta fuit. Certe, si nihil aliud, pulcherrimum & (467) perantiquum musivum opus, quod usque ad annum (468) superiorem in apside basilicae conspiciebatur, hunc S. Symmachum auctorem habuit. In ejus enim musivi extremo fornice litteris plane cubitalibus legebatur: SANCTAE MARIAE (469) SYMMACHVS EPISCOPVS. Fortasse dixeris, non liquere, hunc Symmachum musivi auctorem, eumdem fuisse illum, qui Paulino morienti adstitit. At musivi illius operis praestantia & mira [ut illis temporibus] pulchritudo plane eadem erat, atque illa quae in Musivis Romanae basilicae S. Mariae Majoris conspicitur. Itaque nihil compertius afferre posse mihi videbar [quod in eod. opusculo demonstravi] quam factum id musivum fuisse paullo post aedem S. Mariae a S. Sixto III. musivis exornatam: cujus musiva opera a Franc. Blanchino illustrata fuerunt. Quum ergo S. Sixtus ab anno 432. sedere coeperit; paullo post illud tempus Symmachus Capuanus, exemplo S. Sixti (470) permotus, aedem S. Mariae primus Capuae excitavit, eidemque Deiparae nobilissimum musivum opus construi jussit. Ita S. Symmachi hujus tempora in S. Paulini aetatem pulchre incidunt: quamdiu autem Paulino superstes fuerit, ignoramus.

Sect. 3. (al. 2.) ἐπιφάνεια SS. Januarii Mart. & S. Martini Turonensis Paulino exhibita narratur: *E quibus*(inquit Vranius) *Januarius episcopus simul & martyr Neapolitanae urbis illustrat Ecclesiam, Marti-*

sterioreṁ vocem Baronius in *Hydruntinus* mutavit. At Franc. Chiffletius quia in Mediceo reperit *benedictus ac indignus*; hunc per vestigia tum Mediceae tum Surianae lectionis gradiens, restituit, *benedictus* (tamquam si sit episcopi epitheton, non vero proprium ejus nomen) *benedictus*, inquam, *Acyndinus*. Quae lectio postmodum optimas quasque editiones invasit. Non male quidem. At interim proprium ejus episcopi nomen adhuc incertum manet.

(*) Quo die [S. Symmachi Capuani depositione insignito] mihi olim nato parentes *Symmachi* nomen fecerunt. Vnde & grati animi gratia haec paucula de S. Symmacho opportune adnotavi.

(467) Musivum quod dixi, totam basilicae apsidem occupabat, in cujus medio S. Maria puerum Iesum in sinu gerens exhibebatur; cetera vero non inelegantibus ornamentis pro quinti saeculi captu distincta cernebantur usque ad extremum fornicem, quem occupabat inscriptio, de qua mox.

(468) Vsque ad proxime superiorem annum id opus musivum, praecipuum ejus basilicae ornamentum, perduravit. Quo demum anno ejusdem basilicae aeditui, ut ecclesiam in recentem formam exornarent, monumentum illud pessimo prorsus consilio dirui fecerunt.

(469) Mich. Monachus in suo Sanctuario sic exhibuit, SANCTA MARIA [recto casu] SYMMACHVS EPISCOPVS, nullo prorsus intellectu. At postea dandi casu *Sanctae Mariae* in musivo exhiberi animadvertens, ante dicta in *Recognitione* sui Sanctuarii recantavit.

(470) Anno 432. in Ephesino concilio [in aede S. Mariae coacto] Deiparae cultus mire propagari coepit. Sub id statim tempus S Sixtus III Ephesinae synodi quibusdam quasi stimulis incitatus, Romae celebrem S. Mariae Majoris basilicam erexit. Nec multo post S. Symmachus tantumdem vetere in Capua fecit, eam, quam dixi, basilicam exstruens: quae quidem hodiedum [ut illa Romana] *S. Maria Major* vocatur. Atque eo modo per omnes undique ecclesias Deiparae cultus mire propagari coepit.

Martinus autem &c. Nihil heic de illustri hac de S. Januario testificatione dicemus, quippe quam ad Acta sincera S. Januarii, quae ad finem mensis Aprilis data fuerunt, attulimus atque illustravimus.

Eadem sectione media quum S. Paulinum presbyter Posthumianus monuisset, deberi solidos quadraginta mercatoribus *pro vestimentis*, *quae fuerant pauperibus erogata* (notabis heic in transcursu, olim vestimenta integra e textrino prodiisse, nec fuisse morem, ut ea ex diversis panni frustis consuerentur) Paulinus divina fiducia plenissimus, statim Divinae providentiae opem praesentem expertus est; illico solidis quinquaginta acceptis, sibi dono missis *a sancto Exsuperantio episcopo*, *sive* (*sive* pro *Et*, pro more ejus aetatis) *a viro clarissimo fratre ejus Vrsatio.* De Exsuperantio (partium Lucaniae, uti videtur, episcopo; nam ex Lucania subsidium illud submissum, testatur Vranius) nihildum auditum fuit. Etsi quis vetat suspicari, fuisse *Exsuperantium* illum *Decurialem* [h. e. judicem alicujus decuriae urbis Romae] ad quem simul cum aliis decurialibus mittitur lex 4. codicis Theod. *de decuriis urbis Romae?* Ea quidem lex incidit in annum 404. quo Exsuperantius [idē forsan ac noster, sed adhuc laicus] judiciis saecularibus operam dabat; postea vero potuit clero adscribi, ita ut anno 431. episcopus esset. Haec quidem fieri potuisse fateor; at ita se rem habuisse, non praesto. At certe fratrem ejus non alium fuisse reor, quam *Vrsacium* illum, quem sub Honorio anno 414. & 416. *Comitem rei privatae* fuisse, ex Cod. Theodosiano constat. Hinc ejus dignitatis gratia *Vir clarissimus* ab Vranio inscribitur. Hic forsitan ab Vrsacio illo descenderit, qui *Constantino Caesari* basim posuit apud Gruterum pag. 282. 4. ubi sic inscribitur, FL. VRSATIVS. V. P. (h. e. *vir perfectissimus*: de *perfectissimatu* uterque codex commeminit) TRIBVNVS COHORTIVM VRBANARVM X. XI. ET. XII. ET FORI SVARI [sic pro *Suarii*].

Sect. 4. [al. 3.] *Crudescente dolore*, *qui lateri ejus nimius inerat*, *excitatus*, *multis etiam ex superfluo* (h. e. supervacanee & incassum) *archiatrorum ustionibus fatigatus . . . lassum atque anhelum pectus duxit*. *Archiatri* non sunt quos vulgus hybrida voce *Protomedicos* nuncupat, sed sunt *medici principis*. Plura de his archiatris diligenter adnotarunt Gothofredus ad Codicis Theod. titulum *de medicis*, Altaserra ad lib. 2. epist. Greg. Magni & alii. Sicuti ergo in sacro Palatio medici omnes vocabantur *Archiatri* h. e. medici principis [de quibus exstat lex unica Cod. *de comitib. & archiatris sacri Palatii*] sic ex imperialis aulae notione tractum id etiam ad episcopalem aulam fuit; in qua non unus dumtaxat, sed quicumque decumbenti episcopo assidebant, honoris gratia *archiatri* vocabantur. Hi autem S. Paulini archiatri non tantum clinici, sed etiam *medici chirurgi* [ut veterum lapidum locutione utar] erant, ut ex ustulationibus, quibus languentem affligebant, potest intelligi. Olim autem medicorum nomen etiam ad chirurgos pertinebat. Jam vero quod *ustiones* istas Tillemontius *ventouses* h. e. cucurbitulas interpretatur, id parum probo. Nec enim cucurbitulae tantum molestiae afferunt, quantum heic Vranius verbo *fatigatus* significat: nec alibi reor cucurbitulas vocari *ustiones*. Ceteroqui satis scitum est, antiquam medicinam aegrotantes ustulationibus plurimis divexasse.

Ibidem statim sequitur: *Deinde adveniente luce . . . Matutinum ex more & ordine celebravit*. *Facta autem die*, *presbyteris & diaconibus*, *atque omnibus clericis exemplo Dominico pacem hereditariam praedicavit*: postremo, uti sequitur, quum vesperasceret, *lucernariam devotionem* persolvit. Jam illud non obscurum est, quid *pacem hereditariam* vocet, illam scil. quam Dominus hinc discessurus, veluti testamento suis reliquit dicens, *Pacem relinquo vobis*. Hinc sollemne hoc episcopis morituris evasit, ut idem facerent; & quidem non sine quadam rituali celebri-

 tate,

tate, in qua non parum temporis insumebatur; ut hinc videre licet. Nec immerito. Nam omnibus primum in commune *pax* illa *hereditaria* [quae totas episcoporum illius beatissimae aetatis testamenti tabulas absolvebat] *praedicanda* erat [*praedicandi* autem verbum satis innuit, hoc totum non sine homilia, sive, uti loquebantur, *Tractatu* factum] deinde singuli amplexandi erant presbyteri, diaconi, clericique: singulis seorsum pax verbis Dominicis relinquenda: singulis monita pro uniuscujusque captu accommodanda. Et haec, uti dixi, pacis relictio, tamquam episcopalis testamenti factio, consueta atque sollemnis tunc omnibus episcopis erat: quod non semel alibi me legisse, commemini.

Jam vero ex recitatis proxime verbis tum matutini tempus [quod *adveniente die* h.e. sub adventum diei, & luce adhuc crepera celebrabatur] gnoscimus, tum *lucernariae devotionis*, ad vesperam persolvendae. Hanc vero moris erat ut episcopus auspicaretur, praecinens sollemne illud, *Paravi lucernam Christo meo*.

Sane vero *Lucernarium cum Vespera* [inquit Edmundus Martenius in De divin. Officiis cap. VIII. num. 8.] *confundunt nonnulli, alii distinguunt utrumque, & Lucernarium de precibus ad accendendas lucernas recitandis interpretantur*. Si hinc vero de ea re judicium ferre liceat; videtur heic *Matutino* integro officio per Paulinum celebrato ita e regione *Lucernarium* respondere, ut non paucas preces designet, sed totum *Vespertinum officium*. Dices fortasse, *Devotionem lucernariam* [sic enim appellat Vranius] non convenire officio vespertino, quod ex debito persolvebatur; quum contra *Devotionis* vox id notet, quod non ex debito, sed ex libertate fit. Verum nihil magis, quam *Devotionis* vocabulum, vespertinam synaxin, quam praeterire non licebat, designat. Nec enim *Devotio* ex hodierno loquendi more est intelligenda, sed ex quarti & quinti saeculi dialecto; qua ea vox ad tributorum solutionem saepissime in Cod. Theod. refertur. Ita *Implere devotionem* est tributa inferre. Eodem spectat *Publica devotio*, & *Devotio aurariae functionis* &c. Hinc eleganter *devotio lucernaria* est lucernarii sive vespertini tributi [utique debiti] persolutio.

Sectione 6. [al. 5.] versus finem: *Quantos captivos redemit!* Hic locus poscebat, ut singulare illud caritatis exemplum, quo se pro redimendo captivo in voluntariam captivitatem dederit, paucis saltem verbis tangeret. Quod enim illustrius argumentum scripturienti poetae ad exornandum afferre poterat? Quod quum Pacato non exposuerit, satis hinc apparet, quae de ultronea S. Paulini captivitate Magnus Gregorius protulit, ea non ad hunc, sed ad Paulinum alium Nolanum posse referri: quod totum cujusmodi sit, viri eruditi [471] viderint.

Statim pergit: *Quantos intricatores debiti*,

(471) Certum est S. Paulino, quem hodierno die colimus, successisse cognominem alterum, de quo scriptus lapis Nolae repertus apud Vghellum legitur. Sed malo eum ex Fleetvvodo recitare. pag. 454. his verbis: DEP. EP. PAVLINI JVNIORIS. D. III. ID. SEPTEMB. FL. DIOSCORO V. C. CONS. Qui est annus 442.

Adhaec autem Papebrochius [hoc die pag. 228. & seq.] tertium quemdam alium Paulinum Nolanum, auctorem [si ei credimus] vitae S. Martini versibus scriptae, adstruere conatur: ad quem videlicet narrationem Gregorianam de Paulini captivitate referri jubet. Verum re vera exstitisse tertium aliquem Nolanum Paulinum, haud credo eruditis viris persuaserit.

Ergo ad illum alterum, qui ad Septembrem usque anni 442. cathedram Nolanam tenuit, forsitan Gregoriana narratio pertinere poterit. Nam quamvis Magnus Gregorius ad Paulinum toto orbe celebratissimum (illum scil. cujus morientis cubiculum contremuisse ab Vranio narratur: quod ipsum prodigium Gregorius extremo eodem capite de Paulino suo commemorat) citra ambages eam historiam retulerit; tamen quia totam eam narrationem non ex scriptis monumentis, sed ex ore traditis seniorum sermonibus (quorum *grandaevitati* credere se de-

biti, a creditoribus ſuis, reddita pecunia, liberavit. Iſtud *Intricatores debiti*, omnibus exemplis conſentientibus, non tantum non mutavit Papebrochius, verum etiam ſic expoſuit: *INTRICATORES DEBITI eos intellige, qui, quia ſolvendo ſe ſentiunt non eſſe, ipſum debitum ſtudioſe intricant*. Nec animadvertit, quamdiu in textu activa vox *Intricatores* retinetur, non debitores qui intricant, ſed ipſos potius creditores, qui intricantur, fuiſſe Paulini caritate liberatos dicendos: maxime quum heic *Intricare* (quod eſt impedire & implicare) & *Liberare* (quod eſt explicare & expedire) ex adverſo ponantur. Ergo pro *Intricatores debiti*, ut ſententia ſibi conſtet, ſubſtituendum eſſet paſſivum *Intricatos debitis*, niſi hoc longius a ſcriptorum codicum & editionum lectione recederet. At ſatis ſalvae res; quandoquidem unius litterae longae & exilis I interpoſitione locus corruptiſſimus ſuae integritati reſtituitur. *Quantos*, inquit, *INTRICATIORES DEBITIS, a creditoribus ſuis . . . liberavit.* Atque hinc *Intricare peculium* ſervile (quod de ſervis Vlpianus uſurpat) quid proprie ſit, poteſt intelligi. Is enim ad Edictum commentans, ſic ait l. 1. D. *de ſervo corrupto* §. 5. *Is quoque deteriorem* (ſervum) *facit, qui ſervo perſuadet, ut . . . peculium intricaret*. Rurſus idem l. 21. D. *de peculio* ſcripſit: *Sed DOLVM MALVM accipere debemus, ſi ei* (ſervo) *ademit peculium. Sed & ſi eum intricare peculium in necem creditorum paſſus eſt, Mela ſcribit, dolo malo ejus factum*. Quid his locis ſit *Intricare peculium*, a nemine expoſitum videre licuit. Nec *Intricare peculium* quidquam commune habet cum *turbatis rationibus*: nam de *interciſis, adulteratis, turbatis rationibus* in priore lege mentionem poſtea facit. Atqui ea locutio inter truncatas eſt referenda; nam integram eſſe debuiſſe, *Peculium DEBITIS intricare*, ex recitato Vranii loco nunc primum diſcimus.

Extrema ſect. 7. [al. 6.] pulcrum Paulini elogium, judicibus haud dubie aemulandum, continetur, *Tenebat rigorem in examinatione juſtitiae, miſericordiam autem in definitione ſententiae proferebat*.

Sect. 8. (al. 7.) plura inciſa h. e. totidem Paulini elogia conglobantur: inter quae illud, *Credulus* (ideſt morigerus) *ut Iſaac*. Itemque illud: *Sacerdotalis* [quod eſt ἑκτικὸν ὄνομα, ut *Militaris* & tot alia in hujus temporis ſcriptoribus & lapidibus] *ut Aaron*. Itemque illud: *Videns ut Stephanus*: quia ſicut S. Protomartyr antequam obdormiſceret, *Vidit caelos apertos, & Filium hominis* etc. ſic Paulino morituro SS. Januarii & Martini viſio oblata fuit. Atque haec curſim adnotaſſe ſit ſatis.

§. III. *Nodus Vranianae epiſtolae, adhuc inextricabilis habitus, facillime expeditur; ac ſimul docetur, quo pacto triduum illud conſtet, quod inter S. Symmachi adventum & B. Paulini obitum interceſſit. Vndenam initia τῶν νυχθημέρων aevo S. Paulini ſumerentur, diſquiritur.*

Difficultas in eo poſita eſt, quod ſect. 4. [al. 3.] ſcribitur: *Vſque ad mediam noctem paullulum quieti conceſſit; donec creſcente dolore . . . uſque ad QVINTAM HORAM noctis laſſum atque anhelum pectus duxit*. Hic vero locus iis, qui veteris horologii rationem perſpectam habent, non poteſt non plurimum negotii faceſſere. Scitum eſt antiquos diem in horas XII. noctem in totidem diviſiſſe. Ex quo primum fit, meridiem in horam diei ſextam, ac noctem mediam item in horam ſextam noctis incidiſſe: deinde tantum tempore aequinoctii horas diurnas nocturnis aequales fuiſſe (unde ſicubi Gale-

debuiſse, praefatur) hauſit; nihil facilius fuit, quam eos, qui haec Gregorio narrabant, in Paulino deſignando hallucinatos (in re praeſertim ante annos prope ducentos geſta; nam anno 594. Dialogos ſuos S. Pontifex conſcribebat) eoſdemque quaecumque egregia facinora a quolibet Nolano Paulino geſta fuiſsent, omnia ad unum illum clariſſimum retuliſse; imo duos Paulinos, qui continua ſerie Nolanam cathedram inſederunt, in unum contudiſse.

Galenus ad aegrotantium regimen *horas* tot, tamquam certam temporis mensuram, designare vult, eas horas *aequinoctiales* vocat) at reliquis anni temporibus plus minusve inaequales; ita ut aestivo solstitio (in quod S. Paulini obitus incurrit) horae diurnae in Campania nostra quinos horae aequinoctialis quadrantes, nocturnae vero ternos absolverent. His, quae nec pueri ignorant, intellectis, jam nemo non videt, illud ab Vranio absurde scriptum fuisse, Paulinum scil. qui ad mediam usque noctem (h. e. ad horam sextam noctis) conquieverat, mox eumdem *ad quintam horam noctis anhelum pectus* duxisse: nisi vero in retrogrado Achazi horologio tunc vir sanctus versabatur.

Tillemontius to. XIV. in Paulini vita artic.52. ubi de morte narrat, hunc Vranii locum caute est praetervectus. At Papebrochius in adnotatis ad Vranium putat, jam tum Italos coepisse ab occidente sole quatuor & viginti τῶ νυχθημέρυ horas numerare; quod & hodie fit in Italia. Ita hora quinta noctis erit altera post mediam noctem, & haud multum ab ortu solis distans, solstitii tempore, quo quidem in nostra Campania media nox in horam ab solis occasu quartam, ortus vero solis in octavam semis incidit. Atqui hoc totum mirificum atque inauditum est; nec cuiquam puto Papebrochium persuasurum, jam tum Italos horas τῶ νυχθημέρυ ab occasu planetae numerasse.

Nec minus absurda ea ratio videtur, quam Brunius (sive quisquis est auctor vitae longioris Paulini per annos digestae, quae in nuperis editionibus legitur) est secutus; qui videtur horas a nocte media ad meridiem duodecim numerasse, totidem vero (quod consequens est) a meridie ad mediam noctem: quod quidem hodie in sua Gallia fieri biographus hic nuperus observabat, parum curans, quam pridem id Galli observare coeperint. Sic igitur hic vitae scriptor cap.53. cum Vranii locum παραφράζει. *Vna antequam lucesceret hora* (in quo, uti vides, *quintam horam noctis* Vranianam, interpretatur *unam antequam lucesceret*, h.e. ante crepusculum matutinum, *horam*) ... *matutinam officium* ... *celebravit*. Atqui si biographi hujus ratio staret; ubi eadem sect. Paulinus ab Vranio dicitur *circa horam quartam noctis debitum Deo spiritum exhalasse*, continuo dicendum esset, virum sanctissimum quarta post mediam noctem hora exspirasse: quod tamen nemo animum induxerit. Certe Tillemontius loc. cit. hanc Vranii *horam quartam noctis* emortualem est interpretatus, *sur les dix ou onze heures de la nuit*. Nec aliter prorsus biographus ille quem refellimus, accipit, dum in vita Paulini sic Vranii verba παραφράζει, *circa horam decimam aut undecimam in nocte*. Vterq. igitur heic *horam quartam noctis* Vranianam mediae nocti antecedere jubent, ac proinde ab occasu solis numeratam agnoscunt, dum eā *quartam* cum *decima* hodiernorum Gallorum concurrere faciunt. Atqui si sibi constare voluissent, etiam hoc altero loco a nocte media numerare eas horas debuissent, ita ut quarta noctis (si tanta cupido erat Gallica instituta Vranio tribuendi) quarta post noctem mediam esse debeat: quum tamen (si verum amamus) tam quarta quam quinta noctis (& sic porro usque ad XII) ob occasu solis usque ad ortum in antiquo horologio procedant.

Sed ad *quintam horam noctis* Vranianam redeo, ad quam usque Paulinus anhelavit, postquam usque ad mediam noctem (h. e. ad sextam noctis) conquiesset: quod utique esset retrocedere: ut eo, inquam, redeam, fuit sane quum de vitiato Vranii loco suspicio incesseret. Aevo Vranii numeralibus notis, non vero numerorum vocabulis syllabatim scriptis numeros omnes designabant. Atqui hanc horam, quae nunc *quinta* in Vranii epistola exhibetur, sic ille forsan perscripserat, *Vsque ad horam X. noctis* (quae ab *adveniente* h. e. *propinqua* luce parum aberat) deinde evanescente infima parte τῶ X, tantum V

man-

mansit: ex quo postea librarii, quando litteris integra numerorum vocabula notare coeperunt, fecere QVINTAM.

Sed tamen grave est, ubicumque nodus vindice dignus incidit, corruptos causari codices. Praesertim quum locus hic, si recte intelligatur, nihil prorsus terriculamenti ostentet. Huc enim usque id fraudi fuit, quod in una eademque nocte succedere nocti mediae (h.e. horae sextae) quintam horam noctis fecerunt. At falsi sunt toto caelo plerique omnes, dum sic acceperunt. Nam hora illa quinta noctis, ad quam usque anhelatum a nephritico Paulino fuit, ad noctem alteram pone secutam pertinet. Ita postquam ad mediam noctem (i.e. sextam horam) Paulinus quievisset, postea ad quintam noctis insequentis dyspnoea laboravit, per totas scil. tres & viginti horas.

Atqui oppones, una tantum nocte haec geri debuisse omnia, ex Vranio perspici. *Quum*, inquit, *nox diei successisset, usque ad mediam noctem* quievit, *donec crudescente dolore . . . usque ad quintam horam noctis lassum atque anhelum pectus duxit. Deinde adveniente luce ... matutinum celebravit*. Quis heic non unam dumtaxat noctem (quae scil. *diei successit*, & cui mox *lux* propinqua *advenit*) clarissime agnoscit? Fateor, hanc Vranianam sese explicandi rationem homines, qui nunc sunt, veteri horologio minime assuetos, egisse transversos. Atqui si nos aevo Vranii aequales fuissemus, siquando nocti mediae horam quintam noctis succedere audissemus, non nisi nox proxime sequens menti occurrisset, ad quam haud dubie horam hanc quintam retulissemus. Ceterum quod, quid toto illo trium & viginti horarum spatio gestum sit, Noster scribere supersederit, merito id fecit; quia totum id tempus anhelationi insumptum fuit; nec potuit interim Matutini aut alterius officii pensum persolvere, aut aliud notatu dignum facere, praeterquam fortiter durare ac perpeti.

Quid quod triduum illud, cujus initio S. Symmachus (& *quis fuit alter*?) ad Paulinum venit, non aliter constare potest, quam si *quinta hora noctis*, de qua tamdiu laboramus, ad noctem sequentem referatur? Id ubi ostendero, tum credo postea neminem unum de allata interpretatione adhuc dubitaturum.

Quum, inquit, *ante TRIDVVM, quam .. ad caeleste habitaculum advocaretur . . . duo ad eum episcopi visitandi studio convenissent* &c. Hujus quidem TRIDVI primo die liturgiae celebratio, poenitentium reconciliatio, SS. Januarii & Martini visio, muneris quinquaginta solidorum receptio contigisse ab Vranio narrantur. Diei primo nox prima successit, in qua usque ad mediam noctem h. e. horam sextam conquievit: at mox crudescente morbo excitatus uri a medicis atque afflictari coepit. In ea afflictatione *usque ad quintam horam noctis* (secundae utique) vir sanctus per horas tres & viginti perduravit. Deinde paullatim remittente morbo, ubi nocti secundae coepit lux obscura succedere, Matutinum decantavit. En quomodo nox prima, dies alter & nox altera decurrerit.

Tertius autem dies in pace hereditaria praedicanda, deinde in placido quodam silentio quieti simillimo usque ad vesperam transactus fuit. Vespere lucernariam devotionem persolvit. Deinde noctu siluit aliquamdiu; ac tandem *circa horam quartam noctis* (tertiae noctis scilicet, quae diem 22. Junii consequebatur) duabus ante mediam noctem horis, concusso divinitus cubiculo, ad caelum evolavit. Sic triduum illud decurrit: quod ex Brunii, Tillemontii, & ceterorum interpretatione, non nisi biduum esse potuisse, consequitur. Nec enim, quocumque te verteris, triduum illud stare poterit, nisi animum induxeris, horam quintam noctis non ad illam noctem pertinere, ad quam mediam conquieverat, sed ad insequentem; proinde virum beatissimum totis horis XXIII. animam anhelantem traxisse suspiriosum.

Nunc

Nunc illud ad ultimum videamus, illa *hora quarta noctis*, qua vir sanctus *angelicis susceptus manibus* [inquit Vranius] *debitum Deo spiritum exhalavit*, eccujus diei pars sit, praecedentis ne an subsequentis; quod est tantumdem ac quaerere, undenam aevo Paulini spatium diei ex XXIV. horis compositi procederet, ab occasu an ab ortu solis, an vero a meridie, an postremo ab nocte media. Atqui hoc ultimum verum esse non dubito; quia tunc Romanis moribus atque legibus vivebatur. Romanis autem ab nocte media τὰ νυχθήμερα (*noctidua*) processisse diserte antiqui testantur. Censorinus de die Nat. cap. 23. *Ceterum Romani a media nocte ad mediam noctem, diem esse existimaverunt. Indicio sunt sacra publica, & auspicia etiam magistratuum: quorum siquid ante medium noctis est actum, diei qui praeteriit, adscribitur; siquid autem post mediam noctem, & ante lucem factum est, eo die gestum dicitur, qui eam sequitur noctem*. Idem & ex Plutarchi quaestionibus Romanis intelligitur quaest. 84. & ex L. *More* 8. D. *De feriis*, L. *A qua aetate* 5. D. *Qui test. fac. pos.* L. 1. *De manumiss.* Quia igitur aetate S. Paulini Romanis adhuc moribus utebatur Italia, quippe nondum infusa tot barbararum gentium peregrinitate; ideo *quarta hora noctis* ad praecedentem diem referebatur, eratque adeo diei XXII. Junii [in quem S. Paulini obitus incidit] non initium sed finis; erat quippe ejus diei hora altera & vigesima. Atque heic obiter notandum est, communem ecclesiae consuetudinem, qua dies solidi horarum 24. a noctis medio numerantur, esse antiquissimum, quia ab Romanorum moribus propagatum: at postea barbaris in Italiam inundantibus, saecularem politiam in Italia solidos dies ab occasu solis computare coepisse, at interim Ecclesiam antiqui moris tenacem usque perseverasse.

XXIII P S ARISTOCLEI

DVx heic signatur dumtaxat *Aristocles*; socii vero duo *Demetrianus* diaconus, & *Athanasius* lector, pro horum Fastorum consuetudine subaudiri jubentur. Fit horum satis prolixa mentio in Basilii Menologio; ut etiam in Venetis Menaeis (472) excusis, & Mss. Mediolanensibus, & Divionensibus; nisi quod in his postremis binis diei XX. Junii inscribuntur. Postremo in Ms. Synaxario Collegii Parisiensis S.J. aliquanto diffusior & accuratior, quam in menologio, certaminis illorum narratio reperitur. In his omnibus Ἄθλησις i. e. *Certamen* praefigitur, [ut in his Fastis *Passio* signatur] quia hic dies triumphalis Martyribus illis fuit.

Jam vero quum duo in Graecorum libris S. Aristoclis encomia reperiantur, in Basilii Menologio unum, in Synaxario Claromontani Parisiensis Collegii S. J. alterum; statui secundum hoc Latine tantum [nam Graeca qui cupit, apud Henschenium hoc die pag. 473. reperiet] adscribere; quod quidem & accuratius Basiliano est, & quasdam gegraphicas notationes aliasque circumstantias continet, quae narrationem probabiliorem efficiunt. Vtinam autem longiora acta, ex quibus haec epitome manavit, aliquis nactus, in lucem proferat. Nam certe ex hujus qualiscumque speciminis tum circumstantiis tum etiam dictione, haud sinistre de scripto illo, unde haec epitome prodiit, judicari potest.

Elogium S. Aristoclis & sociorum ex Parisiensi Synaxario.

Sanctus martyr Aristocles natione Cyprius,

(472) In quibus nuda tantum horum martyrum annuntiatio reperitur, in medium S. Agrippinae officium illata his verbis: *Eodem die* (23. Junii) *Sanctorum martyrum Aristoclis presbyteri, &* (Δημητρίου pro *Demetriani*) *Demetrii diaconi, & Athanasii lectoris*.

prius, Catholicae ecclesiae urbis (473) *Tamasi presbyter erat. Qui tempore Maximiani* (474) *imperatoris, conscenso monte, in quadam spelunca, instantem* (475) *persecutionem timens, delituit. In ea dum oraret, fulgore solis lumen superante* (476) *circumfusus, ac voce de caelo delata, monetur, ut in metropolim Salamina pergeret, ibi martyrium perfecturus. Profectus igitur* (477) *Ledras in aedem* (478) *S. Apostoli Barnabae pervenit. Ibi Demetrianum diaconum & Athanasium lectorem nactus, & ab eis exceptus hospitio, eosdem & adventus sui & simul totius visi rationem edoctos, facinoris socios sibi adjunxit, ut qui alacriter pro Christo decertare decrevissent. Quare quum in metropolim, quo properabant, pervenissent; in eminus* (479) *visendo atque excelso loco constiterunt. Quos conspicatus praeses, ad se arcessivit; ac postquam ab iis ipsis, Christianos se esse, didicisset; primum* (480) *quidem sanctum Aristoclem scuticis concidi jussit, atque ita capite detruncari: sanctos vero Demetrianum*

(473) De *Tamaso*, sive *Tamasso* aut *Tamaseo* (totidem enim modis scribitur) urbe Cypri in mediterraneis (aeris potissimum proventu, a quo & *aes Cyprium* sive *Cuprum* nomen suum invenisse ajunt, celebratissima) quaedam attigimus in geographicis adnotationibus ad Pseudo-Joannis acta S. Barnabae supra pag. 546. & 547.

(474) De Maximiano Galerio intellige: qui dispertitum Orientem cum Maximino habuit. Quum autem tota minor Asia huic Maximiano pareret; eidem & Cyprus (cujus promontorium Crommyon quam minimo trajectu ab Anemurio promontorio Ciliciae aberat) obedivisse credenda est.

(475) Anno 305. exeunte aut potius sub initia anni 306. novae atrocioris persecutionis edicta Gal. Maximianus proposuit. Hanc quidem instantem ut vitaret Aristocles, sub initia anni, quem dixi, 306. secessisse videtur. In eo secessu monitus, ut tanto discrimini caput suum objiceret, dum in itinere Ledris aliquamdiu commoratur, dum inde profectus Salamina se contulit; interim mensis Junius adfuit: cujus XXIII. die hos Martyres oppetiisse, & Fasti Neapolitani, & libri Sacri Graecorum docent. Ergo horum martyrium pulchre in annum 306. referetur.

(476) Graece est περιηςράφθη. Αςράπτω est *fulguro*. At apud S. Lucam Act. IX. 3. verbum περιαςράπτω est transitivum ut heic, & eadem notione usurpatum.

(477) Graece est ἐν Λεδραῖς. Quae scriptura si vera est; erit plurale nomen, idque femininum, *Ledrae Ledrarum*. Cui generi non refragatur Sozomenus I. 11. ubi Triphyllium *episcopum* τῶν Λεδρῶν facit: ubi *Ledrarum*, non *Ledrorum* (ut in Latino Sozomeni legitur) vertendum fuerat, quippe a recto Λεδραί. Eodem patrio casu attulimus supra (ad acta Pseudo-Joannis de S. Barnaba pag. 548.) illud *Usque ad Vicum* τῶν Λεδρῶν. Nisi quod ibi communem errorem secuti *Ledrorum* vertimus, pro Ledrarum. Et quidem nominis hujus genus haud aliunde quam ex hoc Synaxarii loco discere nunc primum licet, si modo, uti dixi, recta est scriptura.

Ledrarum situm haud procul ab Salamine fuisse, ibidem ad Pseudo-Joannem notavimus. Proinde merito Aristocles Salamina petiturus, in itinere Ledras divertit.

(478) Graece est, εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἁγίου &c. Quod Bollandistae vertunt, *In domum Sancti Apostoli Barnabae*. Sed *In aedem*, aut *ecclesiam* verti debuit. Οἶκος haud raro Judaeis Hellenistis, Christianis, gentilibus *templum* aut *ecclesiam* notat.

(479) Graece ἐν ἀπόπτῳ ... τόπῳ. Vox ἄποπτος heic non *invisibilem* significat, sed ejus contrarium, quod scil. ἀπωθεν h. e. *eminus* videri possit. Sunt plures in hoc elogio dictiones, ex quibus quam non inepte conscripta historia illa integra fuerit, ex qua haec epitome fluxit, existimari potest.

(480) Post interrogationem non statim tormenta inferebantur, sed prius aliquot dierum custodia confessores macerabantur. Nec aliter in longiore historia, unde hoc encomium contractum fuit, scriptum fuisse, testatur elogium alterum, quod in Basiliano menologio legitur: quod ex eodem communi fonte, unde Synaxarium Parisiense sua haec hausit, manasse, ex eisdem passim utrobique locutionibus potest intelligi. In eo igitur Basiliano sic legitur: Καὶ τὸν Χριςὸν ὁμολογήσας, ἀπεκλείσθη μετὰ τῆς συνοδίας αὐτοῦ ἐν τῇ φυλακῇ. Καὶ μετὰ ταῦτα &c. *Qui Christum confessus, inclusus in custodiam cum suo comitatu fuit. Deinde* &c.

num & Athanasium in Christi confessione (481) *perseverantes, post multa tormenta igni tradi imperavit : quos ubi flamma non* (482) *violasset, ut gladio conficerentur, praecepit.*

XXIIII N S IOHANNIS BĀP

QVae ad hujus festi in utraque Ecclesia antiquitatem ac ritus attinet, & alia plura huc pertinentia copiose praeter ceteros complexus est Dan. Papebrochius; quem vide ad XXIV. Junii pag. 698. & seq. His adde antiquos libros sacramentarios Gelasii, Gregorii, aliosque, in quibus tres Missae reperiuntur: una Vigiliae erat, altera summo mane, tertia consueto tempore celebrabatur: id quod etiam veteres scriptores liturgici testificantur. Vide de his etiam Edmundum Martenium in *Antiqua disciplina de Divinis Offic.* cap. 32. num. 23. 24. Adde & Dominicum Georgium ad Adonem hoc & hesterno die; hic enim omnium ultimus liturgica hujus antiquissimae festivitatis attigit.

Parum autem hoc est, quod hoc festum antiquissimum dixi. Nam vere hoc mihi videor esse dicturus, videri hanc unam ex illis fuisse festivitatibus, quae ab exordio nascentis ecclesiae agitari coeperunt. Hoc haud obscure innuere videtur S. Augustinus serm. *296.* ubi ait hanc sollemnitatem inter eas haberi, quas *ex majorum traditione* suscepit ecclesia. Qua locutione hoc vult dicere, hujus festi nullum reperiri initium, sive ab aliquo concilio, sive alia ecclesiae sanctione, sed a *majoribus* [h. e. ab ipsis ecclesiae primordiis] ad nos fuisse transmissum. Hanc enim alibi generalem regulam Hipponensis tradidit, ut quarum rerum per totum Christianum orbem diffusarum nullum usquam reperitur principium, eas ab Apostolica traditione procedere intelligamus. Cujus generis mihi haec videtur celebritas, semper & ubique ab omnibus consensu maximo observata. Imo, quod mirum est, hujus diei laetitia ab ipsis olim gentilibus agitabatur; ut a viris doctis ostensum fuit. Ita illud oraculum, *Multi in nativitate ejus gaudebunt*, re probatum cernitur. Ad idem oraculum alludit vetus oratio, qua *spiritualium gratiam gaudiorum* a Deo hodieque rogamus.

Porro de *Christianis S. Joannis* [quos late diffusos per orientem, itinerum scriptores tradunt: quos etiam *Sabios* aut *Zabios* vocant] multa apud eosdem itinerantes reperies. Ii vero nomen prope tantum inane Christianorum gerunt, re tamen vera nihil minus quam Christiani sunt; etsi originem suam ad S. Joannem referant, & baptismum nescio quem observent. Eorum religio ex Christianis, Judaicis, & Machometanis scitis atque institutis coaluisse visa est Chardino in Persico itinere. Videatur de hoc hominum genere Biblicum Calmeti dictionarium.

Jam vero de basilica Neapolitana S. Joannis, a Vincentio sexti saeculi episcopo aedificata, memini me pluries fecisse mentionem. Ea jamdiu est, quod *S. Joannes Major* vocatur, plane ut ab aliis pluribus ejusdem nominis ecclesiis distinguatur.

De ejusdem Baptistae die *Passionis* vide infra ad XXVIIII. Augusti. Item de ejus-

(481) Solebant enim post unius exsecutionem, qui supererant interrogari, perstarentne in proposito, an salubriora, ut ipsi loquebantur, consilia capessivissent.

(482) Forsitan quidem citra miraculum, ignis, quippe ex industria lenior, eos non perimerat. Nam dedita opera Galerius leniter Christianos ustulari faciebat, non eo usque scil. ut absumerentur, sed ut diutius torquerentur, uti narrat Lactantius de mort. persecutor. cap. 21. Sed tamen si vera refert encomium, eos scil. ab *igne* [ἀπαθεῖς φυλαχθέντας] *nihil passos*; haec non potuere citra miraculum geri.

ejusdem Festo Conceptionis videbis infra ad XXIII. Septemb. Ac postremo de ejusd. Inventione Capitis egimus sup. die XXIV. Febr. Ita quatuor in hoc marmoreo Kalendario S. Praecursoris Christi festa per anni circulum consignantur.

XXV P S FEBRONIE

CAP. I.

Ejus cultus quam late patuerit.

S. Febroniae virginis & martyris cultus initio, ni fallor, Mesopotamiae [ubi passa martyrium, & ubi sui corporis exuvias reliquit] ac vicinae Syriae finibus se videtur continuisse. At postquam Jovianus Aug. anno 363. ad redimendam pacem, Nisibim [qua in urbe ejus reliquiae asservabantur] coactus est Persis tradere; tunc verisimile est, ejus corpus CPolim (483) allatum fuisse. Itaque ex illo tempore crediderim, ejus cultum longe lateque per Graecas ecclesias CPolitanae subjectas increbuisse. Certe quidquid est Graecorum officiorum, eam miris extollit laudibus. Ex Graecia vero ejusdem cultura in Aegyptum (484) atque in (485) Moscoviam transiit. Atque in Orientis & Graeci oris Ecclesiis sic se res habuit.

At in Occidente ubicumque aliquid vestigii Graecanici exstitit, ea item celebrata fuit. Ob eam causam ejus cultus Neapoli antiquitus viguit: quod ex hoc Kalendario IX. saeculi licet animadvertere. Ex Neapolitana vero Ecclesia ejus veneratio etiam viciniam pervasit omnem; maxime quia [ut infra dicemus] Joannes diaconus is, qui X. ineunte saeculo chronicon episcoporum Neapolitanorum scripsit, S. Febroniae vitam de Graeco in Latinum transtulit. Itaque ea Joannis interpretatio in causa fuit, ut & Neapoli augeretur is cultus, & vicinas etiam ecclesias permearet. Capuae certe miro in honore Febronia erat: id quod & ex vetere Breviario ejus Ecclesiae, quod penes me est, & ex aliis Capuanis Kalendariis licet animadvertere.

Verum ut Neapolim redeam: fatendum est, ibi postea Febroniam de die XXV. [forsitan ob concurrens eo die cujusdam *S. Diltrudae Virginis* festum, sive alia de causa] in diem XXIII. fuisse retractam: id quod constat ex eo Kalendario, quod Tutinus ex Rituali Neap. descripsit: in quo die XXIII. Junii legitur *S. Febroniae Virg.* Qui quidem festivitatis dies etiam in Capuanis Kalendariis mire (486) variasse cernitur.

Sed & Sicilia non alia de causa Febroniam colebat, quam quia tunc pleraque pars insulae Graeci oris erat. Hinc Octavius Cajetanus ex Pactensibus Fastis *Fe-*

 bro-

(483) Synaxarium Ms. Collegii Claromontani Parisiensis apud Bollandistas testatur, Febroniae celebritatem actam fuisse ἐν Προφητείῳ [hoc est in *Prophetae Joannis templo*] *sancti prophetae praecursoris & Baptistae Joannis* (ἐν τῇ Ὀξείᾳ) *in Oxia*. Ibi vero reliquiarum Febroniae arcam fuisse, colligi potest ex apostrophe illa, quam ex Menaeis recitat Papebrochius num. 10. ἰάσεις ἀναβρύεις . . . *scaturis* [o Febronia] *curationibus . . . . . in eorum gratiam qui cum fide adeunt tuum sanctum loculum*: illum scil. qui tunc CPoli omnibus venerationi erat.

(484) Videatur Papebrochius num. 4. ubi observat, Nostram a Coptis *Afraniam*, ab Habessinis *Kephroniam* appellatam. Ad nomenclationis varietatem id quoque pertinet, quod eadem a Siculis sive *Prophonia*, sive *Prophronia* nuncupabatur, uti mox videbimus.

(485) Cur vero a Moscovitis vocetur *Simillima martyri Phebronia* [si vera refert ex eorum synaxario Papebr. ad finem num. 4.] exspecto dum alius nobis expediat.

(486) Mich. Monachus in Sanctuar. Capuano pag. 514. sic habet: *De S. Febronia Virg. & Mart. alii die 24.* [*ut Kalendarium 2.*] *alii die 25.* [*ut Kalendarium 1. Mrologium Rom. & fere omnes*] *sed hac die 23.* [quo die scil. de ea agitur in Kalendario Breviarii Capuani] *agit Kalendarium tertium, & lectionarium Ms.* Lectionarium parthenonis S. Joannis antiquissimi intelligit.

broniam inseruit suo Siculo Mrologio in Operis sui Idea; etsi postea in toto Cajetani opere nullam de Febronia mentionem occurrere, conqueritur Papebrochius hoc die pag. 17. num. 15. quae confer cum dictis ab eodem Bollandista num. 3. Ceterum Joannes de Joanne, qui nuper de *Divinis Siculor. Officiis* opus edidit, ad diem XXV. Junii non *Febroniam*, sed *Propheniam Virg. & Mart.* memorat, de qua eo die fieri ait in Messanensibus Officiorum libris, & in Gallo-Siculo Breviario. Itaque hac nominis mutatione turbatum Cajetanum suspicor: qui ubi nihil certi apud se statuere quivit, utrum *Prophonia* eadem quae *Febronia* esset; hinc forsitan omnem de *Febronia* in suo opere curam abjecit. Sed aliquid certe causae fuit, cur Febronia prius forsan (487) *Prophronia*, mox *Prophonia* appellaretur.

De Febroniae Reliquiis Tranum in Apuliam allatis vide Bollandistas hoc die num. 12. & seq. Hinc videtur postea etiam in vicinas ecclesias ejus cultus disseminatus.

At interim in Latinis antiquioribus Mrologiis nihil olim de Febronia legebatur. Ac sero demum in sua mrologia eam intulerunt Molanus, & Galesinius; ac novissime eamdem in Romanum ex his, & ex Menologio Sirletiano Baronius inseruit.

C A P. II.

De diversis S. Febroniae Actis.

Jo: Albertus Fabricius in libri V. Biblioth. Graecae parte altera, [h. e. volumine VI.] Catalogum Graecar. Vitar. ex Allatio, Hanckio, & aliis compositum dedit: in quo pag. 526. Vitae *S. Febroniae Mart.* hoc adscribit initium: Εγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Διοκλητιανȣ̃ τȣ̃ βασιλέως Ἄνθιμον τὸν ἔπαρχον. Deinde addit: *Acta haec scripsit Thomais* [Θωμαΐς] *Febroniae* [488] *famula, si veram nobis fabulam narrat.* Ex quo initio, & quod vitae facit auctorem Thomaidem, aperte perspicitur, non aliam hanc esse vitam ab ea longissima, quam Papebrochius [hoc die pag. 17.] eisdem verbis ordientem Graece & Latine edidit, quam & Jo: diaconus olim Latine verterat.

Atqui ibidem Fabricius statim subjicit *Aliud ejus Martyrium auctore incerto*: cujus initium parum a superiore differt; quod quidem ibi Fabricius tale adscribit: Εγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Διοκλητιανȣ̃ τȣ̃ βασιλέως Ἄνθιμος ἔπαρχος. Idque principium facit, quo minore hujus passionis, ubinam lateat, conquirendae sollicitudine teneamur. Nam ex simili initio licet conjicere, cetera quae sequuntur ex illa longiore historia fuisse contracta. Quod si haec posterior meliora forte complectitur; rogo ut qui eam cum tineis luctantem repererit, depromere in publicum commodum ne gravetur. Extat & Syriace de Febronia conscripta historia manu exarata: cujus notitiam infra capite seq. dabimus ex Illustriss. Josephi Assemani Bibliotheca Orientali.

Ad acta ex illis copiosis contracta quod attinet; ea in omnibus Graecorum Officiis haud multum inter se discrepantia reperiuntur, tum in utroque Menologio [Basilii & Sirleti] tum in Menaeis editis

(487) Canonis Menaeorum acrostichis talis est:

Ὕμνοις σε μέλπω προφρόνως Φεβρωνία,
Hymnis celebro te, Febronia, provide.

Ex illo autem Προφρόνως [qua voce certe ad nomen virginis alluditur] ejus acrostichidis mirum ni vulgus [uti fit] paullatim eam *Prophroniam* vocaverit, mox corruptius *Prophoniam*. Confer alias hujus virginis multo longinquiores Coptorum atque Habessinorum (*Afraniae* scil. & *Kephroniae*) appellationes, quas paullo superius retuli.

(488) Memoria heic fefellit sive Fabricium, sive eum ex quo id hausit. Nec enim *Thomais* famula Febroniae fuit, sed potius in eo monasterio secundum praefecturae locum post Bryenen [quae prima praefecta erat] obtinebat. Id enim valet δευτερεύουσα: quod ei munus in Graeco actorum passim tribuitur. Simile est illud apud Cangium monasticum officium, Δευτεράριος *Deuterarius* h. e. *Vicarius*, quasi *Secundarium* dixeris; cui scil. secundae post abbatem in regendo monasterio deferebantur.

editis & Mss. & in pluribus Synaxariis. Quae quia lector edita habet in utroque Menologio & in Menaeis excusis; non fuit cur huc afferrentur. Verum ut lector qualecumque passionis hujus Virginis specimen habeat; non invitus lectiones tres Breviarii Veteris Capuani huc afferam: in quibus tamen nihil de ante acta Febroniae vita, nihil de Reliquiarum translatione, & aliis id genus (489) reperies.

Lectio I. *Sedentes pro tribunali Selenus & Lysimachus sanctam virginem Phebroniam introduci jusserunt ligatam manibus, & (490) onus collo grave ferentem, indictoque silentio dicit Selenus Lysimacho: Assume percontationis auspicium, ut certam audias responsionem. Tunc Lysimachus: Dic mihi, inquit, adolescentula, cujus es fortunae, ancilla an libera? Quae respondit: Ancilla. Et Lysimachus: Cujus ancilla. At illa, Christi, inquit.*

Lectio II. *Dehinc Selenus faciens silere Lysimachum, ipse examinandi, vel potius deterrendi sumpsit officium. Cumque in confessione fideliter perseverantem Christi famulam invenisset, post immanissima (491) supplicia, humanae nativitatis immemor, jussit ei detruncari mammillas. Tunc prout valuit, exclamans in caelum dixit: Jesu bone aspice vim mihi inflictam: veniat obsecro anima mea in manus tuas. Et his dictis ulterius non est locuta. Geminas deinde manus dextrumque pedem fecit beatae virginis amputari.*

Lectio III. *Illa vero omnibus membris exagitata contremuit. Verum quid Seleno crudelius? quid hac virgine sancta robustius? Cum jam pene exanimis jaceret, & se difficulter agitare quodammodo valeret, tamen sinistrum erigens pedem, conabatur ad praecidendum (492) imponere. Cernens hoc crudelissimus censor, Videte, ait, hujus maledictae constantiam. Statimque eam capite truncari jussit. Carnifex autem apprehensa capillorum coma, velut immolandae ovis, caput ejus abscidit.*

C A P. III.

De longioribus S. Febroniae Graecis actis Thomaidi tributis, eorumque Latino interprete Joanne diacono. Ea Syriace primum scripta fuisse, deinde ex Syro in Graecum transfusa. Eorumdem aetas & qualecumque pretium.

Exstant apud Papebrochium hoc die a pag. 17. ad 35. longissima hujus Febroniae acta Graece & Latine, quae Thomais secunda post Bryenem monasterii praefecta, se conscripsisse profitetur. Quae quidem celeberrimus chronographus Joannes diaconus Neapolitanus initio saeculi decimi de Graeco in Latinum, ut plura alia ejusmodi opuscula, transfuderat. Cujus interpretationis quum plura ex variis partibus manu exarata exem-

(489) Etenim eae Lectiones solam certaminis narrationem [eam vero perquam jejunam: etsi quo breviorem, eo forsitan tolerabiliorem] continent. Quumque Papebrochiana vita septem longis capitibus constet; hae lectiones a cap. quarto suum compendium ordientes, ultra caput quintum minime progrediuntur.

(490) Nimis vagum *Oneris* nomen est, nec vim vocabuli Graecorum actorum satis exprimit: in quibus *κλοιὸς* insertus collo dicitur. *Κλοιὸς* est *collare* sive *boia* aut *numella*: quod genus ex ligno, ex corio bovino aut ex ferro confici mos erat. In Glossis Gr. Lat. *Κλοιὸν περιτίθεσθαι* exponitur, *Inboiare*. Est & compositum *κλοιοφορεῖν* in Basilicis. De *κλοιῷ* copiose agit H. Stephanus tom. V. Thes. Omnino unum ex suppliciis erat tum in servos, tum etiam in sontes alios inferri solitum.

(491) Immania haec supplicia, quae in his lectionibus reticentur, & in Actis fuse exponuntur, magna ex parte complectitur Mrologium Rom. his verbis: *Sibapoli in Syria* (imo Mesopotamia) *S. Febroniae virg. & mart. quae in persecutione Diocletiani sub Lysimacho praeside ob fidem & pudicitiam servandam, primo virgis caesa & equuleo torta, deinde pectinibus laniata atque igne succensa, demum excussis dentibus, mammisque abscissis* (manuum pedisque dextri amputatio heic omittitur) *capitis damnata, tot passionum ornata monilibus, migravit ad Sponsum*

(492) Manca est locutio, supplenda ex actis ad finem sect. 30. ubi est, *ἐπὶ τῷ ξύλῳ ἐπιθεῖναι*, *Ligno imponere*, nempe quo aptius amputatio procederet.

exemplaria Bollandistis suppeterent [de quo vide Papebrochium in Comm. praevio num. 2.] tamen vehementer doleo, quod eam sive e regione Graeci textus, sive seorsum edere supersederint. Incredibile enim dictu est, quot commoda ex antiquis interpretibus capiantur. Primum iis ducibus maculae ex hodierna Graeci textus lectione plures eluuntur. Deinde ostenditur, quaenam in suo codice supra hodiernum ampliora, quae vero parciora interpres invenerit. Postremo locis quibusdam difficilibus lux affulget: vis ac potestas tum Graecarum vocum ex Latina translatione, tum Latinarum aevi sequioris ex Graecis dictionibus respondentibus perspicitur: ut alias praeclaras utilitates taceam. Etiam sicubi interpretes antiqui a scopo aberrant; volupe est, quid illos transversos egerit, pervidere. Vtinam exsistat aliquis, qui quidquid antiquorum exstat interpretum, eos e regione Graecarum scriptionum in gratiam criticorum edat.

Sed & post Joannem Neapolitanum aliquis alius vitam eamdem Latine reddidit: quam interpretationem Lipomanus ac Surius in mensis Junii diem XV. inseruerunt. Non alia vero de causa diei XV. potius quam XXV. assignarunt, quam quia in Graeco codice in fine vitae reperiebatur, credo, scriptum ιε´ pro κε´. At in Graeco textu, quem Papebrochius dedit, scribitur, εἰκάδι ε´ h.e. *die XXV.*

Postremo ultimam translationem a Bollandistarum calamo habemus, quam ad latus Graeci textus Papebrochius apposuit.

Sed tamen hae duae recentes versiones illius antiquae ab Joanne profectae desiderium non (493) mitigant, imo potius augent. Nam illa certe periocha interpretis ultima, quam ex scriptis membranis profert num. 1. Papebrochius, duas habet voculas maxime necessarias, quas in Graeco frustra requiras: ex quibus intelligimus, hanc vitam Syriace primitus fuisse ab eo, qui Thomaidis personam induit, elucubratam. Ea periocha ejusmodi est: *Ego denique Thomais, ultima famularum Christi, quae Dominae ac venerabili Bryenae in regimine successi, cuncta quae huic Sanctae evenerunt, ab exordio perspicue novi; & quae ipsa videre non potui, a Domno Lysimacho didici: propterea omnem illius vitam vel gesta IN PATRIA LINGVA seriatim stylo tradere curavi.* Ex quibus intelligimus, eam vitam Syriace primitus fuisse conscriptam. Nemini enim dubium esse potest, quin *patria lingua* Mesopotamiae [in qua haec primum scripta fuerunt] Syriaca fuerit. Et has quidem voculas duas Joannes diaconus in suo Graeco, uti par est, exemplari reperit. Aut si de suo id admensus fuit; saltem aliunde hoc scivit, non Graece primum, sed *patria lingua* haec fuisse perscripta.

Dixeris fortasse, *patriae linguae* nomine posse & Graecum sermonem venire, qui quarto saeculo communis in Mesopotamia erat. At respondemus, viros dumtaxat egregie eruditos ibi tunc Graece scivisse, non item reliquum vulgus, ac multo minus Sanctimoniales, ex quarum numero fuisse se videri vult auctor hujus opusculi. Verum quid moror? De primitivo hujus vitae textu, quin Syrus fuerit, vetat dubitare Graeca ipsa vita, qualis nunc apud Bollandistas exstat, in qua innumera supersunt Syriasmi indicia. Initium ipsum totum est ex orientalis linguae ingenio. Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως Ἀνθιμουν ... κατακεῖσθαι, *Factum est, in diebus Diocletiani imperatoris Anthimum ... decumbere*: ubi duplex orientalis tritissimus idiotismus est [quo in narrationum initiis utebantur] & quod verbum substan-

(493) Scio Neapoli ejus versionis exempla olim fuisse, unde Beatillus apographum Bollandistis submisit. Sed utrum post jacturam veterum membranarum, quae Neapolitanis tabulariis ante hos triginta annos accidit, adhuc ea interpretatio supersit, ignoro. Nec excutere reliquas nostras ex naufragio tabulas vacavit.

ſtantivum pro verbo *Accidit*, & quod *diebus* pro *temporibus* uſurpatur.

Ac plura ſunt in decurſu ejusdem patrii ſermonis argumenta; ut quod tertio quoque verſu Κυρία & Κύριος (ut Syriacus mos obtinet) nominibus praeponitur, ut Κυρία μάτερ *Domina mater*; Κυρία ἀδελφή, *Domina ſoror*, & interdum δέσποινα. Et quod mirum eſt, etiam ex ore Seleni judicis ſcribitur ſect. 22. v. 12. κυρίῳ μου Λυσιμάχῳ, *Domino meo Lyſimacho*. Adde Syriaca vocabula, interdum aſperſa, ut ſect. 28. βρά, βρά, βρά. Et ſect. 34. βρά ... ταλιθά κουμι &c. quae alibi explicabimus. Poſtremo quod urbs, in qua geſta fuere omnia, non *Niſibis* more Graecorum, ſed *Siba* more Syrorum nuncupetur, id aperte oſtendit, vel ſi cetera deſint, haec non niſi Syriaca dialecto primitus ſcripta prodiiſſe. Quamquam non eſt incredibile, etiam Graecum interpretem ſuam in id opus ſymbolam contuliſſe, & quae Syriace ſcripta reperit, ea multo auctiora ex ingenii ſui penore Graece dediſſe.

Haec dum ſcriberem, incidi in eorum librorum Syriacorum catalogum, quos illuſtriſſimus idemque eruditiſſimus Joſephus Aſſemanus Bibliothecae Vaticanae praefectus olim ante hos triginta annos ex orientis itineribus in Vaticanam Bibliothecam intulit: inter quos (tom. 1. biblioth. orient. pag. 606. col. 2.) reperio Acta *S. Febroniae Virginis*. Ex quibus, ſi in publicum prodirent, facile eſſet animadvertere, utrum quae acta Papebrochius Graece dedit, ſint fida Syrorum Vaticanorum interpretatio, an multo ampliora Syris.

Quonam vero potiſſimum tempore haec, quae ex Bollandiſtis habemus, ſcripta fuerint, haud facile dictu arbitror. Sed tamen etſi longe poſteriora ſint quarto ineunte ſaeculo, quo hoc martyrium contigit (maxime quum muliebria monaſteria, cujuſmodi in hoc commentario perfecta ad unguem deſcribuntur, auctorem diu poſteriorem re geſta arguant) tamen certum eſt, Graecam ſcriptionem antiquiorem fuiſſe decimo incipiente ſaeculo, quo ea ab Joanne in Latinum traducta fuit: imo & aliquanto vetuſtiorem; quia etſi parum elegans, tamen parum iis vocibus ſcatet, quas jam nono ſaeculo recens Graecia ex barbarie contraxerat. Syriaca autem ſcriptio multo praeterea antiquior fuerit oportet.

Et aliquid certe ad tempus conjiciendum affulgere videtur lucis ex urbis *Niſibis* nomine: qua in urbe Febroniae vita omnis tranſacta fuit. Ea urbs in Syrorum ſcriptis (quorum fragmenta plurima in Aſſemani Biblioth. Orientali habemus) uſque ad VI. fere ſaeculum integre נציבין *Neſibin* appellatur. Eadem vero poſt milleſimum Chriſti annum per aphaereſin *Soba* vocari coepit. Vide eumdem Aſſemanum tom. 3. Biblioth. orient. pag. 3. Nota 3. initio Catalogi Ebed Jeſu metropolitae *Sobenſis*, h. e. Niſibeni. Illud vero non queo decernere quam pridem detruncato nomine *Soba* vocari coeperit. At equidem ſuſpicor, initio pro *Neſibin* vocatam *Sibin* ſive *Siba* fuiſſe (quod mirum ni VII. circiter Chriſti ſaeculo contigerit: in quod tempus compoſitio horum actorum incidiſſe videtur) deinde etiam prima vocalis mutari coepit, atque ex *Siba* factum eſt *Soba*. Verum haec nemo alius praeter Aſſemanos, Majorem ac Juniorem, eliquata nobis aliquando dabunt.

Hactenus de ſcripti aetate. De pretio autem non poſſum non rata habere, quaecumque Tillemontius Not. ult. in Dioclet. perſecutionem de his actis judicavit. Quibus adde quod ex tam longa hiſtoria, quae lectorem vel patientiſſimum delaſſaverit, vix aliquid antiqui moris addiſcas: in ea nihil κατὰ τὸ πρέπον & priſca conſuetudine factum animadvertas: nihil venuſtatis aut ſincerae ſimplicitatis admireris: nihil demum pietatis ejus, atque unctionis perſentias, quae lectorem intime deliniat, atque perfundat. Quae tamen non eo dico, quaſi de fundamento hiſtoriae ullus ſit dubitandi locus.

Nam

Nam satis alibi ostensum fuit, in ejusmodi scriptis, in quibus auctor sibi coaetanei alicujus hominis personam assumit, minores quidem circumstantias ad arbitrium fuisse confictas, at τὸ ὑποκείμενον [*fundum*] historiae non item; maxime quum, quando haec spissa historia fabricabatur, exsisterent sincera rei gestae monumenta, quae non sinerent impostores impune omnia ab ipsis fundamentis comminisci.

C A P. IV.

In pauca quaedam ejus historiae loca animadversiones. Sibapolis *eadem quae* Nisibis: *quae initio* Achad, *postea* Nisibis, *aut* Nasibis *aut* Nesibis [*quae vox Syriace* columnas *sonat*] *deinde* Siba *&* Sibapolis, *postremo* Soba *est appellata. Observantia Feriae VI. par Dominicae ab ascetis orta, postea Constantini lege sancita fuit.* Medici *vox pro* Chirurgo. *Mortui dicis causa ad orationem, ad epulas, ad cetera vitae munia invitabantur, tamquam adhuc vivi. Locus Ammiani de Constantio illustratus. Hujus vitae locus Syriacis verbis conceptus restituitur & explicatur.*

Sect.4.v.2. τὴν Σιβάπολιν. Haec antea divisim dicebatur Σίβα πόλις, ut arbitror; nam in hujus martyris elogio, quod in menologio Basilii exstat, sic scribitur: ἐν πόλει καλουμένῃ Σίβῃ, *In urbe quae Sibis vocatur.* At postea coepit continuo ductu Σιβάπολις scribi. Nec dubium est, quin eadem sit ac Nisibis, illa celebratissima: quae quidem plura habuit nomina. Initio *Achad* sive *Achar* vocabatur, si antiquis (494) credimus. Deinde Syris dicebatur נציבין *Nesibin*, Graecis autem, teste Stephano, in primore syllaba variabat vocalis; non tantum enim *Nisibis*, sed & *Nasibis* & *Nesibis* vocabatur. Exstat & nummus Jul. Paullae cum E in prima syllaba. Idem Stephanus ejus nominis Phoenicias duas significationes affert, quas explicat erudite (495) Bochartus. Postremo Macedones eamdem Antiochiam Mygdoniae appellaverunt teste Plutarcho. Sed redeo ad nomen hoc alterum, quo *Nisibis* nuncupabatur. Id quidem nomen Syris, ut ante dicebam, diu in usu fuit, saltem usque ad VI. saeculum. At postea apud eosdem Syros ea vox capite detruncata fuit; ac primum *Siba* [unde *Sibapolis*] deinde post millesimum Christi annum, ut cap. superiore monuimus, *Soba* vocata fuit, jure metropolitico gaudens. In Menaeorum excusorum elogio S. Febroniae eadem urbs citra ambages Νήσηβις *Nesebis* nuncupatur.

Ibid. v. 11. *Et erat canon a Platonide* [Bryenes magistra] *traditus talis* [ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς παρασκευῆς οὐχ ἵνα πάντων ἀδελφῶν ἐργάζεσθαι] *Ut in die parasceves* [sive qualibet VI. feria] *sorores omnes a quolibet opere vacarent*: quo die, ut sequitur, in oratorio psalmodiae & Scripturarum lectioni dabatur opera. Haec vacatio & observantia VI. feriae par diei Dominico, ne cui inaudita videatur; sciat eam ab Eusebio haud obscure tangi, tamquam a Constantino institutam, lib.IV. de ejus vita cap.18. clarius autem

(494) Hieronymus in Quaest. in Gen. X. 10. de Nimrodo scribit: *Regnavit & in Arach, hoc est in Edessa, & in Achad, quae nunc dicitur Nisibis.* Hoc (quod ceteroqui Bocharto minus probatur, quem vide pag.237. cap.17.) didicerat credo ab antiquioribus popularibus Hieronymus. Nam S. Ephraem Syrus (quem ortu Nisibenum fuisse tradunt) in Comm. in Genesim hic scriptum de eodem Nimrodo reliquit: *Regnavit autem in Arach, quae est Edessa; & in Achar* (pro *Achad*: nam D & R apud orientales figura & pronuntiatione quum sint affines, facile alternant, ut saepe in Tyrrhenicis ostendimus) *quae est Nisibis* &c. Totum locum affert Syriace Assemanus to.1. Biblioth. Orient. p.26.

(495) *Significat autem* (ait Stephanus) *Nasibis secundum Philonem* (Byblium, credo, illum celebrem intelligit) *COLVMNAS; at secundum Vranium Nesibis lingua Phoenicum sunt lapides collecti & coacervati.* Id quod Bochartus (in Punicis ex Stephano vocibus) ex Gen. XIX. 26. suadet, ubi נציב *Nesib* utroque modo ab antiquis exponitur.

autem & exponi, & eidem tribui a Sozomeno I.8. Conferatur utriusque locus. Interim siqua obligatio de Feriae sextae observantia Constantinum auctorem habuit[de quo est quod dubitem]ei videtur antea laudabilis ascetarum & ascetriarum [ut ex hujus vitae loco colligitur] consuetudo praelusisse; ac tandem eadem observantia imperiali aliqua constitutione sive imperata, sive [quod malim] commendata fuisse.De quo nolo heic plura addere, alibi rem maturius expensurus.

Sect. 25. v. 11. Febronia, quum animo defecisset, rogat, ut aqua faciei suae affundatur; quo facto, revixit. Nimirum jam tum aevo scriptoris hujus hoc remedium, quo nihil hodie vulgarius est, usurpabatur.

Sect.26. ἰατρὸς [*medicus*] vocatur is qui linguam amputat, quique dentes evellit. Item sect.27. qui mammas praecidit, eadem *medici* appellatione donatur. Id vero quum antique dictum sit [nam apud antiquos ad haec omnia *medici* nomen pertinebat,uti nudius quartus ad epistolam Vranii adnotabamus: cui substantivo interdum *chirurgi* epitheton adjungebatur,ut *medicus chirurgus* vocaretur is,qui manus opifices admoveret]quum,inquam id antique dictum sit; ex antiquiore ac sinceriore scripto hoc manasse videtur. Ead. sect. 27. & 29. mammae vocantur novo plane vocabulo γαλακτορυὰ, a *fluente* ab iis *lacte*. Item sect. 27. cultrum vocat σμίλαν: quae vox legitur etiam in Apophthegmatis Patrum in Agathone.

Sect. 34. versus finem, illato in monasterium Febroniae corpore, & jam τῆς ἐννάτης [*Nonae*] appropinquante tempore,Bryene monasterii praefecta Febroniam his verbis hortatur: *En, Febronia, tempus orationis, veni ad orationem filia*. Idem & Thomais prosequebatur. Hoc item non dubito, ex antiquiore hujus Febroniae historia sumptum fuisse: quod certe morem antiquum continet, quo in monasteriis recens defuncti dicis causa ad orationem, & ceteros monasticos actus invitabantur. Talia multa etiam gentiles erga defunctos factitabant, ut quum eis epulas apparabant, quod tritum est. Eodem etiam spectat, quod ei vehiculo, in quo Constantii imperatoris cadaver portabatur [cui etiam Jovianus protector domesticus, qui post Julianum postea imperator fuit, tamquam portitor reliquiarum insidebat] *Annonae militaris offerebantur indicia* [h. e. specimina] *ut ipsi nominant PROBA* [vulgo *La pruova*] *& animalia publica monstrabantur*; uti narrat Ammianus ipso fine lib. XX. Quae enim vivis imperatoribus fieri consueverant, eadem & mortuis, ut equidem accipio, dicis causa fiebant.

In eadem hortatione statim haec adduntur. *Et coepit Syro sermone* hortari Febroniam ac *dicere*, βρὰ, βρὰ, ἰάθη· πελκωθὰ, κυμη παλιθὰ, κύμηθα. Corrupta haec esse, ex translatione Graeca, quae statim additur,perspicitur: ὅ ἐστι, τέκνον μου Φεβρονία ποῦ εἶ; ἀνίσταθι καὶ ἐλθέ. h. e. *Quod significat, Filia mea Febronia, ubi es? surge & veni*. Sed tamen Syriaca illa optime restituentur, modo ex altero βρὰ & ex sequente ἰάθη fiat Syriacum *Febroniae* nomen simulq. Syrum adverbium interrogativum *Vbi*: quod tamen Syriace pro θ requirit χ: etsi eas duas aspiratas pronuntiatio permutabiles efficiebat. Itaque prius membrum quo designavi modo restitutum, optime respondebit interpretationi huic: *Filia* [nam sicuti *Bar* syriace est Filius, ita *bra* est filia: etiam sect. 28. Bryene ter inclamavit βρὰ h. e. *filia*] *Filia*, inquit, *Febronia, ubi es?* Cetera vero sic sunt corrigenda, ut ad orthographiam Marci V. 41. exigi debeant ac praeterea ultimum illud κυμηθὰ in duas dispesci voculas, quarum posterior sit θὰ, sive potius feminine θάϊ [Syriace תי *thai*] h.e.*veni*. Sic ergo quae sequuntur Graecis litteris exprimantur: παλιθὰ [pro illo corrupto πελκωθὰ] κοῦμι, παλιθὰ κοῦμι, θὰ, sive θάϊ, h. e. *puella surge, puella surge, veni*.

Plures autem in Graeco vitae hujus sunt mendae, facile corrigendae: ut

quod sect. 42. v. 2. theca, in qua reliquiae Febroniae reconduntur, vocatur Κάμςρα [idque non semel] quum scribendum sit Κάμψα, *capsa*, cujus vocabuli meminit Hesychius. Sed piget his amplius immorari.

C A P. V.

De die passionis.

Diem certaminis vetat nos ignorare marmoreum Kalendarium, in quo uti vides, diei huic praemittitur P. ut sit nota *passionis*. Cum his Fastis consentiunt libri omnes Graecanicorum officiorum, nullo excepto, qui diem XXV. Junii ἀθλήσεως faciunt. Consentit metrica ephemeris, quae εἰκάδι πέμπτῃ [*die XXV.*] Febroniam ad ictum *tetendisse collum* dicit: consentiunt Copti, Habessini, Moscovitae, ac Siculi.

Atqui oppones, in Graecis actis quae nunc exstant, nihil prorsus de die fusi sanguinis notari; sed tantum in fine Actorum sect. 42. scribi: κατετέθη τὸ λείψανον τῆς ἁγίας μάρτυρος. μηνὶ Ἰουνίῳ εἰκάδι ε. *Depositae sunt sanctae martyris reliquiae* [h. e. dens unus, quem vix auferri ab integro corpore licuit] *die XXV. mensis Junii.* Depositae sunt autem in Ecclesia quā Episcopus[qui tunc ille celebris S.Jacobus Nisibenus fuerit necesse est] ei per totos sex annos aedificaverat.Ex quo fit, diem XXV. Junii non fuisse fusi sanguinis diem, sed potius diem depositarum post sexennium reliquiarum.

His respondemus ex Joanne diacono Neapolitano antiquo interprete. Is enim reliquias illas eodem die repositas dixit, *quo ipsa pro Christo martyrium suscepit.* Quod quidem hic interpres in suo Graeco codice legisse omnino videtur. Aut saltem aliunde id scivit Joannes. Nisi postremo sic malumus: nempe, quia Joannes in hisce marmoreis Fastis hoc die P. praemitti observavit, idcirco ea verba [*die quo ... martyrium suscepit*] versioni de suo adjecisse.

Quamquam & ipse Joannes die uno a nostris fastis variat. Sic enim in Mss. omnibus se scriptum reperisse testatur Papebrochius num. 3. ut reliquiae collocatae dicantur *die, quo ipsa pro Christo martyrium* (olim) *suscepit,hoc est OCTAVO Kal. Julii,*die scil.XXIV. non XXV. Junii. Sed prompta est responsio, haec ab Joanne antiquo more notis Romanis fuisse perscripta, & quidem in hunc modum, *VII. Kal. Julii*; at deinde amanuensium vitio adjectam μονάδα, ac scriptum *VIII.*, ac demum integris litteris *Octavo*. Ejusmodi numerorum mendis hujusmet Joannis chronicon in assignandis episcoporum annis miserum in modum scatet.

Nescio quo modo illud praeterieram, quod in Latina Febroniae historia, quae apud Lipomanum & Surium legitur, depositae dicuntur reliquiae non XXV. sed *Quintodecimo die mensis Junii*. Verum hoc nihil est, quippe haud dubie ab errore numeralium notarum profectum; quum forte fortuna in eo Graeco codice, ex quo Suriana translatio expressa fuit, ιε pro κε lectum fuerit. Ceterum Graecorum consensus pro die XXV. stat.

XXVI P S IOHIS ET PAVLI

NIhil celebrius his duobus athletis Romae & ubique terrarum fuit; in tantum ut eorum festum in antiquissimis sacramentariis reperiatur, & quidem cum praecedente (496) Vigilia, & hodiedum eorum nomina in Missae canone

(496) In Gelasiano sacramentario duplex de his Missa adscribitur, una in Vigilia, altera in Natale. Sane vero S. Gregorium sustulisse vigiliam, Papebrochius (in hujus festi Comm. prae v.) dixit: sed immerito. Nam etsi ab ejus sacramentario, cujusmodi a Benedictinis inter opera S. Gregorii, & ab aliis editus fuit, abest Missa Vigiliae; at eadem tamen minime desideratur in Gregoriano Missali plenario Vaticano 4770. uti opportune monet Domi-

none recitentur: ut omittam, quod statim ab eorum interitu, celebre eis Martyrium in eorum domo aedificatum fuit. Quid potissimum tantam eis celebritatem pepererit, mox cap. I. investigabimus. Interim hoc tantum doleo eorum merito illustri deesse, quod quae acta eorum passionis apud totam retro antiquitatem excivere admirationem, ea non tantum severioribus criticis, sed etiam gravissimo Card. Baronio plusculis maculis aspersa videantur, nec parum a legitimarum historiarum bonitate absint. Vel sic tamen [modo a faeculentis S. Gallicani actis, quibuscum per injuriam haec historia coaluit, eadem segregetur] paucos admodum superfuturos condonabiles naevos, spondere audeo. Quocirca de duoviris hisce spicilegium pro meo more facturus, ante omnia si qua paucula de iis antiquitus scripta exstent, in medium afferam: qua perfunctus industria, tum demum in hodierna acta pro meo captu inquiram: & quidem ita ut non parum eisdem auctoritatis, quam jam pridem amiserant, restituatur.

C A P. I.

Antiquiora quaedam de hisce martyribus monumenta.

§. I. *Inscriptio eorum basilicae praefixa. De* Pammachii titulo, *ipsoque Pammachio. Castellani querelae de novo S. Pammachii cultu summarium Ecclesiae Rom. judicium opponitur. Celebritatis tantae sanctorum Joannis & Pauli causae plures recensentur.*

Initio me quidem in spem Damasiani epigrammatis erexerat diligentissimus Mabillonius in de Liturgia (497) Gallicana. Verum ea spe falsus, ad alia si qua restant, antiquitatis rudera colligenda me vertam. Exstat apud Gruterum pag. 1164. num. 8. epigramma, quod *in introitu ecclesiae Johannis et Pauli* positum dicit ejusmodi.

Antistes Domini celsa sacraria Christi,
Vestibulum decorat gratia pulcra loci:
Quae quia compta nitet, primaque in fronte renidet;
Ostendit quantum numinis intus inest.
Quis tantas Christo venerandas condidit aedes,
Si quaeris: cultor Pammachius fidei.

Nihil profecto in hoc toto epigrammate est, quod nostros designet martyres praeter *Pammachii* nomen, qui exstructor Ecclesiae pugilum horum fuit; quae proinde *Titulus Pammachii* olim dicebatur. Sed proderit rei universae narrationem ex vulgatis SS. Joan. & Pauli actis addiscere: quibus & ex allata epigraphe conciliatur fides, & ex iis lux vicissim epigrammati affunditur. In ipsis igitur apud Bollandistas hoc die pag. 160. in fine totius historiae sic ex fide tantum egre-

minicus Georgius ad Adonem hoc die. Taceo quod jam pridem Hugo Menardus in Notis ad Gregor. Sacram. eamdem Vigiliae Missam laudat ex Remensi codice; & quod Edm. Martenius in de Divinis Offic. cap. 32. num. 25. pro eadem Vigiliae Missa, praeter Sacramentarium Gelasianum & Remensem, laudat etiam Gellonensem & Moissacensem. Adhaec pro hac vigilia peculiaria Responsoria in Thomasii Responsali reperio. Postremo Florentinius ad hunc diem in fine mentionem facit pridianae Vigiliæ, quae reperitur in Ms. Hieronymiano canonicorum Lucensium.

(497) Mabillonius in de liturgia Gallicana pag. 279. in adnotatiuncula, quam Missae horum martyrum subjicit, ait: *De his fratribus* (nam fratres fuisse hodiernos martyres, vulgo creditum fuit: de quo infra) *lege epigramma in tom. 4. Analectorum, Damaso, ut puto, auctore.* Verum id epigramma non tantum a quarto tomo, sed & ab universo Analectorum opere abest. Vtinam usquam exstaret tam antiqua memoria. Etenim Damasus anno 366. h. e. quadriennio post horum duovirorum martyrium pontificatum iniit.

egregii ac vetustissimi Corbejensis, & alterius perantiqui codicis[quem Papebrochius *Majorem nostrum* vocare solet] legitur. *Tunc Jovianus imperator*(Juliani successor: quē Jovianum amicum fuisse sanctorum Joannis & Pauli proxime dictum fuerat) *misit & rogavit ad se Vizantium senatorem; cui sic dixit*: „ *Nos gratia Dei* „ . . . *ad te mandavimus, eo quod jam nobis declaratum sit de B. Crispo presbytero & Crispiniano & Benedicta, eo* „ *quod & ipsos interfecerit Julianus, & in* „ *domo sanctorum Joannis & Pauli corpora* „ *eorum sepulta sunt. Vnde ego rogo ut diligenter requiras corpora sanctorum Joannis & Pauli.* „ *Et quum manifeste eos invenisset Vizantius cū filio suo PAMMACHIO, gratias agens Deo, renuntiavit Joviano imperatori: quibus gratias agens, ita praecepit dicens*: „ *Deus omnipotens bonum* „ *donum donavit nobis: accipe consilium*, „ *utere digne sanctis Domini* (Joanne & „ Paulo) *& fac fieri ecclesiam in domo* „ *sanctorum.* „ *Et cum coepisset Vizantius facere, coeperunt daemones sanctam passionem eorum declarare, ad laudem Domini nostri Jesu Christi: qui cum Patre* &c. Ex his vides Pammachium cum suo patre Byzantio Martyrium Joannis & Pauli, nondum exacto post eorum certamen biennio (h. e. sub Joviano Augusto, qui ab exeunte Junio anni 363. ad desinentem Februarium anni 364. regnavit) aedificare coepisse. Hic porro est ille Pammachius S. Paulae gener, h.e. Paulinae filiae ejus maritus, cum qua ubi ad annum usque 398. vixisset, post illius obitum monachus factus, ad annum usque 410. sanctissime vixit, in Hieronymi scriptis haud minus celebris, quam ejus uxor clarissima. Videatur de Pammachio Baronius ad annos 398. 405. 410. & ad 30. Augusti. De eo Hieronymus scribit, xenodochium in Portu Romano ab eo aedificatum, in quo pauperibus inserviebat, addens, eum ex Camillorum antiquo stemmate Furiano prognatum, & consulum pronepotem fuisse, & quod primus patricii generis monachum induxerit, & plura similia quae Baronii (ad ann. 398. num.XV. & seq.) collegit industria. Is igitur ille est, qui in monte Coelio prope Clivum Scauri contra Palatinum SS. Joanni & Paulo nobilem Memoriam excitavit, in titulumque erexit, qui hodie dum *Pammachii titulus*, eodem Baronio teste, appellatur.

De eodem vero Pammachio duplicem adversus Baronium querelam Claud. Castellanus in suo Mrologio universali [in nota marginali ad 30. August. & in Addendis pag. 705.] instituit, primum quod eum nullo priore martyrologo duce, & sine ullo cultus documento, in Romanum mrologium intulerit, deinde quod eumdem *presbyterum* ibidem vocaverit, qui re vera laicus fuerit. De gradu hierarchico do equidem Castellano manus; nullus enim antiquorum de ejus presbyteratu loquitur. Hieronymus in eo ipso, quod meruisse sacerdotium dicit, videtur laicum agnoscere. Sic enim ad Pammachium scribit epist.31. *Audio totius in te urbis studia concitata. Audio pontificis & populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium quam mereri*. Et epist. 92. ad Julianum: *Respice sanctum virum Pammachium, & ferventissimae fidei Paulinum presbyterum*. Vbi presbyteratum, dum uni Paulino tribuit, Pammachio abnuit. Potuit quidem postmodum presbyter ordinari: sed ejus rei documentis caremus. At de confessa sanctitate, etsi cultus documenta desunt, totus quantus est Hieronymus loquitur. Eum adhuc viventem in modo recitatis verbis *Sanctum virum* vocat, & cum S. Paulino in exemplum proponit. Mortuum autem cum S. Paula componit his verbis ad Eustochium: *Sanctae memoriae mater tua Paula, fraterque* (h. e. sororis maritus) *Pammachius per foramen acus* (utpote divites)... *transierunt ad regna caelorum*. Quid plura? Nusquam in Hieronymo non ejus illustris sanctitatis documenta legas. Non ergo temere in Mrologium illatus fuit; neque id a Baronio solo, sed ex omnium

(uti

[uti prorſus credo] Octovirûm ſententia, quibus recenſendi mrologii cura incubuit; nec porro inaudito ſummo Pontifice, aut ſacra Rituum Congregatione, ut equidem conjicio. Cur ita conjiciam, illud facit, quod Baronius ipſe ad ann. 398. num. 18. ingenue fatetur, tunc primum eum fuiſſe inter Sanctos relatum; ſed Eccleſiae tamen judicio id factum ſimul innuit. En ejus verba. *Sancto exitu vitae hujus periodum claudens . . . cum in caelis inter ſanctos, tum in terris in Eccleſia, ADSCRIPTO NOMINE EJVS IN TABVLIS PVBLICIS, anniverſaria commemoratione jugiter ſuperſtes vivit.* Haec de ſummaria S.Pammachii canonizatione tunc facta, quum adſcriptus mrologio fuit, obiter dicta ſufficiant.

Quandoquidem autem de *Pammachii titulo* h. e. de Memoria his martyribus hortatu Joviani Imperatoris exſtructa, haud pauca diximus; hic me locus admonet, ut inveſtigare adnitar, cur hi Chriſti teſtes ſupra ceteros ad tantam in Eccleſia gloriam pervenerint, ſive cultus antiquitatem ſpectes, ſive eorum nomina Canoni Miſſae inſerta, ſive praeviam eorum feſto vigiliam. Atque hujus equidem tantae celebritatis has potiſſimum cauſas perſpicere mihi videor.

I. Vt inde ordiar, unde mihi occaſio diſquiſitionis hujus arrepta fuit: quum hortante Joviano Auguſto & Martyrum Reliquiae repertae fuerint, & eiſdem exſtructa in eodem loco memoria; debebatur haec in piiſſimum principem reverentia, ut ii martyres quanto maximo cultu celebrarentur. Cui illud quoque accedit, quod Jovianus hos athletas, dum in vivis eſſent, amicos habuerit: *Qui* (Jovianus) *& ipſe amicus erat Joannis & Pauli*, ut in Corbejenſi legitur: & quod iidem viri illuſtres & de Eccleſia optime meriti fuerint. II. Altera cauſa fuit, quod eis impenſe Romana multitudo favebat, in primis innumerabiles pauperum greges, eorum liberalitate ſublevati: quae cauſa videtur etiam S. Laurentium diaconum ad tantam gloriam provexiſſe. III. Longe vero major inde celebritas exſiſtebat, quod ad horum tumbam quotidiani daemoniacorum, laudes horum martyrum extollentium, concurſus undique fierent: quae arreptitiorum frequentia ſtatim poſt eorum paſſionem (498) coepta, nono ſaeculo adhuc (499) perdurabat. IV. Poſtremo & illud, quod mihi videtur omnium maximum, horum gloriam videtur in immenſum auxiſſe. Nemo enim ignorat quam incenſis precibus illo tempore, quidquid Chriſtiani nominis fuit, a Deo contenderit, ut ſuam eccleſiam ab Juliani vexatione liberaret. Annuit tandem miſericors Deus, ejuſque necem eodem die atque hora pluribus per diverſas mundi plagas diſperſis viris ſanctiſſimis ſignificavit: de quibus viſis videatur Tillemontius in Juliano Caeſare Artic. 27. Ex tanto vero divinarum ſignificationum apparatu facile intelligimus, Juliani

(498) Etenim in Actis Papebrochianis legitur hoc die ſect. 5. *Tunc* (ſtatim poſt horum martyrium) . . . *clamare coepit per os ejus daemon, quod Paulus & Joannes incenderent eum.* Idque in domo martyrum factum dicitur. Et ad finem actorum: *Coeperunt daemones ſanctam paſſionem eorum declarare.*

(499) Id quod didici ex Flori Lugdunenſis horum martyrum Hymno, quem Mabillonius to. 1. Analectorum pag. 402. inſeruit, ubi diſticho tertio ſic incipit.

Olim Romulei ſervantes moenia regni
Barbaricos ſtrarant ſaepe mucrone globos:
NVNC [adhuc ſcil. ſuo tempore] *ovium Chriſti puriſſima ſaepta tuentes,*
Daemonicas arcent vi precibuſque minas.

Priore diſticho ad acta S. Gallicani alluditur, in quibus victoria adverſus Scythas SS. Joanni & Paulo Gallicanum monentibus refertur accepta. At illud *Mucrone* quomodo verum, quum numquam ſtipendia meruerint? Ceterum quod in Breviarii antiphona prima de eis legitur, *Sub Conſtantino Aug. MILITANTES, fidem Chriſti ſuſcipere meruerunt*, forſitan de palatina, non vero caſtrenſi, militia id erit capiendum. Nam aulicos Conſtantini fuiſse, cap. 4. obſervabimus. Sed ea antiphona, aut tale aliud, Floro impoſuit.

liani interitum permagni ad ecclesiae rationes momenti habitum. In quo & illud mihi videtur exploratissimum, non alia de causa Divino judicio Juliani necem tamdiu fuisse dilatam, quam ut is in eum diem puniendus reservaretur, quo die anno superiore sanctos Joannem & Paulum clam jussit interfici. Eodem enim nō modo die sed & ferme hora recurrente impius Julianus e vivis sublatus est; ut apertissimam Dei hos martyres ulciscentis animadversionem in eo liceat animadvertere. Etenim Joannes & Paulus enecti sunt die XXVI. Junii anni 362. & quidem paullo ante (500) *μεσονύκτιον* (*noctis medium*) illud, in quod (more [*] Romanorum, dies solidos a media nocte in mediam noctem numerantium) dies XXVI. Junii desinebat. At etiam Julianus anno sequente paullo ante illam (501) noctem mediam, in quam dies XXVI. desinebat occubuit. Ea vero temporum tam examussim sibi respondentium circumstantia non poterat non Christianos, praesertim Romanos, admonere, quod Christi ecclesia ab istius impii tyrannide cervicem subtraxerit, id horum martyrum meritis acceptum esse referendum. En quibus de causis (nisi vehementer fallor) Romae horum pugilum gloria in immensum creverit; nec Romae solum, sed & (502) Nea-

(500) Auctor actorum Joannis & Pauli sect. 4. ait: *Tertia hora noctis transacta, Terentianus ... puniri eos fecit.* Atqui hic ille est Terentianus, qui acta horum sanctorum scripsisse in Surianis Actis & Adone dicitur, aut saltem (uti rectius in melioribus legitur) qui retulisse omnia legitur. Is autem quum militare munus campidoctoris gereret, militaribus locutionibus utebatur. In militia enim nox in quatuor ternarum horarum spatia, quae *Vigiliae* vocabantur, dividebatur. Harum vigiliarum secunda ab hora noctis tertia ad noctem mediam protendebatur. Ergo in ore Terentiani (haec sive scribentis, sive potius referentis) *Tertia hora noctis transacta* non aliud quam alteram solidam vigiliam designat: ad cujus finem, paullo ante noctis medium, puto hos duoviros fuisse interfectos.

(*) Vti dixi in fine animadv. ad Vranii epistolam de S. Paulini obitu die XXII. Junii.

(501) Ammianus lib. 25. ubi de Juliani obitu: *Epota gelida aqua quam petiit, MEDIO NOCTIS HORRORE vita facilius est absolutus.* Ita distinguendum esse, ante me viderat etiam Valesius sic distinguens: nam antea sic perverse interpungebatur, quasi illud, *Quam petiit medio noctis horrore*, unico spiritu pronuntiaretur; quum contra illud *Medio noct. horrore*, non ad petitam aquam, sed ad exhalatam animam sit referendum. Heic vero *medius noctis horror* quo ille exspiravit, de tempore paullo ante *μεσονύκτιον* est intelligendus; siquidem eodem die XXVI, quo vulneratus, occubuit. Quod si post mediam noctem perdurasset; in diem XXVII. ejus obitus incidisset: nec verum esset, quod omnes tradunt, Jovianum die XXVII. Junii, & quidem postridie ejus diei, quo Julianus oppetierat, Augustum fuisse salutatum.

Eodem plane modo intelligendus est Zosimus lib. 3. *In ipso ardore praelii gladio feritur* (Julianus) *scutoque impositus, raptim in tentorium deportatur* (*μέχρι τε νυκτὸς μέσης ἀρκέσας, ἀπέθανεν*) *ubi vita mediam ad noctem producta, mortuus est.*

(502) Non tantum in his marmoreis Neapolitanorum fastis coluntur hi martyres, verum etiam in eo posteriore Kalendario quod Tutinus ex Rituali Neapolitano descripsit. Exstat etiam inter ejusd. Tutini chartas notitia veteris oratorii SS. Joannis & Pauli. Hodie duplex Neapoli est Ecclesia horum Martyrum, quarum quae celebrior est, una est ex hujus urbis parochiis. Ad eam olim supplicationes fiebant ad impetrandam pluviam aut serenitatem: quod quia in superstitiosum columnae nescio cujus cultum degeneravit, (uti refert Caesar de Engenio pag. 640. 641.) merito eam superstitionem Hannibal de Capua Archiep. repressit. Ceterum, quod ad horum patrocinium pro obtinenda sive pluvia sive serenitate antiquitus confugerint, id non temere fiebat. Nam quae hodiedum ad Magnificat Antiphona canitur, *Isti sunt... habens potestatem claudere caelum nubibus* &c. ea antiquissima est. Reperitur enim in Gregoriano Responsali apud Card. Thomasium Responsorium, tum horum martyrum, tum etiam SS. Petri & Pauli festivitati commune, quod est ejusmodi. *Isti sunt duae olivae* [& duo] *candelabra lucentia ante Dominum. Habent potestatem claudere caelum nu-*

Neapoli, & per universam Italiam, & porro etiam extra Italiae fines.

§. II. *Ex Hieronymiano mrologio & ex vetustis sacramentariis horum martyrum notitia hauritur. De falso credita eorumdem germanitate. Quibus gradibus ad eam persuasionem perventum fuerit.*

Hactenus de *Pammachii titulo* horum martyrum: cujus occasione, plura me adnotasse nondum poenitet. Nunc ad alia vetusta monumenta progredior. In Hieronymiani mrologii apographis omnibus hoc die sic scribitur: *Romae Joannis & Pauli.* Nec quidquam ibi praeterea (quae scil. ejus est mrologii siccitas) additur.

Venio ad libros sacramentorum: in quibus hoc maxime notandum est, quod Joannes & Paulus germani fratres fuisse perhibentur. Quod tamen expendenti mihi falso videtur creditum. Itaque una eademque opera & cur id falsum fuisse putem, & unde error primum obortus, omnes ad hodiernum usque diem in eam persuasionem pertraxerit, aperiemus: rem profecto ad horum Acta illustranda utilissimam.

In Gelasiano antiquissimo sacramentorum libro (quem Thomasius edidit: qui in praefatione non dubitat pleraque ejus libri antiquiora esse Gelasio, & ab S. Leonis Magni potissimum calamo profecta) duplex est horum martyrum Missa, una in Vigilia, in Natale altera. Natalis prima oratio [quae videtur styli haud dubie Leonini] est ejusmodi. *Quaesumus Omnipot. Deus, ut nos geminata laetitia hodiernae festivitatis excipiat, quae* (de) *beatorum Johannis & Pauli glorificatione procedit: quos eadem fides & passio fecit esse germanos.* Quae, uti vides, haud alia re ulla differt ab ea quam hodie recitamus, quam quod hodie in fine additur adverbium VERE [*Quos eadem fides & passio VERE fecit esse germanos*] quod tamen non tantum a Gelasiano sacramentario olim aberat, verum etiam a Gothico seu Gallicano apud eumdem Thomasium pag. 370. & Mabillonium de Liturg. Gallic. pag. 279. Permagni vero interest utro modo legatur. Nam si cum Gelasiano & Gothico legas, *Quos eadem fid. & passio fecit esse germanos*; sensus erit, hos duoviros sola martyrii germanitate fuisse conjunctos. At si illud VERE addideris, tum sententia haec erit, Joannem & Paulum, etsi ceteroqui sanguine germani essent, tamen multo plus fidei & passionis societate *vere germanos* fuisse; hanc enim vim illud VERE habet.

Nunc quampridem additio illa adverbii facta fuerit, dispiciamus; pluribus enim gradibus ad eam fraternitatis opinionem perventum fuit. Toto quinto saeculo h. e. ad Gelasium usque, qui ad finem

nubibus, & aperire portas ejus, quia linguae eorum claves caeli factae sunt. Quae quidem nemo non videt, ex Apoc. XI. 4. 6. sumpta fuisse: nisi quod in Apocalypsi *aperiendi caeli*, non item claudendi mentio fit. Apparet igitur, haec olim verba in gratiam SS. Petri & Pauli ita concinnata fuisse, ut Apostolica clavium potestas explicaretur: deinde ubi eadem verba in eodem Responsali etiam de SS. Joanne & Paulo usurpantur, non ad spiritualem clavium potestatem [qua utpote laici, carebant) ea alludere, sed ad expertum jam antiquitus eorum in sudo aut imbre impetrando patrocinium.

Jam vero quod illud Responsorium *Isti sunt duae olivae* &c. quod peculiare SS. Petri & Pauli fuerat, etiam hodiernis martyribus factum fuisse commune dixi; cave putes id a Magno Gregorio factum, nam infra suo loco ostendetur, Responsale illud Gregorium auctorem non habere. Ceterum jam inde ab IX. ineunte saeculo fuisse id responsorium his duoviris commune factum, ex Flori Lugdun. Hymno (quem Mabillonius tom. 1. Analector. primus edidit) didici, in cujus fine de hodiernis pugilibus sic canit.

Hos ceu fructiferas florens paradisus olivas
Irriguo vitae jugiter amne lavat:
Hi sunt aeterno Candelabra fulgida templo,
Progenies lucis, & pietatis honos:
Sidereo Regi sublimi semper in aula
Adstantes, populis (cor. populi) *qui pia vota ferunt.*

Confer simillimum prorsus exemplum (responsorii scil. Joannis & Pauli primitus peculiaris, mox cum omnibus SS. fratribus communicati) quod in Adnot. 504. producam.

finem ejus saeculi sedit, illud VERE aberat; nec quidquam interim sive in Missa Vigiliae sive Natalis recitabatur de carnali horum martyrum germanitate. Quumque etiam in horū martyrum actis (cujusmodi a Papebrochio hoc die ex antiquissimo plus mille annorum Corbejensi codice eruta fuerunt) de eorumdem carnali ἀδελφότητι [*fraternitate*] prorsus sileatur; recte inde concludimus, toto quinto saeculo [per annos scil. ab illorum passione CXL.] Joannem & Paulum non alia notione fratres fuisse habitos, quam quia martyrii germanitate conjunctos divina Fides ad Caelum transmisisset.

At interim sexto saeculo paullatim vulgus ad credulitatem pronū illa Gelasiani sacramentarii verba, *Quos eadem passio fecit esse germanos*, coepit in eam partem accipere, quasi etiam sanguinis fraternitate cognati fuerint. Et quidem in Missali Gothico, per Thomasium ac Mabillonium edito, horum Missa [quam non nisi post annum DXC. in eo Missali sibi locum quaesivisse, certissimum [503] habeo] oratio prima, quam supra recitavimus, caret quidem adverbio VERE, plane ut in Gelasiano codice: & tamen quamvis ea clausula (*Quos eadem fid. & passio fecit esse germanos*, omisso scil. adverbio) tacite excludat sanguinis germanitatem; jam hoc tamen multitudo imbiberat, eos martyres fuisse etiā terrena nativitate fratres. Etenim huic Missae hoc lemma praescribitur, *Missa in Natale sanctorum GERMANORUM Johannis & Pauli*. Deinde in *Collectione* sic legitur: *Quos & partus*, (et) *una & par martyrii palma conjunxit*. Tum in *collectione post nomina* sic habet: *Quos sanguinis propinquitas conjunxit & fides*. Postremo in *immolatione Missae* dicitur: *Quos & fratres sorte nascendi, & magnifica praestitisti passione germanos: ut simul essent venerandae gloria genitricis, & florentissima prolis ecclesiae*. En quot modis terrenam ἀδελφότητα (*germanitatem*) Galli significant: quam illi opinionem non primi procuderunt, sed ab Romanis haud dubie, a quibus reliquias una cum Missa assecuti fuere, didicerunt. Et tamen nondum in prima oratione illud VERE tam Romani quam Galli adjiciendum putarunt; nam utrique de carnali agnatione non dubitantes, noluerunt tamen Gelasianae orationi manus violentas inferre. Hactenus ad annum usque 590. processum fuit.

At postremo eodem desinente saeculo aut vix ineunte septimo Gregorianus sacramentarius prodiit; in quo simul & frater-

(503) Eccujus antiquitatis Gothicum sive Gallicanum Missale, a Thomasio & Mabillonio editum, sit habendum, nolo heic disceptare. Hoc saltem unum constanter affirmo, Missam quae ibi de SS. Joanne & Paulo legitur, non ante initia pontificatus Magni Gregorii videri insertam. Etenim non nisi post allatas in Turonensem ecclesiam horum duovirorum reliquias ea Missa celebrari in Galliis coepit, uti mox ostendam. Atqui eas reliquias non a Pelagio primo [uti falso tradit Bailletus ad hunc diem] sed a Pelagio II. Gregorii decessore impetratas fuisse, nec nisi primo Gregorii Magni anno h. e. 590. in Gallias fuisse allatas, ex collatis duobus Gregorii Turonensis locis [nim. ex X. Hist. Franc. 1. & ex I. de Glor. Mart. 83.] perspicue constat. Vide Baronium ad ann. 590. num. 48. 49. Quum igitur anno 590. in Turonensem ecclesiam pignora SS. Joannis & Pauli cum aliis reliquiis ab Roma deportatae fuissent; hanc tunc primam exstitisse causam, cur horum martyrum cultus in Gallias importaretur vix est quod dubitem. Nam si primitus, aut saltem ante advecta sacra lipsana, Joannes & Paulus in Galliis cultum habuissent, haud dubie eodem die, quo Romae, unde cultus horum est propagatus, die scil. 26. Junii celebrati fuissent. Nunc vero in eo Missali Gothico SS. Joannis & Pauli Missa inter SS. Cornelium & Cyprianum, interque S. Symphorianum inseritur. Ex quo perspicuum est eos mense Septembri in Galliis fuisse honoratos, die non suo, eoque haud dubie die, quo eorum sacra pignora deposita cum honore apud Turonenses fuerunt. Ex quo & illud sequitur, eamdem Missam non ante annum 590. [in quem ea translatio aut depositio incidit] additam Missali Gallorum fuisse.

fraternitatis (504) illustria testimonia exstant, ac simul orationi primae illud VERE additum reperitur: *Quos eadem fides & passio VERE fecit esse germanos*. Tunc enim demum intellectum fuit, sine illo VERE, eorum ἀδελφότητα (*fraternitatem*) periclitaturam. En quibus gradibus ad plenam germanitatem his duoviris asserendam perventum fuit. Principio ita eis spiritualis fraternitas tribuebatur, ut tamen orationis formula apud eos, qui paullulum attenderent, excluderet haud obscure carnalem. Deinde eâdem retenta ejus orationis conceptione, aspergi terrenae ἀδελφότητος (*germanitatis*) significationes in liturgia coeperunt. Postremo postquam insedit penitus animis, quasi vera esset, ea putativa cognatio; nequid porro ad eam firmandam deesset; ad inserendum orationi illud VERE processum fuit.

Quid porro mirum, si post Gregorianum sacramentarium, praeter summo judicio praeditum (505) Bedam, nemo (506) unus exstiterit, quin hos martyres pro fratribus germanis haberet? Id vero contra actorum fidem, a quibus ea fraternitas abest. Cui bono, inquis, haec tam subtilis, ac per temporum articulos digesta, de Joannis & Pauli putativa germanitate dissertatio? quantum hinc lucis hauriri debeat, dicetur seq. capite.

CAP.

(504) Eo potissimum pertinet, quod in Gregoriano sacramentario in horum Missa Natalis in praefatione sic legitur: *Quos in nascendi lege junxit germanitas: in gremio matris Ecclesiae fidei unitas: in passionis acerbitate ferenda unius amoris societas*. Per quae illud [*quos ead. fid. & passio VERE fecit esse germanos*] per partes παραφράζεται. Eodem spectat quod in Gregoriano Antiphonario integer ille Psalmus adscribitur, *Ecce quam bonum ... habitare fratres in unum*: & quod in Responsali recitatur celebre Responsorium, *Haec est vera fraternitas*. De quo responsorio proderit animadvertere, initio peculiare Joannis & Pauli fuisse [uti constat ex iis verbis, *Contemnentes aulam regiam*, Juliani scil. quam hi contempserunt] deinde omnium SS. fratrum evasisse commune. Sicuti contra in Adnot. 502. observavimus, alterum illud responsorium, *Isti sunt duae olivae* &c. primitus quidem pro principibus Apostolorum fuisse compositum, mox etiam SS. Joanni & Paulo accomodatum fuisse.

(505) Jamdiu ante Bedam [qui anno circiter 730.] suum quantivis pretii mrologium scripsit, de germanitate horum duovirum persuasio altas radices egerat, per ducentos ferme annos firmata. Et tamen vir sagacissimus quum pluscula de his afferat in mrologio, fraternitatem tamen in totum omisit: haud dubie quia falso creditam existimavit. En quibus verbis ejus elogium contexitur: *Romae SS. Joannis & Pauli* [heic addere debuisset cum posteriorib. Martyrologis, *Fratrum*; si quidem eos pro germanis habuisset] *quorum primus praepositus, secundus primicerius fuit Constantiae virginis filiae Constantini: qui postea sub Juliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum campiductorem, qui deinde Christianus factus est*.

[506] Juvabit primũ ex Gregorii Turonensis libro de Glor. Mart. [post annum 590. scripti] haurire. Ibi I. 83. recens reliquias Turonos adportatas his verbis ait: *Erant enim reliquiae .... Pauli, Laurentiique atque Pancratii, Chrysanthi, Dariaeque virginis, Joannis atque alterius Pauli FRATRIS ejus*.

Jam vero de veteris Ambrosiani Missalis aetate nihil certum habeo. Verum quod in horum martyrum Missae praefatione fiat fraternitatis aperta mentio, id mihi aperto indicio est, eam praefationem non antiquiorem esse Missa Gothici aut Gregoriani sacramentarii. Verba Ambrosianae praefationis habes hoc die apud Papebrochium pag. 158. num. 2. Cui cave credas putanti, eam ab ipso magno Mediolanensi Ambrosio profectam.

Adhaec noni saeculi martyrologiorum scriptores magno consensu hos martyres pro fratribus habuerunt. Florus Lugdunensis ceteris antiquior, in Hymno de his scripto, quem Mabillonius tom. 1. Analector. inseruit, sic disticho altero παραφράζει illud, *Quos eadem fides & passio vere fecit esse germanos*.

Vnicus hos sanguis germano foedere junxit,
Vnica mox fratres morsque fidesque parit.

Eadem celeberrimae orationis paraphrasis a Wandelberto concipitur hisce versiculis.

Sextum martyr habet Paulus simulatque Joannes,
Germine, amore, fide, virtute, & sanguine fratres.

Deinde Ado, Vsuardus, ceterique martyrologi ejusdem germanitatis mentionem consensu summo injecerunt.

CAP. II.
De pervulgatis SS. Joannis & Pauli actis.

§. I. *Quid inter acta a Surio, interque illa a Papebrochio edita intersit: quantopere haec alteris sint praeferenda. Utrum actorum S.Gallicani (quae male cum martyrum hodiernorum historia coaluerunt) idem sit auctor, aut saltem par sit antiquitas.*

Apud Surium ad diem 26. Junii historia SS. Joannis & Pauli legitur uno tenore cum praemissis S. Gallicani actis continuata; quum tamen duas esse prorsus diversas historias, non sit dubium. Nec enim aliud S. Gallicanus cum hodiernis pugilibus commune habet, quam quod is ope Joannis & Pauli Christo nomen dedisse narretur. Et tamen quamdiu ex uno Surio utraque haec acta discebantur, pro una habebantur historia.

At postea in mensem Junium incumbenti Papebrochio, quum plura hujus historiae apographa, aliunde alia, ad manus fuerunt (in quibus peraeque atque in Surio hae duae in unum coaluerant historiae) tum quaedam [507] alia antiquiora, aut certe ex antiquioribus proseminata, in quibus Joannis & Pauli martyrium a Gallicani rebus gestis abjunctum erat. His vero antiquitate ac praestantia longissimo intervallo anteibat apographum, quod ex codice vetustissimo Corbejensi, litteris Romanis quadratis exarato (qui codex irrefragabili harum rerum arbitro Mabillonio plus mille annorum antiquitatis habere tunc videbatur; ita ut ante Christi annum DCC. transcriptus fuisse creditus fuerit) descriptum, a Mabillonio submissum fuit: de quo codice etiam Ruinartus [508] magnifice loquitur. In hoc vero nulla praeibat S.Gallicani historia (quod manifesto est indicio, eo tempore fuisse exaratum, quo nondum S. Gallicani festum die XXV. Junii fieri coeperat, ut infra observabimus) sed ab Joannis & Pauli certamine sumebatur initium sub hoc lemmate, *Incipit passio sanctorum Joannis & Pauli* (*). Hujus vero passionis tale est initium: *Igitur* [509] *postquam Constantinus Imp. migravit ad caelos, & secuta est filia Constantina; dum esset pessimus Julianus a Constantio ... effectus Caesar; cupiditate pecuniae captus, patrimonia Christianorum auferens, dicebat: Christus vester dicit in Evangeliis: Qui non renuntiat omnibus quae possidet* &c. Hoc initium eo libentius adscripsi, ut cum ceteris actis conferri possit, in quibus quia cum praecedentibus S. Gallicani gestis ferruminantur; etiam initium immutatum fuit, ut aptius cum Gallicani martyrio haec passio coalesceret, uti paullo post notabimus.

[507] Haec Mss. in quibus Joannis & Pauli certamen seorsum a Gallicani gestis exhibetur, sic breviter numerat Papebrochius in principio adnotationum quas actis Joannis & Pauli subjecit. *Ms. Neapolitanum a Beatillo submissum, & Audomarense a Rosvveido describi curatum* [*cui simile, sed paullum diversa phrasi, inveniri in Caesaris insula adnotavit Bollandus*], *in quibus ita seorsum* [a Gallicani historia] *haec passio legitur, uti in Corbejensi* illo praestantissimo Mabilloniano scil.

[508] Theod. Ruinartus in Actis Mart. sinceris ad finem praefationis ejus, quam inscribit *De SS. Martyr. qui sub Juliani persec. passi sunt*, haec verba posuit: *Eadem* [acta SS. Joannis & Pauli] *habemus* [in suo scil. monasterio S. Germani de Pratis ea adservari significat] *in manuscripto codice, ab annis circiter mille exarato: sed quae tamen cum naevis non careant, omisimus*. De naevis conqueritur, at longe minoribus, quam in vulgatis, uti proxime significaverat. Edidit haec Ruinartus exeunte superiore saeculo. Quare is quoque significat, eum codicem videri ante finem saeculi VII. transcriptum fuisse.

[*] Ceterum iis Mss. in quibus duae illae historiae coaluerunt, interdum quidem praescribitur titulus, *Passio sanctorum Gallicani, Joannis, & Pauli*: at plerumque tamen tantum *Joannis & Pauli* mentio in lemmate fit.

[509] Aevo sequiore haud raro *Igitur* initiis narrationum praeit, ut non tam ad colligendum, quam ad exordiendum valeat. Vulgatus Scripturar. interpres interdum ab ea particula novas narrationes orditur, ut Gen. XVI. 1. itemq. 2. Sam. II. 1. & passim alibi. Aliquot etiam vetera sanctorum acta ab eodem *μορίῳ* incipiunt.

mus. Hos igitur codices, ac praesertim illum quantivis pretii Corbejensem, Papebrochius duces secutus, Gallicani historiam ab altera hodiernorum Christi testium seorsum dedit: illam enim edidit hesterno die [quia jam inde ab Adonis & Vsuardi aetate de S. Gallicano pridie, quam de Joanne & Paulo fieri coepit] hanc vero alteram hodierno.

Haec quidem a Papebrochio praestita. Qui tamen quum id, quod unum exitiale gestis Joannis & Pauli fuerat [coagmentationem illam dico, quam satis descripsi] de medio sustulisset; tamen dolendum est, quod nihil eximie praeter ceteros vidit, imo & commenta illa omnia imbibit, quae in horum historiam sordes actorum Gallicani intulerant: quae nos commenta hoc & sequentibus capitibus facile jugulabimus. Sed utut est, quod unam ab altera sejunxerit narrationem, & eam, quae hodiernorum martyrum est propria, e limpidiore fonte eductam dederit, hisque modis ad horum res gestas illustrandas viam straverit, ingens habenda est gratia.

Nunc siquis forte a me quaerat, ecquid causae fuerit, cur in plurimis MSS. haec duo martyria coagmentata fuerint; caussam omnem in Passionalia esse conferendam ajo. In his enim, utpote in usum Cursus ecclesiastici factis, eodē ordine quo in Kalendariis, passiones ex ordine describebantur. Statim igitur ut IX. saeculo festum S. Gallicani agi coepit, idque diei 25. Junii affixum, h. e. pridie festi SS. Joannis & Pauli; in iis lectionariis Gallicani passionem proxime sequebatur, sed tamen seorsum, Joannis & Pauli historia. At mox processu temporis ubi animadversum fuit, S. Gallicanum sub eod. Juliano, sub quo hodierni duoviri, passum, & ab his eisdem ad Christi fidem amplectendam fuisse incensum; quum in quam haec & alia quaedam utrisq. communia perspicerentur; extitit postremo audaculus aliquis, qui utrumque scriptum in unum conflavit perpetuum commentarium. Qui quidem plumbaturae caussa mutato leviter antiquiore passionis Joannis & Pauli initio, quod supra ex Corbejensi adscripsimus, Gallicani acta cum sequentibus ferruminavit congruo [*] linimento.

Ex his vides quae fortuna actorum Joannis & Pauli fuerit. Principio per se sola ambulabant, quod nondum illa S. Gallicani gesta scripta fuissent, aut quod demum scripta, nondum tamen illata in hagiologia sive passionalia fuissent, quia nondum S. Gallicano assignatus dies festivus fuerat. Deinde ut assignatus huic martyri dies XXV. Junii fuit, ejus historia praeire alteri martyrum hodiernorum coepit, sed tamen seorsum, ut in Passionali Neapolitano Montis Oliveti antiquiore, & in Audomarensi. Postremo ea duo monumenta, adhibito communi linimento, coagmentari in unam structuram coeperunt, ut in ceteris passim MSS.

Est igitur percommode hoc a Papebrochio factum, quod duas sejunctas ab initio historias, postea per summam sive imposturam, sive ἀοραοίαν coagmentatas, iterum abjunxerit: ut omit-

[*] Commune id linimentum proderit heic ex cod. Neapolitano Montis Oliveti dare. Duplex in eo monasterio Passionale asservatur, antiquius unum, facile quingentorum annorum [in quo res Gallicani seorsum ab rebus Joannis & Pauli prostant] alterum recentius, in quo utraque acta hoc communi glutine junguntur: *Cujus corpus Christiani venerabiliter sepelierunt in Ostia*. Hactenus Gallicani historia: mox eodem tenore ad hodiernos martyres transitur his verbis: *Praeterea Julianus Caesar captus cupiditate sacrilega, avaritiam suam Evangelii testimonio colorabat*: & cetera ferme ut in exordio, quod supra ex Corbejensi adscripsimus.

At in Surio [ut qui se quaedam in his actis suo ingenio elimasse profitetur] glutinum adhibetur ejusmodi. *Porro vero Julianus captus cupiditate sacrilega, avaritiae suae Evangelii sententiam praetendebat. Facultates enim & patrimonia Christianis auferens, dicebat: Christus vester dicit in Evangelio, Qui non renuntiat* &c.

omittam quod Joannis & Pauli passionem ex praeclaro illo Corbejensi codice, qui ante annum Christi septingentesimum ex alio vetustiore autographo transscriptus fuerat, exhibuerit: quum contra Surius recentioribus MSS. usus, etiam plura ex suo ingenio elimata se dare ultro profiteatur: pro quo labore vir bonus nullam iniit a lectoribus gratiam. Accedit quod plura in hac ex Corbejensi expressa historia scitu digna passim leguntur, quae nec in Surio, nec in recentibus MSS. reperies. Postremo & illud est longe praeclarissimum, quod ab hoc Corbejensi exemplo, quod Papebrochius exhibuit, abest id quod in Surio, in plerisque MSS. & in ipso Adone in fine legitur, nim. hanc historiam ab ipso Terentiano, qui hodiernos duoviros necari fecit, fuisse perscriptam: quod quanti intersit, ex §. sequenti intelligetur.

Et quamdiu quidem hae duae historiae ingratiis conglutinatae simul legebantur, potuit imponi lectoribus; quibus pronum fuit statuere, totum id, quod uno perpetuo tenore scribebatur, simul ab uno auctore prodiisse. At nunc eo veluti praejudicio liberatis facile erit animadvertere, ea duo scripta non tantum a diversis auctoribus (quorum ille, qui res Gallicani scripsit, haud dubie nugacissimus fuit) sed longe diversis temporibus scriptas. Stylus ipse id suadere poterit: nisi quod sive idem ille qui res Gallicani dedit, seu quivis alius, videtur quaedam Joannis & Pauli historiae de suo adjecisse; cujusmodi sunt illae in primis Juliani cum his martyribus altercationes num. 1. & 2. Verum ut ut est; certe hodiernorum pugilum historiam multo prae altera Gallicani antiquiorem esse, ex eo patet, quod ab hac Joannis & Pauli passione [ut illa nunc omnia commenta taceam, quae ex Gallicani actis huc redundasse, toto passim hoc commentario demonstrabimus] absit fabella illa, quae desinente aut medio saeculo sexto, uti cap. superiore diximus, de eorum germanitate inventa fuit: quae tamen fabella in S. Gallicani historia, utpote recentiore, sibi locum quaesivit: in qua (apud Papebrochium pag. 37. num. 2.) legitur, *Et velut subarrhationis loco dantur DVO FRATRES eunuchi ex latere Augustae*, nim. Joannes & Paulus proxime ante nominati.

§. II. *Vtriusque historiae (tum Gallicani, tum Joannis & Pauli) aetas demonstratur.*

SS. Joannis & Pauli acta illis alteris S. Gallicani vetustiora esse, tantummodo adumbratum fuit. Nunc quoad judicando, aut saltem conjiciendo assequi licet, utrisque sua est aetas assignanda. Et Gallicani quidem acta, praeter cetera novitatis argumenta, quia Joannem & Paulum *fratres* fuisse sine ullis ambagibus praedicant; ex his quae superiore capite §. 2. disputavimus, non videntur Gregoriano sacramentario aut summum ea hodiernorum martyrum Missa, quae in Gothico Missali legitur, (h. e. desinente VI. saeculo) vetustiora esse potuisse.

Vicissim tamen nec aevo Gregorii posteriora equidem putabam, modo *Responsalis* liber quem Benedictini patres Gregoriano sacramentario subjecerunt, vere Magnum Gregorium auctorem habeat. In eo enim ultima earum antiphonarum, quae in Matutinis laudibus assignantur, sic concipitur: *Joannes et Paulus dixerunt ad Gallicanum: Tu crede unum esse Deum, & eris victor melior* (al. *melius*) *quam fuisti*: quae verba ab hodiernis S. Gallicani actis petita fuerunt. Verum re vera Responsalis ille liber nihil minus, quam S. Gregorium auctorem habuit, sed est posterior, ac diversis diverso tempore accessionibus auctus: de quo vide quae heic inferne (510) subjicimus. Quocirca VI. quidem vergente saeculo antiquiora esse non

[510] Responsalis is liber a Benedictinis editus, *in Compendiensi cod.* [ex quo illum eruerunt] *nullum nomen praefert*, ut ipsi in praefatione ad eum libellum fatentur: qui eo demum labuntur, ut putent, precandi formulas in eo contentas diversis fuisse temporibus factas,

non posse Gallicani acta, ex modo dictis ostenditur: at eadem aevo Gregoriano posteriora non fuisse, nemo praestare ex illo Responsali poterit. Haec de aetate Gallicanicae historiae, quae facile paullo post S. Gregorium prodiisse videtur.

Venio ad historiam alteram Joannis & Pauli: quae non tantum aevo Gregoriano antecessit, sed, nisi mea me fallit opinio, aevi Gelasiani videtur, aut non longe posterior: id quod hoc argumento suadeo. Etenim ex dictis ad finem capitis superioris, in Missa Joannis, & Pauli, quae Gothico Missali inseritur, hi martyres haud dubie pro fratribus germanis habentur. Quumque ea Missa indidem, unde & reliquiae, allata anno 590. fuerit: ex eo fit, tunc Romae etiam de germanitate vulgo persuasum fuisse. Quae quidem persuasio inter Gelasium (in cujus sacramentario de ea fraternitate nec vola nec vestigium est) & finem Pelagii II. (a quo simul cum reliquiis Missa horum martyrum accepta videtur) primum nata, ac sensim firmata fuerit oportet. Fluxere autem a Gelasio ad alterum Pelagium anni centum. Itaque haud ab re medio inter utrumque tempore, sive ante sexti saeculi medium spargi de fraternitate rumores coepisse concipiemus. Jam vero quum in his actis nulla prorsus de fraternitate Joannis & Pauli mentio fiat; ex eo manifeste colligitur, hanc historiam medio sexto saeculo habendam esse antiquiorem. His adde, nihil repugnare, quin sive ineunte eodem saeculo, sive potius quinto desinente conflata fuerit. Nec dictionis character ab ea, quam dixi, aetate abhorret. Ita sesquisaeculo plus minus post rem gestam haec lucubratio prodiisse videbitur. Quod si demonstrari posset, Missam Gothici Missalis antiquiorem esse translatione reliquiarum in urbem Turonicam; id in majorem hujus historiae (511) antiquitatem haud dubie cederet. Haec de aetate scripti hujus.

At enim dices, parum id quoque vetustatis fore; imo isto modo multum de ea antiquitate decerpi, quam commentarius ipse in fine sibi tribuit. Etenim tum in Surio, tum in plurimis Mss. & in satis liberali hujus passionis compendio apud Adonem, in fine legitur, Terentianum (illum dico campidoctorem, qui caedem horum Christi testium clam patrari fecit) mox percepta baptismi gratia, eorumdem martyrum passionem scripsisse. Sane vero ea subnotatio si vera est; nihil reperietur hac narratione γνησιώτερον, quippe ab eo ipso perscripta, qui rebus omnibus non interfuit solum, sed praefuit: sin falsa (& eam falsi certe arguunt aliquot in historiam Augustam offensiones) nihil eo scriptore impurius fuerit, qui ad fidem mendacio faciendam non dubitaverit alienam sibi martyris Terentiani personam inducere.

Atqui neutrum verum est; quia subnotatione illa nihil fuisse falsius, idem ille,

ctas, id quod in hujusmodi rebus usuvenit. Idque verissimum est: nam idem monumentum ediderat ante Thomasius ex Vaticanis membranis sub hoc titulo: *Incipit responsoriale & antiphonarium Rom. Ecclesiae ... juxta vet. usum Canonicorum ... S. Petri*. Ex quo lemmate [a quo S. Gregorii nomen abest] nemo non posteriora S. Gregorio tempora arguet.

Et in eo quidem Responsali plurima sunt fragmenta ex actis SS. Joannis & Pauli totidem verbis desumpta. Ab iis enim manavit responsorium illud: *Beati martyres Christi Joannes & Paulus dixerunt Juliano: Nobis autem aliud non est, nisi unus Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus*. Indidem petitae etiam antiphonae tres priores fuerunt, quae in eodem Responsali pro Matutinis laudibus assignantur, quibus hodieque ad Laudes utimur. Et tamen nullum inde argumentum equidem capio ad antiquitatem actorum Joannis & Pauli suadendam; tum quia id Responsale recentius Gregorio esse non dubito, tum etiam quod aliunde Joannis & Pauli Passionem haud paullo antiquiorem esse Gregorio demonstravi.

[511] Nam quum in Gothici Missalis Missa hodiernor. pugilum, aperta fiat eorum germanitatis mentio, quae germanitas actorum scriptori ignota fuit; ex eo consequitur, quo plus Missae illius antiquitas retrotrahitur, hoc plus etiam ei Missae antecedere acta laudata debuisse.

ille, quem supra laudavimus, Corbejensis venerandae antiquitatis codex ostendit: qui (apud Papebrochium pag. 160. initio sect. 6.) sic narrat: *Ipso autem Terentiano REFERENTE ipsam passionem sanctorum, scripta est* [*]. Quae nihil necesse est eam in partem accipere, quasi aequalis Terentiano scriptor, quae ex ejus *referentis* ore excepit, ea in continenti retulerit in commentarium; verum per ea verba scriptor, alioqui non insincerus, obviam procedit tacitae objectioni hujusmodi: Quî, sodes, id scis, quod sine arbitris gestum fuit? Cui hoc pulchre reponit: Quia Terentianus (qui unus scil. rerum se uno conscio gestarum auctor idoneus esse poterat) totam hanc historiam, punctus poenitentia, palam fecerat, ideo non esse mirandum, siquis postea exstiterit, qui sparsas vulgo narrationes collegerit perscripseritque. Quamquam & illud fieri potest, fuisse aliquem Terentiano coaetaneum, qui summa rerum capita, prout ex Terentiano narrante audierat, adumbraverit; quae mox semidoctus alius, dum studio pietatis satagit pinguiora facere, parum ab eo abfuit, ut corrumperet.

§. III. *De utriusque scripti merito judicium*.

Ex hactenus disputatis facile est intelligere, quid sit de Tillemontiana *Actorum S. Joannis & Pauli* censura (quam Nota VI. in Juliani persecutionem reperies) judicandum. Is in ipso lemmatis vestibulo minatus se SS. Joannis & Pauli acta subversurum, tamen nihil tota illa affert Nota praeter strenuissimam rerum gestarum S. Gallicani oppugnationem (cui difficile est non subscribere) interim de rerum Joannis & Pauli narratione securus. Cur ergo totus ille titulus hodiernorum pugilum gestis infestus est, quum intus aliorsum signa vertantur? Ex proxime dictis jam causa quae sit, intelligitur: non alia nimirum, quam quia Tillemontius acta tantum Suriana viderat, in quibus Joannis & Pauli res gestae cum praeviis Gallicani factis ita coalescunt, ut una videatur narratio; cujus tamen titulus *Joannis & Pauli* nomen praefert. At postquam demonstratum fuit, has fuisse dispertitas historias, a diversis scriptoribus tempore diverso compositas; tantum abest, ut ex praeclara illa Tillemontii Nota VI. periculum Joannis & Pauli actis vere suis impendeat, ut haec ex eadem Nota potius confirmentur; duobus tribusve naevis exceptis, quos res Joannis & Pauli cum Gallicani historia communes habent: de quibus opportunius dicam sequentibus capitibus.

Et de Gallicani quidem gestis quae egomet pauca animadverterim, inferne (512) proposui. Vt autem de scripti ejus, quod peculiariter res Joannis & Pauli com-

[*] Eadem subnotatio reperitur & in nostro Olivetano vetustiore [cujus verba retuli ad finem diei hujus] & in Bollandiano *Majore*, ut ipsi vocant.

[512] *Ad acta S. Gallicani mart. [prout a Papebrochio ad 25. Junii pag. 37. edita fuere] adnotata aliquot.*

De duplici illius aevi Gallicano consule. Asserta Joanni & Paulo fraternitas *hoc scriptum novitatis arguit. De commentitio Joannis & Pauli eunuchismo, nec minus fictitiis eorumdem palatinis officiis. Cujus generis* praepositura & primiceriatus *de his martyribus intelligi debeat. S. Petri basilica olim extra pomoerium posita a Christianis ducibus ante invisi solebat, quam urbem ingrederentur. An ob eam causam* triumphalia limina *Sidonius nuncuparit. Quaedam alia.*

De hac S. Gallicani historia videbis, uti diximus, Tillemontii reprehensiones Nota VI. in Juliani persecutionem; qui cur eam *acta Joannis & Pauli* vocet, jam supra exposuimus. Nos tantum pauca quaedam aliis praetermissa heic more nostro persequimur.

Sectio prima sic incipit: *Sub Constantino Aug. & Gallicano duce Romani exercitus.* Hic idem Gallicanus infra consularibus fascibus ornatus dicitur. Duplex autem sub Constantino [nam antiquiores Gallicanos consules nihil moror] consul hujus nominis fuit, unus Bassi collega anno 317. alter collega Symmachi anno 330. Dico duos fuisse diversos, quia huic alteri nulla iterati consulatus nota usquam subjicitur. Nihil tamen impedit, quominus alter prioris filius

filius fuerit, aut ex eadem saltem domo prodierit; ex gente *Ovinia* scilicet, quum horum prior videatur ille *Ovinius Gallicanus praef. urbi* fuisse, qui in Bononiensi marmore Crispo Caesari titulum posuit. Ne illud quidem verisimilitudine caret, *Gallicanum* illum praepositum cubiculi, cujus meminit S. Ambrosius epist. 27. ad Valentinianum II. ad hujus, de quo agimus, genus pertinuisse.

Ibid. v. 6. *Sacratissimam virginem Constantiam.* In antiquioribus *Constantinam*: quam scriptionem sequor, duce quadam inscriptione, quam cap. seq. post Gruterum & Baronium proferam. Ibidem fabellae de Constantia seu Constantina Constantini Aug. filia, ac simul virgine Deo sacrata, veram originem detegam.

Sectionis alterius ea summa est, Constantinam nuptiis cum Gallicano eatenus consensisse, modo interim subarrhationis loco sibi Gallicani duae filiae permitterentur, & Gallicani vicissim lateri Joannes & Paulus Constantinae aulici interim haererent. *Secum vero*, inquit, *PRAEPOSITVM & PRIMICERIVM Joannem & Paulum esse gratanter* [Gallicanus] *admittat.* Mox: *Et velut subarrhationis loco dantur* [Gallicano] *duo FRATRES EVNVCHI ex latere Augustae.* Duobus his locis paullisper immorari juvat. Quorum posterior est ille de germanitate Joannis & Pauli disertissimus locus: qui quidem, ut ante diximus, hunc de S. Gallicano commentarium non ante finem sexti saeculi prodire potuisse fateri cogit: maxime quum de ea fraternitate Acta ipsorum martyrum [quae multo certe antiquiora sunt] prorsus taceant; in quibus tamen, si vere germani fuissent, id dissimulari minime decuisset. Jam vero hoc eodem posteriore loco quod iidem EVNVCHI dicuntur; id quoque commentitium esse infra cap. 4. ad Acta docebimus. Tametsi id non inepte confictum fuit. Nam si re vera cubiculo praefuissent; eunuchos esse decebat. At ea quoque praepositura nihilo minus, ut infra ostendemus, fabulosa est: de qua tamen, quasi si vera sit, parumper commentemur.

In eorum igitur locorum, quae paullo ante recitavimus, priore unus fuisse *Praepositus*, alter *Primicerius* Constantinae dicitur. Mira sane locutio. Nec enim *Praepositus* aut *Primicerius* absolute usurpatur, sed addito illius rei nomine, cui praeponebantur. Duplex tamen praepositura celebrior invenitur. Erat *Palatii praepositus* [qui unus nude πραιπόσιτος in Chronico Alex. pag. 764. vocatur], & erat *Praepositus sacri cubiculi*: quae posterior praepositura Nostro, si quidem spado fuisset, convenientior erat. Sed & *Primicerii* multiplices erant, & suo quisque adjuncto discreti. Sed tamen qui heic nude *Primicerius* Constantinae dicitur, eum *primicerium sacri cubiculi*, de quo meminit Notitia imperii, interpretari debemus. Sicuti pari modo qui ab Eustathio in vita S. Eutychii Patr. CPolitani num. 8. *Primicerius Augustae* sine alia adjectione vocatur, is quoque ad sacrum cubiculum mihi referendus videtur. Horum igitur eunuchorum [tantisper enim commentis morem gero] *praepositura* & *primiceriatus* (quibus substantivis uterque utitur codex) ad cubiculum, si videtur, pertinere intelligantur. Ceterum horum pugilum non magis germanitatem, quum eunuchismum, & palatina officia pura puta esse commenta, cap. 3. & 4. demonstrabitur.

Sectionem tertiam totam occupat Oratio longissima, qua Constantina Gallicani filiabus virtutem castitatis a Deo rogavit, impetravitque. Vbi ea obiter memorat, se olim *orationibus martyris Agnae a lepra mundatam*: quod & in actis qualibuscumque S. Agnetis legitur. Verum haec mitto. Illud notatu dignum, quod expleta hac bene longa precatione, sectio quarta sic incipit: *Hanc vero orationem fuisse Constantiae* (al. *Constantinae*) *ipsa narrante didicimus: quam etiam ab ea legimus scriptam.* Nihil ineptius fingi potest, quam eam precationem, quam oranti Constantinae incensa nimi devotio expresserat, fuisse ab eadem mox scripto mandatam. Sed tamen quicumque is fuit, qui ad calcem actorum depravatorum SS. Joannis & Pauli subjecit, ea ab Terentiano *scripta* fuisse, idem ille & hoc forsitan de precatione per ipsam Constantinam scripta notasse videtur; sive is auctor hujus historiae Gallicani fuit, sive quivis alius. Ex eadem, inquam, officina utrumque prodiisse conjicio.

Eadem sect. 4. versu 9. *Qui* (Gallicanus post reportatam victoriam) *non prius ingressus est Romam, nisi prius ad sacra Petri Apostoli limina perrexisset.* Recte hoc dicitur; quia Petri basilica extra pomoerium erat. Ac sero admodum sub Pont. Leone IV. prolato pomoerio, ea pars comprehensa muro fuit. Sic etiam Sidonius I. epist. 5. iter suum Romanum describens, *Priusquam*, inquit, *vel pomoeria contingerem, TRIVMPHALIBVS Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi . . . explosum esse languorem.* Videndus in hunc locum Savaro: qui quanto studio *Romipetae* (sic enim vocatos notat, qui Limina Apostolorum visitatum ibant) Sacris Liminibus fixi haererent, pluribus antiquorum locis notat. Quod vero ea

Limi-

complectitur, pretio lector mecum una judicare queat, ea prius sive apud Surium, sive correctiora apud Papebrochium legi operae pretium fuerit, aut saltem satis liberale eorumdem compendium in Adonis mrologio hoc die. Ceterum quam epitomen vetus meum Breviarium Capuanum affert, ea perquam jejuna est; nisi quod eisdem est ferme verbis ex actorum contextu contracta. Ea duabus contenta lectionibus hunc maxime in modum habet.

Lectio I. *Joannes & Paulus primicerii* (513) *& prepositi Constantie filie Constantini fuerunt. Cum Julianus Cesar captus esset cupiditate* (514) *sacrilega: audissetque quod Joannes & Paulus ex opibus, quas virgo Constantia reliquerat, Christianos pauperes sustentabant: mandavit eisdem quod sibi* (515) *adherere deberent. At illi dixerunt: Quia religionem plenam virtutibus reliquisti: a te omnino recessimus: & tibi obedire contemnimus. Ad hoc Julianus: Si infra decem dies ultro ad me venire contempseritis: tamquam hostes puplicos puniam.*

Lectio II. *Tunc Joannes & Paulus per totos decem dies elemosynis insistentes omnia sua pauperibus erogabant. Decima* [516] *autem die missus est ad eos Terentius* [517] *qui dixit eis: Dominus noster Julianus statunculam* [518] *auream Jovis ad vos misit: ut eidem tura incendatis: alioquin ambo simul peribitis. Cui sancti dixerunt: Si tuus Dominus est Julianus, habeto pacem cum illo: nobis alius Dominus non est nisi Jesus Christus. Tunc jussit eos occulte decollari: & in foveam intra domum sepeliri: famam faciens quod in exilium missi essent.*

Tertia lectio (ut quae de octava S. Joannis Bapt. legi jubetur) praetermittitur; eoq. heic illa omnia desunt, quae horum marty-

Limina vocari ab Sidonio *triumphalia* idcirco putat, quia aedes illa Via triumphali a Constantino (de quo non ambigitur) exstructa fuit; videndum, an non ejus appellationis ea causa verior fuerit, quod Christiani duces qui victoriam retulissent, non prius pomoerium ingrederentur, quam illis liminibus proni procidissent, dictis ob id *triumphalibus*, quod nimirum propagato latius Christianismo ea veluti species triumphi quaedam haud ignobilis haberetur. Itaque quia sic scriptoris hujus aevo a piis victoribus factitabatur, idcirco is Gallicanum suum ita facientem inducit.

Sect. 5. Gallicanus ubi diram obsidionem, seque redactum ad incitas, Constantino exposuisset, subdit: *Cumque cuperem fugiendi aditum reperire, Paulus & Joannes (ex quibus praepositus unus est, primicerius alius Dominae meae, pietatis vestrae filiae, Constantiae Augustae) dixerunt mihi: Fac votum Deo caeli, quod si te liberaverit, Christicola fias; & eris victor melius quam fuisti.* Haec verba, *Fac votum Deo caeli* &c. repeririuntur in Responsali libro (quem vulgo *Gregorianum* vocant, & quem Benedictini Sacramentario Gregoriano subjecerunt) ex quo fieret, S. Gallicani acta saltem S. Gregorio antiquiora fuisse. Verum jam supra Adnot. 510. demonstravimus, id Responsale S. Gregorio recentius esse. Vide ibi dicta. Illud etiam notandum est quod in loco, quem initio hujus Adnotationis ex sect. 2. attulimus, Joannes anteit Paulo, heic autem contrario gradiuntur ordine; & tamen utrobique cod. ordine dicitur: *Unus praepositus, alter primicerius fuit*; ut haud queas decernere, uter utrum officium gesserit. Vides, quam temere ac nullo judicio haec ad nos scripta pervenerint. Sed bene est, quod haec horum martyrum officia esse merum commentum, initio Adnotationis hujus admonuimus.

(513) Confer modo dicta tum in medio tum in fine superioris Adnotationis. Novo heic modo hae dignitates efferuntur, & ita, quasi si uterque primicerius, uterque praepositus fuerit: adeo mendacium nusquam potest recto talo consistere.

(514) Sacrilegam eam cupiditatem vocat, qua inhiabat pecuniis Deo sacratis, quippe ad alendos Christi pauperes a Constantina relictis.

(515) Quid sit *Adherere*, videbimus infra in animadversionibus ad horum Acta.

(516) Imo undecimo die, ut in actis dicitur, & ratio postulat.

(517) Hic est ille *Terentianus campidoctor*, de quo plura in actis. At in propriis nominibus derivativa cum suis primitivis alternabant. Hinc etiam in actis, quae in nostro perantiquo codice Olivetano exarata exstant, idem *Terentius* vocatur.

(518) In actis, *Statunculum aureum Jovianorum*: quod eodem redit, ut ad ea adnotabimus.

martyrum necem sunt consecuta : ut quod Terentiani filius a diabolo arreptus, ad domum Joannis & Pauli, in qua eos defossos fuisse dictum fuit, convolans, de eis indicium fecerit : quodque ea re commotus pater, poenitentia tactus, eorum passionem declaraverit, & baptismi gratia percepta, martyr occubuerit : & alia eodem pertinentia. Verum quibus haec tam jejuna Breviarii Capuani epitome parum satisfaciet, nec interim Bollandistarum opus ad manus erit; ii adeant capitis quarti finem, in quem praecipuam hujus historiae partem ex nostro Olivetano vetustiore codice erutam contuli.

Jam vero ut judicium qualecumque de hoc scripto proferam: duo ante omnia certissima esse ajo, primum de horum martyrio non posse penitus dubitari. Nam ut cetera ejus rei satis vetera monumenta sileam; *Pammachii titulus* vetustissimus eorum culturae antiquitatem liquido demonstrat. Deinde eosdem non in Diocletianea aut Liciniana aliave persecutione enectos fuisse, sed in ea ipsa Juliani, de qua haec acta loquuntur, sic suadetur. Romanum ab Aegidio Bucherio editum Kalendarium celebratissimos quosque urbis Romae martyres, qui Julii Papae obitum antecesserunt, minime praetermittit. At Joannem & Paulum jam tum ab initio ab Romanis in oculis & ore habitos, aeque saltem ac Laurentium, & Agnetem, Vigilia eorum festo praemissa, illatio nominum in Missae Canonem, ceterique honores testantur. Non alia ergo causa assignari potest, cur hi duoviri a Bucheriano laterculo absint, quam quia Kalendarium illud paullo ante Juliani vexationem scriptum fuit. Dixi, paullo ante fuisse factum; quia sub Liberio scriptum fuit, sub quo etiam hi martyres oppetierunt. Sed laterculus ille ad priora Liberiani pontificatus tempora pertinet, Juliani autem insectatio in ejusdem postrema incidit.

Nec tantum haec vera sunt, sed & praecipuas ejus historiae circumstantias non esse repudiandas contendo. Nam quod in hoc scripto quaedā in historiam generalem, inq. domus Augustae genealogiam peccentur, & quod Julianum praesentem Romae fuisse, subindicetur; ex iis non aliud efficitur, quam scriptorem nec rebus gestis aequalem fuisse, nec satis eruditione praeditum. Itaque satis habuit, si ad colligendas de his martyribus narrationes a Terentiano ante centum paullo plus annos promulgatas suam industriam ac sinceram fidem afferret; securus interim de aliquot in saecularem historiam offensionibus. Cujus simplicitati gratia potius habenda, quod horum martyrum notitias intermori non siverit, quam irasci, sicubi in saeculi historiam, quam parum callebat, offenderit. Parcant rogo delicatuli homines, si compertae scriptoris sinceritati cum simplicitate conjunctae dem facile manus; nec me inexorabilem historicis ἁμαρτήμασι praebeam, quae scriptorem ipsum suique deque tulisse, liquido apparet. Ceterum non omnia, quae viri critici in hac historia criminantur, digna esse reprehensione, cap. sequenti itemque ultimo obiter observabimus, dum in aliquot scripti hujus loca commentabimur.

C A P. III.

De quadam Constantia, sive Constantina, Constantini M. filia, eademque virgine, in pluribus historiis celebrata, quid sit sentiendum, DISQVISITIO.

Praeter germanitatis SS. Joannis & Pauli fabellam cap. I. explosam (quae rectissime ab eorum Actis abest) illud etiam auctoritatem ac pretium eidem huic historiae conciliat, quod de illa in pluribus sanctorum historiis celebrata virgine Deo sacrata *Constantia*, sive potius *Constantina*, non fictas ad arbitrium fabulas, sed vera praedicet, & quod, quid commento ansam praebuerit, attentioribus pandat.

Etenim S. Aldhelmus (qui ad initia usque VII. saeculi vitam prorogavit) in suis de Virginitate hexametris, itemque martyrologia IX. saeculi plenis buc-

cis de hac *Constantia* seu *Constantina* (nam utroque scribitur modo, sed posterior (519) scriptura rectior est, quam & posthac sequemur) loquuntur; quam etiam Magni Constantini filiam fuisse volunt, & suam Deo perpetuam virginitatem sacrasse ac servasse.

Quae vero S. Aldhelmus de hac Virgine Constantini filia cecinit, ea ille haud dubie ex insinceris S. Agnetis actis, & ex multo deteriore S. Gallicani historia deprompsit. Nam ad calcem ejus commentarii, qui sub S. Ambrosii nomine de Agnete circumfertur, narratur Constantinae huic lepra laboranti B. Agnes apparuisse, eique commonitae ut Christi fidem amplecteretur, perfectam sanitatem restituisse: quo facto eamdem hanc Constantini filiam templum sanctissimae martyri via Nomentana erexisse, suamque Deo vovisse virginitatem. In Gallicani vero actis multo putidiora commenta narrantur, quorum summa eo ferme redit. Quidam dux Gallicanus ea conditione bellum adversus nescio quos Scythas suscipit, modo Constantinus filiam suam Constantinam sibi ab ea expeditione reduci nuptui tradat. Aegre id ferentem Augustum (ut qui filiam Deo virginitatem sacrasse sciret) Constantina confirmat, atque ut depaciscatur monet: nam sibi non fore dubium, quin Gallicanus re confecta, Christi fidem sit amplexurus, suamque is quoque castitatem Deo dicaturus. Id modo virgo postulat, ut Gallicani duae interim filiae sibi subarrhationis loco permittantur, ipse Gallicanus vicissim praepositum & primicerium suum Joannem & Paulum secum arrhae instar habeat. Haud secus factum, ac dicta lex fuerat. Interea temporis duas Gallicani filias Constantina ad pietatem & vovendam Deo castitatem impellit: & e diverso Gallicanum cum exercitu jam de salute periclitantem Joannes & Paulus his dictis (apud Adonem) hortantur: *Fac votum Deo caeli, quod si te liberaverit, Christianus fias, & eris victor melius, quam* (antea adversus Persas) *fuisti*. Fides promissis stetit. Quare Gallicanus, ubi cum Scythis debellasset; non tantum Christo nomen dedit, sed & promissa Deo castitate, non sine imperialis aulae gratulatione sponsae Augusti filiae nuntium remisit: a qua vicissim edocetur, par virginitatis propositum filias suas fuisse secutas. Is est totius piae fabulae exitus. Non immerito enim fabulam lepidissimam dixeris (de qua vide Tillemont. Not. VI. in Juliani persec.) nisi quod hoc tantum disconvenit, quod comoediae ceterae in nuptias plerumque desinunt; heic contra pactae jam diu nuptiae in vota virginitatis traducuntur.

Et vero exstitisse omnino ullam Constantini filiam voto virginitatis Deo devinctam, recte negat Tillemontius tum Nota VI. in Juliani persecutionem, tum etiam in Constantino Not. 18. & ad Acta S. Agnetis: qui praeterea ea acta omnia, in quibus Constantinae Virginis Augusti filiae mentio fit, falsi comperta habet. Quid enim? Magno Constantino duae non amplius fuere filiae, Constantina & Helena; quarum prior Hannibaliano ac postmodum Gallo Caesari, altera Juliano (Apostatae postea dicto) nupsit. Vndenam

(519) Parum hoc est quod in optimis quibusque & antiquioribus actorum Joannis & Pauli scriptis codicibus (maxime illo Corbejensi ante septingentesimum Christi annum descripto) haec femina non *Constantia* sed *Constantina* scribitur; sicuti etiam in quibusdam vetustioribus Gallicanicae historiae exemplaribus [nam in deterioris notae exemplis utriusque historiae *Constantiam* sine N legi, ultro fateor]; parum inquam hoc est; nam illud dubitationem omnem praecidit, quod in antiquo epigrammate, quod in S. Agnetis legebatur, quod infra afferemus, non aliter, quam *Constantina* perscribitur; nam incipit,

Constantina Deum venerans, Christoq; dicata.

Ad haec ex ejusdem epigrammatis acrostichide nomen CONSTANTINA conficit, uti videbimus. Ceterum sicuti aevo sequiore *Constantini* & *Constantii* nomina millies confundebantur, sic etiam *Constantinae* atque *Constantiae* heic permutata fuerunt.

denam quaeso tertia haec obfirmati propositi virgo prodiit?

At equidem ut huic Tillemontii ratiocinationi neminem refragaturum puto; sic contra haud de nihilo hoc esse ajo, quod in tot ecclesiasticis monumentis (nō coaetaneis quidem rei gestae, sed tamen vetustis) Virgo haec imperatorii sanguinis mirifice celebretur. Aliquid certe veri sub eo commento latet. Ne quemquam vero morer; primum sic statuo, Constantinam illam, quae S. Agnetis apparitione recreata, ejus templum erexit, virginem quidem Deo sacram fuisse, at nihil minus quam Imperatoris filiam exstitisse: privatam adeo fuisse mulierem, etsi forsitan ex transverso consanguineam imperatoris. Id vero tum ex his SS. Joannis & Pauli peculiaribus actis, tū etiam ex inscriptione vetusta confirmabimus. In his enim actis sic legitur sect. I. v. 9. *Pervenit namque ad eum* (Julianum) *quod Paulus & Joannes omnibus diebus turbam Christianorum pauperum recrearent ex his, quas SACRATISSIMA VIRGO CHRISTI CONSTANTINA eis reliquerat divitias*. Virginem Deo sacram profecto heic habes: ceterum de eo quod Constantini filia fuerit (quod minime taceri decuisset) ne verbum quidem. At quia postea recentior illa Gallicani historia (in qua multus de ea virgine Constantini filia sermo est) cum propriis Joannis & Pauli actis inepte coaluerat; id in causa fuit, ut Tillemontius (& quis non?) ex Joannis & Pauli actis manasse virginem illam Augusti filiam dixerit; quum re vera in hac duovirorum historia, de virgine, non de principis filia mentio fiat.

At enim, inquies, eam de qua loquimur Virginem, Augusti filiam fuisse, actorum Joannis & Pauli initium satis innuit; quod est ejusmodi: *Igitur postquam Constantinus Imp. migravit ad caelos, & secuta est FILIA CONSTANTINA, dum esset pessimus Julianus* &c. Heic enim non alia Constantina intelligi potest, quam quae mox v. 9. *Sacratissima virgo Christi Constantina* vocatur. Quocirca quis dubitat, quin eadem & virgo fuerit, & patre imperatore nata? At equidem quovis pignore contenderim, verba illa, *Et secuta est filia Constantina* (quae & satis inepta sunt, nec prorsus quidquam significant, nec postremo quid ibi faciant, perspici potest) non ab hujus commentarii auctore profecta, sed posterius insuta fuisse post confictam S. Gallicani historiam, idque in eum maxime finem, uti lectori suaderetur, virginem Constantinam, quae facultates pauperibus distribuendas Joannis & Pauli fidei commiserat, eamdem illam commentitiam Constantini filiam fuisse, de qua Gallicani historia magnifice loquitur. Id vero additamentum quum in omnibus manuscriptis peraeque legatur, etiam in illo vetustissimo Corbejensi; ex eo intelligimus statim post sparsam in vulgus Gallicani historiam, fuisse illam adjectionem factam, longe antea scilicet, quam cum Gallicani gestis acta Joannis & Pauli cohaererent. Imo si verum fateri volumus, quamdiu Gallicani, & Joannis ac Pauli historiae distinctis voluminibus legebantur, tamdiu illa tantula accessione (*& secuta est filia Constantina*) opus fuit, nequis forte de alia Constantina, quam principis filia cogitaret: quae accessio post conflatam ex duobus unam historiam supervacanea fuit (nam satis in praeviis de Gallicano narrationibus simul res gestae Constantinae, virginis Augusti filiae tradebantur, ut non posset non eadem Constantina intelligi) & tamen, quod non raro accidit, adhuc additio retenta fuit, post coalitionem haud amplius necessaria. Maneat hoc igitur, ex peculiaribus Joannis & Pauli actis non aliud constare quam fuisse quamdam virginem Constantinam; at eamdem fuisse ex imperiali sanguine, id vero haudquaquam liquere.

Idem prorsus & ex inscriptione perspicitur, quam Damaso pontifici Baronius ad ann. 360. num. 56. & alii passim tribuerunt; etsi Martius Milesius Sara-

zanius, qui eam inter Damasiana epigrammata refert to. 27. Biblioth. SS. Patrum, de auctore (*) dubitat. Vide cetera apud eumdem Sarazanium: ex quo, & potissimum ex Grutero (520) pag. 1161. num. 9. heic eam dabimus.

Constantina Deum venerans, Christoque dicata,
Omnibus impensis devota mente paratis,
Numine Divino multum Christoque juvante,
Sacravit templum victricis virginis Agnes:
Templorum quod (521) *vicit opus, terrenaque cuncta*
Aurea quae (522) *rutilant summi fastigia tecti.*
Nomen enim Christi celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem,
Invectus (523) *caelo, solusque inferre triumphum,*
Nomen (524) *adhuc referens & corpus & omnia membra,*
A mortis tenebris & caeca nocte levata.
Dignum igitur (525) *munus, Martyr, devotaque Christo,*
Ex opibus nostris per saecula longa tenebis,
O felix virgo memorandi nominis Agnes.

Hanc vero Constantinam *Constantini filiam* Gruterus ibi in lemmate praedicat; Baronius addit Gallo Caesari nuptam. Et nemo adhuc, quod sciam, fuit, qui in id non convenerit. At estne credibile, epigrammatis scriptorem id fuisse omissurum, quod ea Constantinum haberet patrem? Verum, inquis, quid mirum, quum nec de virginitate meminerit? Scio quidem Tillemontium Nota XVIII. in Constantinum suadere voluisse, nihil in hoc epigrammate legi, quod *virginem* designet, & illud *Christoque dicata* non aliud quam Christianam notare: *Il suffit pour cela, qu'elle fust Chrètienne, sans qu'elle fust vierge*. At id nollem viro gravissimo excidisse; nam tum illud *Christo dicata*, tum illud versu antepen. *Devota virgo*, non aliud fuisse quam consueta prioribus saeculis virginum Deo sacra-

(*) Quum in Mss. id epigramma Damaso tribuatur, quumque a Baronio & aliis eidem adscribatur; maneat, censeo, in ea possessione poeta Damasus; praesertim quum ab ejus stylo minime abhorreat. Est hoc inter cetera Damasiani styli peculiare, ut incisa quaeque versiculi ambitum non excedant, sed idem sit semper commatis & versiculi finis. Ut omittam quod dictio tota plane Damasiana est.

(520) Gruterus quidem p. 1161. n. 9. ubi *in apside basilicae S. Agnae eam fuisse lectam*, ex Scaligerianis refert, de elapsis temporibus est intelligendus; nec enim Scaliger ex marmore aut musivo eam descripsit, sed haud dubie ex MSS. ex quibus etiam Damasiana epigrammata Sarazanius eruit. Porro Scaliger apud Gruterum recte admonet, hoc epigramma *OLIM* (non suo tempore) exstitisse *incisum marmori* in S. Agnetis via Nomentana.

(521) Sic rectius Baronius & Sarazanius. At MS. Vaticanum & Gruterus, *Quae vicit opus*.

(522) MS. Vatic. & Gruterus: *Quae rutilat*. Ad oram MS. Vatic. Baronius rescripsit *Rutilant*, at pro *Quae* minus recte in Annal. edidit, *Nam rutilant*: quod tamen Sarazanius sequitur. Sed retinendum est illud *Quae*; quia hic versus cum priore nectendus est hoc ordine atque sententia: *Quod* (templum S. Agnes) *vincit opus templorum* (profanorum; quia *Templa* absolute non nisi idolorum sunt) & *cuncta terrena fastigia summi tecti* (earumdem aedium profanarum) *quae aurea rutilant*. Cur templum S. Agnes profana vincat, sequenti versu ratio redditur: *Nomen enim Christi* &c.

(523) Consentiunt in hoc versu MS. Vaticanum, Gruterus, & Sarazanius. At minus recte Baronius: *Invictum solus caelis inferre triumphum*. Hic porro versus refertur ad eum qui hinc tertius est; quippe Christus triumphum retulit *A mortis tenebris & caeca nocte levata*. Nam istud *Levata* cum *Nocte*, non cum *Membra* jungendum est.

(524) Hic & sequens versus leguntur in MS. Vaticano, in Grutero, & in Sarazanio; at vero in Baronio desiderantur: male prorsus; nam sine iis acrostichis intercidit. Ex primoribus enim hujus epigrammatis litteris efficitur CONSTANTINA DEO: subauditur autem *Posuit*, aut *Fecit* sive *Donum dat*, ut in aliis dedicatoriis titulis. Ex acrostichide obiter vides, non Sanctis posuisse basilicas veterem ecclesiam, sed Deo in memoriam sanctorum, uti loquitur Augustinus.

525 Baronius & Sarazanius, *Dignum, Agnes, munus martyr*. At rectius MS. Vatic. & Gruterus, *Dignum igitur* &c.

sacrarum vocabula, satis aperte exempla (526) a Fresnio producta declarant.

Quaeret hic aliquis, undenam orta primum ea persuasio fuerit, Constantinam illam virginem, quae templum S. Agnes erexit, fuisse Constantino patre natam. Nisi mea me fallit opinio, duae Constantinae in unam conflatae fuerunt, nim. Constantina Constantini filia Gallique uxor, & altera ejusdem nominis quae virgo & templi S. Agnetis fundatrix fuit: cui alteri, etsi privatae, tamen cum augusta domo cognationem aliquam ex latere intercessisse, haudquaquam improbabile censeo. Cur autem ambae in unam confunderentur, ea [nisi vehementer fallor] causa esse debuit, quod Galli uxor aut in ipso, ut arbitror, S. Agnetis templo, aut saltem in admodū vicino loco, sepulta fuisset, uti narrat (527) Ammianus. Ab eo igitur factum, ut duae cognomines feminae ibi magnopere celebrarentur, virgo & fundatrix una, nupta & Augusti filia altera. Id vero ubi fit, nihil usitatius reperio, quam ut tractu temporis praecipua utriusque decora in unam personam contrahantur, quo celebratior evadat. Itaque ex Galli uxore, parum ceteroqui pia, desumptum imperatorium genus, & sepulturae locus fuit; ex altera vero sacrata Deo virginitas, templique fundatio; iis vero & quibusdam aliis sive veris sive fictis circumstantiis in unam feminam collatis, exstitit tandem sexto saeculo illa celeberrima Virgo Augusti filia Constantina, templi S. Agnes fundatrix, & in S. Agnetis sepulta. Quod ubi vulgo creditum fuit; exorti postremo sunt passionum S. Agnetis, & S. Gallicani scriptores, qui de ea Constantina magnifice loquerentur; & ut mox VII. & VIII. saeculo S. Aldhelmus & (528) Beda, itemque vita S. Silvestri, quae circumfertur vulgo sub nomine

(526) Videantur exempla Cypriani, Hieronymi, Concilii Illiberitani, & alia quae affert Cangius in DEODICATA. Non tantum vero *Deo* sed & *Christo dicatae* (quod alterum in Constantinae epigrammate scribitur) dici usus ferebat. Cyprianus de discipl. & habitu virg. *Et quae se Christo dicaverint, & a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente Deo se voverint*. Vocabantur praeterea *Deo sacrae* aut *sacratae*, *Deo deditae*, aut postremo *Devotae*, quod & in nostra epigraphe legitur: de quo jam dicendum.

Etenim illud versu antepen. de Agnete usurpatum, *Devotaque Christo*, non est dubium quin tantumdem sit quod *Virgo*, ut ea loca ostendunt, quae idem Cangius in DEVOTAE cumulat. Exstat Concilii Valentini sub Damaso canon, cujus est titulus, *Devota si se maritaverit*. Occurrunt *Deo devotae* in Epist. 2. Siricii advers. Jovinianum. Est etiam Ambrosii tractatus *ad virginem devotam*. Cetera vide apud eumdem Fresnium.

(527) Marcellinus lib. 21. cap. 1. *Inter haec* (Julianus paullo ante Constantii mortem) *Helenae conjugis defunctae suprema* (h. e. reliquias) *miserat Romam, in suburbano viae Nomentanae condenda, ubi uxor quoque Galli, quondam soror ejus, sepulta est Constantina*: anno nim. 354. Ad quae adnotat Valesius, hanc vocari *Constantiam* in Ammiani cod. Reg. & in Zosimo, Petro patricio, chronico Alex. & Zonara; sed tamen *Constantinam* scribi debere, ex nummis ostendi, in quibus inscribitur FL. IVL. CONSTANTINA AVG. Addit & ibidem Valesius: *Haec porro adhuc virguncula aedem in suburbano viae Nomentanae construxerat S. Hagnae sacratam*. At estne credibile, virginem Deo consecratam, postea ad Hannibaliani primum, mox Galli nuptias convolasse? aut si quidem tantum nefas admisisset; estne verisimile, eam ab S. Damaso, aut quisquis auctor epigrammatis fuit, a virginitate Deo dicata fuisse laudatam? Pergit Valesius: *In qua* (aede) *postea sepulta est. Hinc porta Nomentana hodie S. Agnes appellatur: aedes autem ipsa ab auctoris nomine SANCTAE CONSTANTIAE dicitur, corrupto, ut fieri solet vocabulo: Nam Constantinam dici debere, testatur vetus acrostichis*: in qua nos scil. tamdiu versamur. Et ab auctore quidem illam aedem ita dictam, non dissentio: verum Constantinam feminam privatam (etsi forsitan Augustorum ex latere consanguineam) non Galli uxorem, fuisse aedis auctorem censeo.

(528) Beda de sex aetatibus mundi inter sacra aedificia Constantini refert, *Item basilicam S. Martyris Agnes ex rogatu filiae suae, & baptisterium in eodem loco, ubi & baptizata est soror ejus* (Constantini) *Constantia cum filia Augusta*, illa scil. de qua agimus.

nune (529) Anastasii, & mrologia noni saeculi eadem omnia confirmarent. Aliquanto ulterius processit Bollandus, qui eamdem Constantinam die XVIII. Februarii inter sanctos referre, etsi nullo antiquo Martyrologo duce, non dubitavit.

Ea vero fabella (de virgine scil. augusti filia Constantina) quum a propriis SS. Joannis & Pauli actis (in quibus maxime locum suum habere debuisset) prorsus absit; hinc ei historiae pretium antiquitatis ac nonnullius sinceritatis accedit. Non tantum hoc vero abest, sed & ea simul exsulant, quae cum ea fabella simul apta & connexa circumferuntur. Nam commenta illa de Joanne & Paulo, quae in Gallicani gestis occurrunt, quod nim. & eunuchi fuerint, & alter praepositus, primicerius alter Constantinae Augusti filiae, ea ab his peculiaribus eorum actis, in quibus legi debuissent, minime occurrunt.

Recte igitur hoc habet quod hodiernorum Christi testium historia ab his ἀπῳ τοις sit immunis: hoc tantum doleo quod adhuc naevi nonnulli, sed tamen condonabiles, resident, de quibus cap. 2. §. 3. expostulavimus.

C A P. IV.

In SS. Joannis & Pauli acta animadversiones reliquae.

Juliani scommata in Christianos. Horum actorum pretium commenta plura, quae ab iis absunt, declarant. Quid sit Adhaerere. *Hos duoviros non fuisse eunuchos, hinc & ex Juliani Misopogone arguitur. Martyres non antea colebantur, quam ecclesiae judicio vindicarentur, seu probarentur. De* Campidoctore. *De* Jovianis *&* Herculianis. *Quo sensu sub Juliano ecclesias pluribus in locis clausas fuisse, defendi possit.*

Jam quidem plura haud nullius momenti in hanc historiam sparsim adnotavimus: nunc siqua forte restant, in unum veluti fasciculum colligemus. Sequar autem sectiones editionis Papebrochianae hoc die pag. 159.

Initio sectionis primae Julianus *cupiditate pecuniae captus* haud ab re dicitur; ea enim indigebat, uti se ad Persicam expeditionem compararet, quam jam tum ab initio animo suo conceperat. Ea de re pecunias undeunde corradens, Christianos in primis diversis vexabat concussionibus: id quod satis ex historia Imperatoris hujus notum est. Versu sexto: *Patrimonia Christianorum auferens* (non omnium, nec palam, sed varias praetexens causas) *dicebat: Christus vester dicit in Evangeliis: Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Illud sarcasmi genus a ceteris amarulentis ejus in Christianos dicteriis, & ab divina saepius Christi doctrina petitis, minime abhorret.

Ibidem v. 9. *Pervenit namque ad eum, quod PAVLVS & JOANNES omnibus diebus turbam Christianorum pauperum recrearent, ex his quas sacratissima VIRGO CHRISTI CONSTANTINA eis reliquerat divitias.* Hic locus erat, quo Joannis

(529) Anastasius in S. Silvestro haec, quae ex Bedi recitavimus, totidem verbis refert: nisi quod ultima Bedae vox *Augusta* in Anastasii codicibus rectius legitur *Augusti*, in aliis vero per compendium *Aug.* quod pro *Augusti* & *Augusta* haberi potuit.

At quum haec eisdem verbis in Beda & in libro pontificali legantur, utrum eorum dicemus ex altero descripsisse? Omnino, ut arbitror, ex pontificali libro ea Beda est mutuatus. Hic vero locus ostendit, vitam S. Silvestri antiquiorem Anastasio (quem sesquisaeculo Beda antecessit) esse habendam, imo & Beda vetustiorem, ut qui inde sacras a Constantino constructas aedes totidem plerumque verbis in laudato libro descripsit.

At quia vulgo is liber *Damasi pontificale* vocatur, cave eam vitam Damaso, aut alteri sive aequali sive antiquiori tribuas. Nam (ut nihil de dictionis barbarie loquar, quae a Damasi aetate quam longissime abhorret) habemus veteres pontificum catalogos apud Bollandistas, a quibus in S. Silvestro totus is locus abest. Facile igitur paullo ante Bedam h. e. VII saeculo S. Silvestri vita cum plerisque aliis in eum modum, quo hodie legitur, concinnata atque amplificata fuit.

nis & Pauli, qui nunc primum nominantur, germanitas notari debuerat, ut alibi diximus. Nunc non tantum de fraternitate tacetur, verum & de eo quod *eunuchi* eſſent, & quod alter praepoſituram, alter primiceriatum in Conſtantinae palatio gererent. Quare ſi ſapimus, & germanitatem, & evirationem, & praepoſituram cum primiceriatu inter fabellas amandabimus, ſicuti etiam quod Conſtantinae cujuſdam (quae ſcil. Conſtantini filia ac ſimul virgo ſacrata eſſet) aulici fuerint. Haec enim omnia ab his actis haud paullo melioribus, praeut illa eſt Gallicani hiſtoria, rectiſſime abſunt. Verum de his ſatis multa in ſuperioribus diſputavimus.

Verſu 13. *Miſit* (Julianus) *qui eos* (Joannem & Paulum) *conveniret, dicens, debere eos ſibi adhaerere*. Illud *adhaerere* non aliud eſt quam Auguſti lateri *haerere*, & in comitatu imperatoris Juliani militare. Hinc ſect. 2. v. 8. inſtat Julianus: *Unde conſiderare debetis, quia & vos regalis* (h. e. imperatoria: eſt enim ex Graeco βασιλική) *aula nutrivit* (ex his diſcis hos duoviros aulicos quidem fuiſſe, ſed imperatorum Conſtantini & Conſtantii, ut infra aperte dicitur, non vero neſcio cujus Conſtantinae virginis Auguſti filiae) *idcirco non debetis* DEESSE *LATERI meo, ut habeam vos primos in PALATIO meo*. Hoc illud ſcil. eſt, quod ante dixerat, *Adhaerere*. Ex hoc vero loco, quo hos veteres palatinos ad aulam reducere ſtudet, eos nihil minus quam eunuchos fuiſſe, intelligitur. Nam quum Julianus jam ab initio ſui imperii eunuchos palatio exegiſſet; qui fieri poteſt, ut duos hoſce ſpadones ad ſe arceſſeret? De eunuchis ex auguſta domo eliminatis teſtatur hiſtoria Miſcella lib. XI. cap. 32. *Ejecit vero e palatio eunuchos*. Sed quam ejus rei rationem Miſcella tradit his verbis, *Quia uxor ejus* [Helena] *obierat, poſt quam non duxit aliam*; ea praetextae cauſae potius obtentum continent. Vera enim ratio illa fuit, quod ſeveritatem philoſophicam affectaret; ad hanc enim hoc ſuum inſtitutum rejicit in Miſopogone: quem quidem non diu ante mortem obitam, diu autem poſt Joannis & Pauli necem ſcripſit; nimirum ut intelligas, eum ab eunuchis averſandis numquam deſtitiſſe. In eo igitur libro de Mardonio eunucho praeceptore quondam ſuo loquens, haec ſcribit: *Homo barbarus per deos deaſque, & genere Scythis* [praeceptor] *erat, & illius qui Xerxem ad bellum in Graeciam inſerendum impulit* [Mardonii ſcil.] *cognominis*. De quo eodem ſtatim addit: Καὶ τὸ πολυθρύλλητον τοῦτο δὴ πρὸ μηνῶν εἴκοσι προσκυνούμενον ὄνομα, νυνὶ δὲ προφερόμενον ἀντὶ ἀδικήματος καὶ ὀνείδους, εὐνοῦχος ἦν. *Is vero eunuchus erat: quod quidem* [eunuchi] *nomen ante hos viginti menſes* [craſſe hos menſes numerat, nondum enim a morte Conſtantii quindecim interceſſerant] *celebre & venerandum erat* [Euſebium taxat, *ab ima ſorte aduſque jubendum imperatori paene elatum*, uti Marcellinus loquitur; quem tamen adeptus imperium Julianus necavit, ſimulque alios ſpadones omnes e regia expulit] *nunc vero criminis & probri loco profertur*. Ex his omnibus intelligis, numquam Julianum [quem alioqui conſtantem & propoſiti tenacem novimus] fuiſſe animo ſuo imperaturum, ut Joannem & Paulum, ſi quidem eunuchi fuiſſent, in regiam arceſſeret.

Verſu 19. Martyres ajunt: *Nos famulabamur imperio eorum*, nim. Conſtantini, Conſtantis, & Conſtantii, quos proxime nominaverant. Ex his aperte vides, aulicos quidem hos fuiſſe, ſed *Conſtantini, Conſtantis & Conſtantii*: inter quos Conſtantina virgo Conſtantini proles non numeratur. Verba vero modo recitata de palatino miniſterio intelligi, ex eo diſcimus, quod mox ejus rei contrariū martyres Juliano proteſtantur verſu antep. *Pro hac iniquitate* [tuae ἀποστασίας] *a tua ſalutatione deſtitimus, & a ſocietate imperii veſtri* [nequid forte heic ſeditioſe dictum ab his martyribus ſuſpiceris; SOCIETATEM IMPERII non aliud quam *Comitatum* intelligunt] *noſmetipſos ſubtraximus*;

mus : *sumus enim non falsi Christiani sed veri* . Haec ultima Surius [e membranis utique suis] sic exhibuit: *Sumus enim non pseudochristiani* , *sed veri & gnisii* : ex Graeco scil. γνήσιοι , h. e. legitimi minimeque fucati . Adde quae sect. 2. v. 21. ab his athletis Juliano reponuntur: *Numquam ad culturam tuam* , *neque ad palatium tuum veniemus* , uti scil. superioribus Augustis faciebamus.

Sect. 2. v. 31. *Julianus dixit* : *Putatis quia Martyres vos sibi faciant Christiani* . Ex hac loquendi ratione perspicitur , eos qui pro Religione vitam profudissent , non antea publice martyres fuisse habitos , quam ecclesiae judicio causa probata *martyres vindicarentur* [uti loquitur S. Cyprianus] ne scil. haereticarum sectarum martyres, aut catholicorum pseudomartyres cultum in ecclesia catholica adipiscerentur . Huc igitur spectat illud , *Martyres sibi FACIANT*. Jam vero sicuti sub Diocletiani potissimum persecutione hoc ipsum , quod heic Julianus loquens inducitur , veriti praesides , saepe eorum reliquias in mare aut profluentem projici , aut quovis modo dissipari jubebant,ne Christicolae Martyrium supra eas reliquias erigentes, illos uti *Martyres* venerarentur;sic idem praecavens Julianus, hos martyres clam necari, & exuvias alte defodi occulto in loco jussit .

Hactenus in priores duas textus Corbejensis a Papebrochio editi sectiones commentati sumus:quae vero sequuntur,integra ex Neapolitano codice Olivetano vetustiore huc adscribemus , non quod eum Corbejensi praeponamus ; sed quia quum in iis quae sequuntur,non parum sit inter utrumque discriminis , haud inutile judicavimus , si ipse per se lector de eo, quidquid inter utrumque interest, judicare queat .

3. *Tunc sancti viri Johannes & Paulus* [530] *Christianos ad se venientes invitantes ordinaverunt de omnibus, quae relinquere poterant ; ac per totos decem dies incessanter die noctuque eleemosinis insistentes , die undecima sunt constricti intra domum suam.* [531] *Missus est namque Terentius* [532] *campidoctor ad eos cum militibus hora caenandi : qui ingressus invenit eos orantes . Qui dixit eis : Dominus noster Julianus statunculum* [533] *aureum Jovis* [534] *ad vos misit*

(530) Heic in Corbejensi Papebrochiano versus quinque bonae admodum frugis (uti pleraque codicis ejus sunt) interponuntur de Crispi presbyteri , Crispiniani & Benedictae adventu , de Missa in domo martyrum celebrata , & communione ab eisdem percepta .

(531) Heic quoque in Corbejensi sex alii interjiciuntur versus de eo , quod Crispus , Crispinianus , & Benedicta de eorum custodia certiores facti , ad eos confortandos venientes , non sunt permissi introire .

(532) In omnibus aliis *Terentianus* , ut etiam in Olivetano altero , at in Breviario Capuano & in hoc vetustiore Olivetano *Terentius* . Hujus officium perverse in Corbejensi & omnibus aliis [sicuti etiam in plerisque Vegetii codicibus] CAMPIDVCTOR ultima vocali scribitur . At vero in quadam Breviarii Capuani hujus diei antiphona , & in utroque Olivetano rectissime legitur CAMPIDOCTOR . Quam scripturam esse verissimam , plures inscriptiones docent . Quid sint *Campidoctores* , docebit Vegetius . Is nempe erat qui tirones in campo ad omnem militarem artem instruebat , praecipue ad *Armaturam* : quod saltationis in armis genus erat . Hae docendi partes in vetere militia a centurionibus , & veteranis militibus exercebantur : at aevo posteriore *Graeculus magister* aliquis [uti Plinius in Paneg. n. 5. expostulat] ordinari Campidoctor coepit . Hujus officii praeter Vegetium , Ammianum, & alios, meminit etiam S. Eucherius Lugdunensis in passione SS. MM. Agaunensium : *Qui cum Exuperio* [*ut in exercitu appellant*] *campidoctore* .

(533) Breviar. Capuan. habet genere sequiore *Statunculam* , quo genere etiam Petronius in Fragmento Traguriensi utitur . At *Statunculus* & *Statunculum* frequentius leguntur , nec tantum heic , sed & in Tertulliano, in actis S. Sebastiani , itemque S. Alexandri , & alibi .

(534) Sic in vita S. Concordii Mart. n. 8. *Venientes Satellites ad eum cum statunculo Jovis , dixerunt . . . Vel sacrifica Jovi , aut capitalem sententiam excipies* . Haud dissimilia illa sunt , quae in actis S. Sebastiani cap. 18. & 20. leguntur de eo quod Christiani statunculis tura incendere cogebantur .

Porro

misit ut adoretis eum, & thura eis incendatis. Quod si non feceritis, ambo modo gladio perhimemini. Non enim decet vos intra aulam nutritos publice occidi. Johannes, & Paulus dixerunt: Julianus si tuus Dominus est, habeto partem cum Domino tuo. Nobis autem Dominus non est alius nisi Deus unus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, quem ille negare non timuit. Et quia semel a facie Dei projectus est, vult & alios secum in interitum devenire.

4. *Haec & his similia dum dicerentur, & Terentius eos ad adorandum Jovem, & ad tura incendenda impelleret, tertia hora noctis transacta Terentius volens placere Juliano, sicut illi mandatum fuerat ut sine* [535] *fama puniret eos; jussit foveam intra domum eorum fieri. Et cum decollari eos jussisset; statim involvi, & reponi eos jussit, faciens hanc famam, quod jussu Caesaris fuissent in exilium missi. Nullum enim nec signum interfectionis eorum inventum est super terram.* [536]

5. *Statim autem ut Julianus in bello persico interfectus est, Joviano facto Christianissimo viro Imperatore, apertae* [537] *sunt Ecclesiae, & caepit religio christiana gaudere. Daemones autem ex obsessis corporibus intra domum Pauli, & Johannis eiciebantur confitentes sanctam passionem eorum; itaut unicus filius Terentii, qui eos nocte occiderat, veniret intra domum Sanctorum, & clamaret per os ejus daemon, quod Paulus, & Johannes incenderent eum. Tunc Te-*

Porro heic pro *Jovis* [quod in omnibus peraeque legitur] in Corbejensi *Jovianorum* scribitur: quae lectio mihi magis se probat: tametsi vel sic non aliud istud quam Jovis sigillum fuit. Atqui *Jovianos* heic Papebrochius interpretatur *Sacerdotes aut cultores Jovis*. Fabulae. Sunt *Joviani milites* a Diocletiano Jovio sic appellati: de quibus Zosimus, Sozomenus, & Notitia imperii meminerunt. Videatur Pancirolus ad eam Notitiam cap. 37. Porro quia *Joviani* & *Herculiani* sicuti ab imperatoribus Jovio & Herculio, sic ab ipsis etiã Jove & Hercule nomen se trahere jactabant; hinc eae legiones singulae suum statunculum aureum Jovis aut Herculis apud se asservabant, quibus sacra facerent. Hinc Terentianus [ut qui campidoctoris officium apud legionem aut cohortem aliquam Joviam exercuisse credendus est] arreptum Jovianorum statunculum [h. e. Jovis eorum praesidis sigillum] ad hos martyres detulit, ut eis tura incenderent.

(535) Rectius in Corbejensi & aliis, *Sine strepitu famae*. Etsi *Fama* pro eo quod vulgo *Diffamatio* dicitur, ab hujus aevi scriptis non abhorret.

(536) Post haec in quodam Papebrochii Ms. [quod is *Majus nostrum* vocat] plura de passione SS. Crispi, Crispiniani, & Benedictae sequuntur, nusquam alibi occurrentia.

Porro in Corbejensi exemplari duo sunt alia additamenta apud Papebrochium sect. 6. unum de Terentiani [cujus in Olivetano conversio tantum narratur] martyrio, alterum longius [etiam in alio optimo Papebrochiano relatum] de Byzantio ejusque filio Pammachio, qui suasu Joviani Imp. reliquias SS. Joannis & Pauli invenerunt, eisque Martyrium aedificarunt: quod alterum additamentum cap. I. §. I. recitavimus. Has vero omnes Codicis Corbejensis narrationes, non adjectionum loco haberi volo; sed a scriptoris manu profectas fuisse, antiquitas ejus exemplaris fateri cogit. Quae narrationes in recentioribus codicibus ideo praetermissae fuerunt, quod qui postea lectionaria in usum Cursus ecclesiastici concinnarunt, nonnumquam compendifacturi, quaedam praeciderunt, quae aut aliena ab eo, quo de agitur, aut impune omitti posse putarunt.

Hoc etiam est observandum, quod in his quae sequuntur [quae quidem Olivetano codici cum Corbejensi sunt communia] tamen praeter verborum plurimam differentiam, etiam rerum ordo utrinque diversus est: quae ὕστερα πρότερα nullum narrationi incommodum afferunt.

(537) Criminatur hoc Tillemontius Not. VI. in Juliani persec., quum solas Antiochenas ecclesias clausas fuisse jussu Juliani constet. At scitum est, Julianum natura callidum, sibi quidem clementiae opinionem conciliasse; interim autem rectoribus [quos provinciis data opera saevissimum quemque imponebat] itemque gentilibus populis, non tantum liberas permisisse habenas, sed cum iis tacite consensisse, ut in Christianos desaevirent. Qua ratione pluribus in locis ecclesias fuisse occlusas crediderim, maxime a Christianis ipsis, ne paterent insultibus lascivientium paganorum. Eoque modo hoc intelligendum est quod dicitur, apertas fuisse ecclesias; apud eas videlicet urbes, in quibus gentiles praevalerent: quas quidē claudi praesulibus ipsis expedire visum esset.

Terentius veniens prostravit se in faciem, clamans quod nesciens quid faceret, homo [538] *paganissimus jussum Caesaris adimplesset. Vnde factum est ut dato* [539] *nomine suo, proximo die* [540] *Paschae perciperet gratiam Christi. Quod cum fecisset, & post baptismum paenituisset, assidue orans & flens ad locum, in quo Sanctorum trucidata fuerant corpora, a Sanctis Dei filius ejus mundatus est. Ipso autem Terentio* [541] *referente, ista passio Sanctorum scripta est, ad laudem Domini nostri Jesuchristi, qui cum Patre &c.*

ADDITIONES.

Postquam superiora excusa fuissent; incidi in S. Leonis Magni sacramentarium a Blanchino editum: ex quo praestabit haec quae sequuntur ad sua loca referre.

Pag. 725. col. 2. versu 22. post numerum IV. *sic adde*. Nec illud de nihilo est, quod in Magni Leonis Sacramentario, quem Blanchinus evulgavit, in Natali horum martyrum pag. XX. haec praefatio legitur. *Vere dignum. Quamvis enim tuorum merita pretiosa justorum, quocumq. fideliter invocentur, in tua sint virtute praesentia; potenter tamen nobis tua clementia contulisti, ut non solum passionibus martyrum gloriosis urbis istius ambitum coronares, sed etiam in ipsis visceribus civitatis sancti Joannis & Pauli victricia membra reconderes, ut interius exteriusq. cernentibus, & exemplum piae confessionis occurreret, & magnificae benedictionis non deesset auxilium. per.* Ex quibus profecto verbis hoc habuisse singulare hodiernos duoviros, dicimus, quod dum ceterorum exuviae extra urbis moenia sepulta passim colerentur (nec enim alibi mortuos quam extra urbem tumulari, leges Romanae olim patiebantur) interim *in ipsis visceribus civitatis Sancti Joannis & Pauli victricia membra* recondità visebantur, quippe quae jam ab initio Terentianus campidoctor in suamet ipsorum domo in fovea in id parata clam consepeliri fecit. Vbi quoque postea exstructo Martyrio sacra lipsana venerationi fuerunt. V. Postremo & illud &c.

Pag. 727. col. 2. post versum 28. adde. Haec jam scripseram quum in Missam bene longam horum Martyrum incidi, quae in S. Leonis M. sacramentario (quem e codice Veronensi Blanchinus eruit) in eorum Natali reperitur, utramque paginam implens. In qua quidem tota Missa de Joannis & Pauli germanitate nullum usquam vestigium, nulla usquam ad id sanguinis vinculum allusio. Ex quo satis manifeste elicitur, sub Leone Magno (qui octogesimo post horum pugilum victoriam, cathedram Romanam iniit) eorum fraternitatem fuisse ignoratam. Accedit quod in eadem Missa Oratio illa, quam ex Gelasiano sacramentario proxime descripsimus, eisdem prorsus verbis legitur: in cujus fine illud VERE, ut in Gelasiano, abest: *Quos eadem fides & passio fecit esse germanos*. Atqui hic locus carnalis germanitatis inculcandae erat, si quidem re vera fratres fuissent. Et tamen ita spiritualis fraternitas (quae ex fidei & passionis consortio exsistit) eis asse-

(538) Superlativa *Christianissimus*, & ejus contrarium *Paganissimus* hujus aevi scriptoribus in deliciis erant.

(539) De ritu dandi nomina ad baptismum plura adnotavimus ad acta S. Sebastiani die XVIII. Junii.

(540) Nempe sequentis anni 363. Vnde Terentiani martyrium (cujus tantum codex Corbejensis meminit) paullo post ejus baptismum factum est, ac paullo ante Juliani necem, quae die 26. Junii ejusdem anni contigit. Nec Terentiani campidoctoris martyrium difficile ad credendum est; maxime quum anno 363. Apronianus Christianis infestissimus urbi praefectus fuerit.

(541) In omnibus aliis (ut alibi notavimus) Terentianus ipse scripsisse narratur his verbis, quae in Olivetano recentiore, & alibi reperiuntur: *Et ab ipso Terentiano descripta est passio ista sanctorum, ad laudem* &c. Tantum in Corbejensi, in nostro Olivetano vetustiore, & eo quem Papebrochius *Majus nostrum* vocare assolet (quod passim antiquiori Olivetano consonum reperio) Terentianus *retulisse*, non scripsisse res gestas dicitur.

asseritur, ut simul hoc ipso haud obscure carnalis denegetur. Ex his etiam id quod proxime monui (videri nim. hanc Gelasiani codicis orationem Leonis stylum redolere) verissimum deprehenditur. Aut si Leo ejus auctor non fuit, alius certe antiquior fuit.

Jam vero in iis totius superioris commentationis locis, in quibus Gelasiani Sacramentarii de germanitate silentium inculcatur, lector de suo Leonem Magnum, haud paullo scil. Gelasio antiquiorem, adjiciet.

Postremo ex quadam scheda, quae interim deperierat, nec nisi post excusa omnia tandem emersit, haec etiam quae sequuntur, suis quaeque locis attribuantur.

Pag. 742. *col.* 2. *ver.* 21. *post* notum est *adde.* Vide prae ceteris Socratem. III.13. post medium.

Ibidem col. 2. *ver.* 30. *post* abhorret *adde.* Quo illud pertinet, quod epist.43. ad Hecebolum de Christianis Arianis Edessae statuit his verbis. *Quare quod ipsis* (Christianis) *a lege admirabili* (Evangelica) *imperatum est, quo facilius ad regnum caelorum perveniant, nos ad id hominibus opem tulimus, eorumque pecunias omnes ab Edessena ecclesia tolli jussimus, militibus dividendas, possessiones autem nostris privatis rationibus attribui: quo illi pauperes effecti sapiant, nec regno caelesti, ad quod aspirant, priventur.* Eodem & illa maligna Christiani dogmatis interpretatio referri potest, qua apud Socratem III. 13. utebatur, ut rationem redderet, cur Christianos a regendis provinciis abstinuisset. *Quippe, ajebat, lex ipsorum gladio uti vetat adversus eos, qui capitale supplicium commeriti fuerint.*

Pag. 744. *col.* 2. *ver.* 5. *post* jussit *adde.* Ceterum ex Nanzianzeni in Julianum orationum pluribus locis patet, illum & *Martyrum* titulum pro Christo occumbentibus invidisse, ac propterea cavisse ut per criminum falso imputatorum speciem necarentur.

XXVII P S I R I N I

ADMONITIO.

DIe XXVII. Aprilis eadem prorsus annuntiatio, quae hodie, fuit; nam ibi legitur: P S IRINV (542) MAR: quo die huc lectorem distulimus edocendum, utrum duo distincti habendi essent *Irini martyres*, an vero unus idemq. bis cultus. Verum si quidem alterutro die nota N. (h.e. *natalis*: quae nota diebus etiam non suis praeponitur) inscriberetur; possent haud absurde pro uno haberi caelicola. Nunc vero quum utrobique P. (h. e. *passionis* nota) praescribatur, nec unus idemque diversis diebus potuerit profundere sanguinem; cui dubium esse potest, quin duo prorsus diversi martyres fuerint?

Sequitur ut de nomine (quod certe inauditum est, de nullo non modo martyre, sed ne homine quidem, quod sciam usurpatum) si quo modo in viam reduci possit, videamus. Ac primum secunda ejus nominis vocalis est loco E longi Graecorum; nam *Eta* Graecanium ab tertio usque saeculo coepisse ut I efferri, ex innumeris scriptis lapidibus colligo, iis inquam, in quibus Graecae inscriptiones litteris Latialibus perscribuntur. In quibus saepe saepius animadverti, Graeco *Eta* Latinum I respondere. Vel sic tamen IRENVS nullus reperietur. Atqui hoc etiam passim adnotatum fuit, nomina propria derivativa cum suis primitivis, maxime aevo medio, alternasse. Qua ratione utriusque diei IRENVS haud profecto alius est quã IRENAEVS, ab εἰρήνη h. e. *pace* deductum nomen.

Et hodiernus praecipue sine controversia ille est celeberrimus Lugdunensium antistes Irenaeus S. Polycarpi discipulus; quippe quum is ab omnibus Latinis crastino die colatur. At Neapolitani, apud quos

(542) IRINV genitivus Graecus est: quem casum Graecanicum vulgus Neapolitanum IX. saeculo frequenter Latino sermoni miscuisse, hoc marmor pluribus locis edocet.

quos dies craſtinus S. Leoni aſſignatus erat, uno die anteceperunt hoc feſtum: & tamen ei non male *Paſſionis* notam praefixerunt, rati forſitan diem hodiernum mortis, craſtinum ſepulturae fuiſſe. Vtrumque vero *paſſionis* nota ab antiquis notari conſueviſſe, haud ſemel animadvertimus.

Reſtat dignoſcendus is, qui in his marmoreis tabulis die XXVII. Aprilis ſignatus fuit. Qui certe alius nequit eſſe ab illo celebratiſſimo *Irenaeo* epiſcopo *Sirmienſi*, quem Diocletiani perſecutio ſuſtulit. Cur autem ejus dies paſſionis paullulum variet, mox in loco videbimus.

Interim quod nobis caſu accidit, ut hoſce duos Irenaeos uno die conjungeremus, id jam antea Graeci fecerant: qui in ſuis eccleſiaſticis libris; non hoc ſed die 23. Auguſti utrumque Irenaeum colunt: & ex Menaeis quidem ſatis conſtat, eos non dedita opera de utroque egiſſe, ſed de Sirmienſi primario (quippe quem eo die ſublatum credunt) de quo totum ejus diei officium eſt, de Lugdunenſi vero ſecundario, & ex occaſione tantum Irenaei Sirmienſis: Hinc in Menaeis (in quibus plurimus eſt de Sirmienſi ſermo, ut ante diximus) commemoratio tantum Lugdunenſis fit, cujus & hiſtoricum elogium ſubditur. Sed & in Baſilii menologio eodem die 23. Auguſti utriuſque Irenaei ex aequo encomium pertexitur, prius quidem de Sirmienſi (utpote ex Graecorum opinione eo die paſſo) poſterius de Lugdunenſi, ut quem non niſi ex alterius occaſione ei diei affixum apparet. Haec autem Menologii elogia duo huc adſcribenda putavi, non tantum quia a Bollandiſtis omiſſa, verum etiam, ut ex iis ſpecimen ſaltem aliquod eorum hiſtoriae ſuppeditetur, haud dubie lectori, quo dicenda melius percipiat, profuturum. Itaque poſt alia plura ſanctorum diei 23. Auguſti encomia, Sirmienſis Irenaei elogium ejuſmodi ſequitur.

Καὶ ἄθλησις &c. *Et certamen Sancti Hieromartyris Irenaei epiſcopi* (Σίρμου) *Sirmii. Hieromartyr Chriſti Irenaeus ſub Diocletiani imperio fuit. Qui quum ad ſe ventitantes verbum veritatis edoceret, deque Chriſto palam praeconium faceret, ab idolorum cultoribus apud Probum Praeſidem provinciae*(Pannoniae inferioris) *delatus eſt: cui prehenſus, & vinctus catenis ſiſtitur. Ab eo quum de nomine, fortuna, patria, religione, vitaeque inſtituto eſſet interrogatus; ad ſingula, de quibus quaerebatur, non aliud quam ſe ſervum Jeſu Chriſti confeſſus eſt. Quamobrem acriter verberatus, in cuſtodiam truditur: in qua vehementer vexatus eſt; quippe juſſis cuſtodibus non modo caute illum ſervare, ſed neminem prorſus admittere, ſive qui curam ejus ageret, ſive qui ad victum neceſſaria ſubminiſtraret. Tandem poſt plures dies e cuſtodia eductus, quum iterum, ut abnegaret Chriſtum & idolis ſacrificaret, urgeretur, nec morem gereret, ſaeviſſime excruciatur. Poſtremo accepta capitali ſententia, caput ei gladio amputatur.*

Statim poſt Sirmienſem, de Lugdunenſi ſic ſequitur. *Et certamen Sancti Hieromartyris Irenaei. Hic* (alter Irenaeus) *ſub Marci &* [543] *Antonini imperio*

(543) Videtur, inducta conjunctione καὶ, legendum ἐπὶ βασιλείας Μάρκου Ἀντωνίνου, *ſub M. Antonini imperio*. Nam ejus collegam *L. Aurelium Verum* tametſi unum ex Antoninis fuiſſe, ſatis aperte tradit Spartianus in Aelio vero cap. V. extremo, & Aelius Lampridius in Diadumeno cap. VI. [ex quibus conſtat Marcum & L. Verum ex aequo ambos *Antoninos* fuiſſe poſt adoptionem vocatos] tamen id nomen poſtea plerumque in nummis & alibi fuit veluti peculiare Marci, Lucio autem vix tribuebatur. Multo vero minus *Sub Marco & Antonino* [διακριτικῶς] dici decuit, quaſi Marcus non etiam, & quidem potiore jure, *Antoninus* eſſet. At ſi deleto monoſyllabo καὶ, ſcribatur, *ſub* [Μάρκου Ἀντωνίνου] *M. Antonini imperio*, res pulchre habebit; nam quod ejus collega Lucius ſaepe ne nominaretur quidem, id ejus inaudita ſocordia faciebat, ut ad acta S. Juſtini monui.

perio floruit, ille [544] *Priscus scilicet, & Apostolorum successor* (*) *appellatus; & in urbe Lugduno terrae Galliae episcopatu functus. Is plures libros a se conscriptos reliquit ecclesiis, quibus orthodoxa Fides mirifice confirmatur: ex quibus haud dubie qui sunt postea consecuti* (τὰς ἀφορμὰς) *argumenta ac materiem ad interpretandas Divinas Scripturas mutuati, eas postmodum orbi universo explicatas dederunt. Quum ergo virtute atque arcana scientia mire excelleret; post Pothini episcopi* (Lugdunensis) *pro Christo certamen & beatum finem, suprascriptae urbis episcopus ordinatur. Quumque plurimos infidelium praedicatione ac doctrina ab impietate avocatos, Christi martyres effecisset; tandem & ipse a persecutoribus tentus, & gladio consummatus, ad Deum, paratum sibi ab eo regnum recepturus, emigravit.*

Nunc de utroque Irenaeo sigillatim spicilegium aliquod subjiciamus.

PARS PRIOR

De S. Irenaeo Sirmiensi, qui in Fastis Neapolitanis die XXVII. Aprilis signatur, ab aliis vero sive die XXV. Martii, sive VI. Aprilis.

§. I. *Graece ne primum an Latine acta S. Irenaei scripta fuerint.*

Sincera hujus hieromartyris acta Latina dederunt Bollandiani socii die XXV Martii, mox eadem emendatiora Ruinartus exhibuit: Graeca vero ad calcem tomi tertii Martii Bollandiani reperire licet. Nunc scire interest, utro primitus idiomate scripta prodierint. Tillemontius in hoc Martyre Nota I. Graece primum scripta putavit; Latina vero acta merum esse ex Graeco interpretamentum credidit. Ibid. Not. V. idem de actis S. Sereni hortulani apud Sirmium necati censet; & Not. II. idem quoque fert judicium de S. Pollionis Cibalis in Pannonia eodem tempore interfecti historia.

Verum de his omnibus idem hoc esto judicium, ea non nisi Latine primitus scripta fuisse. Res enim sic se habet. In Pannonia inferiore (cujus Sirmium metropolis fuit: nec longe a Sirmio Cibalae sitae erant) numquam Graecum sermonem fuisse usurpatum, res certa est. Tametsi vero nativus Pannoniarum sermo haud dubie barbarus erat, isque Illyricae opinor linguae propago; tamen eo tractu (tertio maxime & IV. saeculo) Latinum sermonem fuisse prope vulgarem, nemo quod sciam dubitavit. Ob id nullum in tota Pannonia Graecum loci nomen antiquum legitur: quae nomina per omnes Graeci oris regiones usitatissima fuisse compertum est. Itaq. quum Latinam maxime linguam Pannoniae usurparent; quid esse causae potuit, cur acta praesidialia Graece scriberentur, aut vero cur Sirmienses et Cibalitani gesta horum martyrum ex actis judicialibus hausta Graeco sermone pertexerent?

Exstat sane ad finẽ tomi tertii Martii Bollan-

(544) Antiquum hoc sane Lugdunensis Irenaei epitheton διακριτικόν. In Graeco hoc sic concipitur, ἀρχαῖος ἀνήρ, *vir antiquus*. Sic illos Graeci vocant, qui Apostolorum successores fuerunt, aut eorum aetati succreverunt. Sic Hegesippus a Stephano Gobaro [in Photio cod. 232.] dicitur, ἀρχαῖός τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός, *vir antiquus & apostolicus*: qui ab Eusebio pertinuisse dicitur *ad* [πρώτην διαδοχὴν] *primam successionem Apostolorum*. Quantum vero ex Epiphanio discere potui, ἀρχαίου vox de Irenaeo hoc διακριτικῶς usurpabatur, ut ab aliis Irenaeis pluribus discerneretur. Nam haer. 31. cap. 8. eximium hujus fragmentum producturus, παρὰ τῷ ἁγιωτάτῳ Εἰρηναίῳ ΤΩ ΑΡΧΑΙΩ, *A sanctissimo Irenaeo Antiquo* (sive potius *Prisco*: sicuti Tarquinius ead. notione *Priscus* vocabatur) *elucubratam disputationem* adversus Valentinum dicit. At ἀρχαίου vocem Petavius in sua interpretatione omisit: sicuti nec recte idem initio cap. 33. ubi idem Irenaeus ἀνὴρ πρεσβύτης nuncupatur, vertit, *Ille senex Irenaeus*. Mallem *Priscus Irenaeus*.

(*) Graece χρηματίσας h. e. *nuncupatus*: quo temperamento significatur, eum proximum Apostolorum successorem non fuisse, sed ita vulgo appellatum. Quo etiam illud spectat, quod S. Maximus apud Guilelmum Cave hunc Irenaeum (cujus novum fragmentum profert) S. Ioannis Apostoli *discipulum* nuncupat: improprie scilicet. Fuit enim Polycarpi discipulus, qui Joannis exstiterat.

landiani de hoc S. Irenaeo Graeca lucubratio ex codice Regio eruta, haud vulgari illa quidem, quantum de his judicare valeo, Graeci sermonis nitore perscripta, sed tamen elogii potius elegantiam, quam actorum simplicitatem referens. Quumque in aliquibus inter utrumque scriptum (tum Latinum scil. a Ruinarto editum, tum Graecum, de quo supra) haud parum [545] discrepet; nemo animum inducet, alterutrum alterius interpretamentum credere, aut utrumvis saltem alteri praeluxisse. Quin potius sic censeo, Latina, quae nunc exstant, Sirmii scripta fuisse, atque ex Latinis actis judicialibus (addito tamen prooemio & aliquot additamentis) petita fuisse; Graecum autem Regii codicis elogium satis breve, ex longiore alio Graeco scripto fuisse contractum. Scimus hunc martyrem non minus apud Graecos quam apud Latinos culturae celebritatem adeptum, idq. facile ab eo maxime tempore postquam Sirmium sub posterioribus imperatoribus Illyrici [546] metropolis evasit. Hinc Graeci aeque ac Latini suas de eo habuere narrationes, et, uti fieri solet, inter se paullulum discrepantes.

§. II. *Ad acta Latina ab Ruinarto edita cum Graecis collata pauculae adnotationes. Annus martyrii demonstratur. Acta Graeca emaculantur. Irenaei utriusque mansuetudo & pacis studium, cui fuere cognomines, ab antiquis laudatum. Probus, Irenaei judex, ecquis fuerit. De Pannoniis duabus, postea in unam coalescentibus. Graecis* παννονία *&* παιονία *vocatur. De Romanorum judiciis media nocte exercitis.* Parentes *pro* Propinquis. Ἔναυλος *quid. Gladius mors maxime legitima martyrum. BASENTIS nomen fuisse Dianae Pannoniorum, hinc & ex lapide Romano ostenditur.* Πλήρωμα *in ecclesiis quid. Hanc Irenaei historiam non ante IV. jam vergens saeculum ex actis praesidialibus fuisse contextam, ex haud obscuro indicio detegitur. Quandonam Graeci primum de contexendis Irenaei actis solliciti fuisse videantur. Alia quaedam.*

Ante omnia lectorem moneo, me in actorum locis citandis, Ruinarti, qui ad omnium manus est, sectiones sequi.

Sectio I. sic incipit: *Cum esset persecutio sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, quando diversis agonibus concertantes Christiani &c. . . . factum est circa famulum Dei Irenaeum* &c. Quod in adnotatis ad Acta sincera S. Januarii Mart. (pag. 270. Adnot. 7.) ostendi ex Eusebio, biennalem Italiae persecutionem Diocletianeam a Februario anni 303. exorsam, in exeuntem Aprilem anni 305. desivisse (nec enim ultra Aprilem extendi potest, quia Kal. Maii anni 305. Diocletianus & Maximianus se abdicarunt) id de finitimis Italiae Pannoniis etiam debet intelligi. At S. Irenaei passio (ut & Pollionis: ex cujus peculiaribus actis apud Ruinartum sect. I. constat S. Pollionem paullo post S. Irenaeum fuisse interemptum) in priorem persecutionis annum 303. incidere non potuit ob eas rationes, quas Tillemontius Not. 2. in S. Irenaeum pro-

(545) Eas discrepantias, qui utrumque scriptum inter se conferent, facile ipsi per se notabunt: quarum etiam unam aut alteram §. 2. in animadversis ad acta Latina lector inveniet.

(546) Sub superioribus Caesaribus Sirmium non nisi inferioris Pannoniae caput esse potuit, quum superior ab inferiore dispertita esset provincia. Sub Diocletiano an eadem dispositio fuerit, haud queo dicere, maxime quum in actis Latinis *Pannoniae*, sine additione *Inferioris*, ut infra observabo, mentio fiat. Quo tempore si utraeque Pannoniae coaluerunt in unam provinciam; haud dubie Sirmium utriusque evasit metropolis. At sub secutis tandem imperatoribus Sirmium totius Illyrici [cujus tunc ambitu tum Pannoniae cum aliis ad Danubium provinciis, tum etiam Macedonia atque Graecia continebantur] metropolis facta est. Id postquam accidit, tunc primum credo Graecos, propter urbis metropoleos reverentiam, Irenaei Sirmiensis colendi studio inflammatos, ejus monumenta conquisivisse, & Graecam ejusdem historiam composuisse, ex qua breve istud Regii codicis encomium postea manavit.

protulit. Ex quo ſequitur, Irenaeum & Pollionem (ſi quidem ambo menſe Aprile objerunt) aeque anno 304. ac 305. interfici potuiſſe. Verum multo facilius utrumque martyrium in annum 304. (quo saevior procella fuit) quam in Aprilem anni 305. (quo defervere aliquantulum coeperat) conferetur. Id quidem recitata verba ſignificant. At vero eas rationes acta Graeca Regii codicis turbant, in quibus ſic tempus conſignatur: ἐπὶ Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ καὶ Κωνσταντίου τῶν βασιλέων, *Sub Diocletiano & Maximiano & Conſtantio* (Chloro) *imperatoribus*. Atqui nullum prorſus extitit tempus, quo Conſtantius ſeniorum principum illorum collega eſſet; quia nonniſi ſenioribus abdicantibus ſimul juniores Conſtantius atque Galerius imperatores ſunt appellati. Itaque ſive videtur illud Κωνσταντίου prorſus inducendum, ſive voci βασιλέων poſtponendum hoc modo: ἐπὶ Διοκλ. καὶ Μαξ. βασιλέων, καὶ Κωνσταντίου Καίσαρος, *Sub Dioclet. & Maxim. Imperatoribus & Conſtantio Caeſare*. Niſi mavis etiam Galerium Maximianum addere hoc modo, *Et Conſtantio & Maximiano Caeſaribus*. Tametſi Galerius omitti facilius potuit, ut qui Orientis partes curabat.

Ibid. in fine de Irenaeo ſic ſcribitur: *Qui pro MODESTIA ſua ingenita* (*modeſtiae* nomine ἐπιεικείαν intelligit, ad quam Graeca acta nomen *Irenaei* (h. e. *pacifici*) referunt: at ἐπιεικεία Latine modo *manſuetudo*, quae heic locum habet, modo *modeſtia*, vox generalior, redditur) . . . *dignus nominis ſui inventus eſt*. Ab hoc ipſo manſuetudinis elogio exordium faciunt alia quaedam Ambroſiani codicis acta brevia, quae, apud Bollandiſtas n. 3. ſic incipiunt: Τὸν τῆς εἰρήνης ἐπώνυμον ... Εἰρηναῖον τὸν μέγαν, *Hunc paci cognominem . . . Magnum Irenaeum* &c. At Graeca Regii cod. quae toties laudavimus, id ipſum pluribus hiſce exprimunt verbis. Sect. I. τοῖς ἔργοις κυρῶν τὴν προσηγορίαν, *rebus ipſis* (Irenaei) *appellationem comprobans*. Ac felicius id alii uno hoc verbo ſignificant, φερώνυμος, h. e. *nomini ſuo reſpondens*. Ea voce Euſebius tum in aliis ſaepiſſime utitur, tũ de S. Irenaeo Lugdunenſi eo loco, ubi ne paſchatis controverſia pacem eccleſiaſticam ſcinderet, ſerio laboravit. Καὶ ὁ μὲν Εἰρηναῖος (Caeſarienſis ait lib. quinti extremo cap. 24.) φερώνυμός τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ, αὐτῷ τε τῷ τρόπῳ εἰρηνοποιὸς &c. *Atque Irenaeus quidem nomini ſuo vere reſpondens, nec tantum nomine, ſed etiam moribus vitaeque propoſito pacificus, pro eccleſiarum pace haec monuit & allegavit*. Voce εἰρηναῖος pro *pacificus* Thucydides utitur: pro quo ceteris εἰρηνικός aut εἰρηνοποιός uſitatius fuit.

Sect. II. initio: *Comprehenſus itaque* (Irenaeus) *oblatus eſt Probo praeſidi*: haud alteri prorſus ab eo, qui in eadem Pannonia S. Pollionem Cibalenſem morte damnavit, ut ex S. Pollionis actis apud Ruinartum conſtat. *Probi* nomen, utpote boni ominis, ipſo etiam Probi Imp. aevo uſitatiſſimum erat, quod ex eo patet, quod in Probi exercitu quatuor cognomines milites inventi ſunt, uti ex pulcherrima Vopiſci (in Probo cap. 8.) narratione conſtat. At poſt Probi Imp. clariſſimi tempora (qui ut obiter dicam, in hac Sirmienſi civitate natus & occiſus fuit) plurimi illuſtres viri ejus nominis claruerunt: quod ex Cod. Theod. conſtat. Hic autem de quo agitur, is eſſe potuit, ad quem dirigitur Conſtantini lex I. Cod. Theod. *Ad ſenatuſconſultum Claudianum*, quae lex in annum 314. incurrit. Ad eumdem etiam miſſa videtur ejuſdem Conſtantini lex 3. Cod. Juſtinianei *de ſervis fugitivis*. Ad eumdem facile Probum erant quatuor epiſtolarum libri a Lactantio ſcriptarum, quarum meminit Hieronymus de viris illuſtr. & in praefat. lib. 2. in epiſt. ad Gal.

Statim ſequitur: *Praeſidi Pannoniae*. Sirmium inferioris Pannoniae metropolis erat. Et olim quidem duabus Pannoniis duo diverſi rectores praeerant, quod ex pluribus marmoribus conſtat, in quibus Inferioris praeſes, *Legatus Caeſa-*

Caesaris pro praetore Pannoniae inferioris inscribitur. Quum ergo heic non adjectum sit *Inferioris*; ex eo alterutrum potest intelligi, sive sub Diocletiano Pannonias in unam provinciam coaluisse, sive id postea factum. Vtcumque est: is qui ex actis judicialibus hanc historiam contexuit, ideo videtur *Pannoniam* absolute dixisse, quia suo tempore Pannonia una, non duplex erat. Sic etiam in Graecis actis sect.3. τῆς Παννονίας (*Pannoniae*, sine ulla adjectione) ἡγεμόνι Πρόβῳ. Qui encomiastes Παννονίαν Latinorum more usurpavit, in eo secutus non tantum Strabonem, Ptolemaeum, sed & Cassium Dionem, qui sic scribi, id nomen jubet, eos reprehendens, qui παιονίαν appellant; quia Paeonia pars est Macedoniae. Tamen Παιονίας & παιόνων nomen familiare gravissimis scriptoribus fuit, Plutarcho in Pompeio, Herodiano, Zosimo, & aliis. Haec eo notavi, ne Bollando aut ejus sociis acquiescas (in Comm. praevio ad hunc martyrem num. 2.) adnotantibus, perperam in Graecorum Officiorum elogiis hujus athletae palaestram assignari παιονίαν [*Paeoniam*] quum tamen *Pannonia* fuerit. Ibid. v. 9. *Praeses jussit eum vexari; cumque acerbissime vexaretur* &c. Consentit Basilii menologium, in quo statim post interrogationem τυφθεὶς σφοδρῶς, *verberatus acriter* dicitur, ac tum demum in custodiam inclusus: Et tamen ab hoc Graeca acta diversa abeunt; in quibus post primam statim interrogationem scribitur, τότε ἀνελήφθη εἰς τὸ δεσμωτήριον, *tunc assumitur in custodiam*.

Sect. IV. initio. *Quodam autem tempore MEDIA NOCTE, residente pro tribunali praeside Probo, introductus est iterum... Irenaeus*. Illud *Media nocte* etiam Graeca acta expresserunt, in quibus totidem verbis legitur: Μέσης νυκτὸς προκαθίσαντος τοῦ ἡγεμόνος. Vbi in verbo προκαθίσαντος praepositio πρὸ eleganter totam vim Latinae formulae *Pro tribunali* supplet. Sane vero quod *nocte media* Romanus praeses ad exercendas quaestiones sederit, mirandum id quidem est, sed tamen exemplo non caret. In actis SS.Petri & Marcellini, quae nos postrid. Kal. Junii illustravimus, sectio quinta sic incipit: *Posthaec commentarienses miserunt ad Artemium carcerarium, ut NOCTV praesto esset cum personis, quae erant in carcere*. Mox: *Cum ergo PRIMO PVLLORVM CANTV sederet Serenus vicarius*. Vbi *primus pullorum cantus* est gallicinium prius, quod in mediam noctem incidit. Tametsi olim, quum in recitata verba commentarer, ea de gallicinio posteriore paullo ante lucem edi solito accepi, ex eo quia posterius hoc gallicinium κατ' ἐξοχὴν nomen generis obtinebat. Et potuit tunc quidem haud absurde hoc defendi, ita ut illud PRIMO non ordinale sit, & anterius gallicinium notans, sed initium ipsum gallicinii designet, ut quum dicitur *Vere primo*, & similia. Hoc inquam defendi tamdiu poterat, donec exempla judicantium de nocte media depromerentur. Nunc autem doctior hoc exemplo Probi *Media nocte* pro tribunali residentis factus, ipse me revoco; & etiam in Actis Petri & Marcellini media nocte [*primo* inquit, h. e. priore *pullorum cantu*] Serenum sedisse censeo.

Ibid. v. 15. Irenaeus rationem, cur se *uxorem*, *filios parentes* habere negasset, hanc affert: *Praeceptum est Domini... Qui diligit patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut fratres, aut parentes super me, non est me dignus*. Sumptum est ex duobus parallelis locis Matt. X.37. Luc. XIV. 26. Nam ex vulgatis jam Tatiani & Ammonii Evangelicis Harmoniis jamdudum Christiani didicerant unum locum ex altero commode supplere; ut heic in Matthaei locum ex Luca *Uxorem* opportune arcessivit.

At, inquis, illud *Parentes* superfluum est quia jam utrumq. genitorum nominaverat. Minime superfluum est: quia vox illa non γονεῖς (*genitores*) sed quoslibet generaliter propinquos designat; quomodo & Itali vocem *Parenti* e *Parentato*

tato uſurpant. Id vero jam pridem Tertullianus, & uterq. Codex, itemq. Hieronymus (qui *militari vulgarique* ſermoni eam notionem tribuit) ſcriptores Hiſtoriae Auguſtae aliique in uſum adhibuerunt. Nec illud te conturbet, quod in utroque Evangelio nihil prorſus de propinquitate legitur; nam heic martyr ad mentem potius quam verba evangelicae ſententiae attendit; nec dubium eſt, quin qui artiſſime conjunctorum, & genitorum, filiorum &c. amori renuntiari jubet, multo magis id de laxiore nexu propinquitatis intelligat. Hanc autem *parentum* vocem idcirco Martyr addidit, ut praeſidi per omnia ſatisfaceret, ſigillatim, num *uxorem*, num *filios*, num *parentes* (h. e. propinquos) haberet, percontato. Sed ad Graeca acta venio, ubi ſect. 3. negante Irenaeo ſe filios, aut genitores habere, hanc hiſtoriographus affert cauſam: *Hoc autem* dixit [τὴν τῦ Κυρίυ ἐντολὴν ΕΝΑΥΛΟΝ ἔχων] *quod Domini praeceptionem tamquam adhuc INSUSURRANTEM* (auribus) *haberet: Qui diligit patrem aut matrem . . . plus me &c.* Ubi illud ΕΝΑΥΛΟΝ, ſi quid aliud, oſtendit, hunc ſcriptorem ſtyli cultioris fuiſſe amantiſſimum. Nec aliud ea vox, quam quod ſum (547) interpretratus ſignificat.

Ad finem ſect. 4. Martyr intellecta ſententia, qua vivus in flumen projiciendus erat, ſic expoſtulat: *Exſpectabam*, ut poſt tot cruciatus *me ferro ſubjiceres: tu autem nihil horum intuliſti*. Eadem diverſis verbis & Graece leguntur. Nimirum enim, quantum potui animadvertere, gladius potiſſimum pro legitima morte habebatur. Quam opinionem etiam id fovebat, quod ſaepe martyres ex naufragio, beſtiis, flamma aliiſque mortium generibus divina virtute liberi evadebant; at ex jugulatione, quod ſciam equidem, numquam. Id quoque notandum, quod praeſide jubente [initio ſect. 5. *eum etiam gladio percuti*, Irenaeus TAMQUAM SECUNDAM PALMAM (legitimam ſcil.) *accipiens Deo gratias agebat*.

Sect. V. v. 6. *Et cum veniſſet ad pontem qui vocatur Baſentis*. Praeter Michaelinum codicem, in quo is pons *Baſartas* dicitur, in ceteris omnibus *Baſentis* nominatur. Quumque viciſſim in Graecis actis idem pons Ἀρτεμις (h. e. *Diana*) nuncupetur; inceſſit haud levis ſuſpicio, nomen *Baſentis* ſermone Pannoniorum vernaculo *Dianam* ſignificaſſe. Nec vana forſitan ſuſpicio fuit. Dum enim id ago, incidi in Romanam corruptiſſimam inſcriptionem, quam affert Muratorius pag. 544. num. 2. Ea ſic exhibetur:

COLLEGIUM
DIANAE . BAT
PEENTIBVS
IMAGINVM
STATIO . V

Sed quamvis mendoſiſſimam eſſe conſtet: tamen quod poſt DIANAE eodem & ſequenti verſu ſequitur, non alio quam ad aliquod Dianae cognomen eſſe referendum, in marmorum verſati ſtudio minime dubitabunt. Ceteroqui corruptae ſcripturae veſtigia ſatis proxime ad BASENTIS accedunt. Is lapis in vinea Sebaſtiani Lazzarini JCti extra Romam fuiſſe dicitur. Itaq. Romani ἀρχαιολόγοι viderint, quaenam lectio ex eo lapide haud dubie detrito, collatis his actis (in quibus Ἀρτεμις *Diana* vocatur BASENTIS) extundi poſſit; ex qua ſcil. tum marmor, tum etiam hic actorum locus emendatiora fiant. Nec enim dubito, quin eo lapide Diana Pannoniorum contineatur, cujus nomen a Pannoniis uſurpatum, apud Romanos, pro more ſexcentarum ſimilium inſcriptionum, in cognomen deae tranſiit.

(547) Adjectivum ἔναυλος, ab αὐλὸς, *tibia* deductum, id notat primario, quod ad tibiam canitur; ſed translate id omne ſignificat, quo [ſicuti poſt tibiarum cantum uſuvenit] adhuc aures perſonant. Nec tantum de cantionibus, ſed quavis re alia uſurpatur. Sic ἐναύλυς λόγυς Euſtathius interpretatur eos, qui adhuc videntur aures percellere. Sic etiam apud Lucianum legitur, *Auditarum rerum ſonus* [ἔναυλος ἐστι] *adhuc auribus inſonans*.

Ibidem ultima Irenaei precatio in Ruinarto & in citatis ab eo MSS. parum fluit: illud praecipue, *Qui propter nomen tuum, & plebem tuam productam de ecclesia tua catholica Sirmiensium haec patior*. In Bollando tamen haec recte habent: *Productus* (istud autem *Productus* ex palaestra, aut ludo gladiatorum sumptum videtur, quasi dicas, *Productus ad certamen ex Ecclesia &c.*) *de eccl. cath. Sirm. mortem subire non recuso*. In Graecis omnia clara sunt, hoc uno excepto quod vox πληρώματος disquisitionem meretur: ὑπὲρ τοῦ λαοῦ σου, καὶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ παντὸς τοῦ πληρώματος αὐτῆς, σοὶ πιστεύων Κύριε, ταῦτα πάσχω. Ubi πλήρωμα cur *Plebem* ecclesiasticam notare putem, inferne (548) videbis expositum. Verte igitur: *Pro populo tuo, & Catholica ecclesia, & omni multitudine ejus, tibi credens Domine, haec patior*. Brevis est fidei professio. Iam vero ad verba Latinae historiae proxime explanata redeo: *Productus de ecclesia CATHOLICA Sirmiensium*. Ubi illud *Catholica* minime otiosum est, ac nisi vehementer fallor, aperte dat intelligere, acta Latina non nisi exeunte IV. saeculo, scripta fuisse. Nam quum Ecclesiam Sirmiensem Photinus & post hunc Germinius Arianus (quorum hic alter in Ariminensi synodo anno 359. damnatus fuit) doctrinis impiis constuprassent; videntur post ea tempora Catholici seorsum ab Arianis suos conventus coegisse. Utut est: certe qui haec acta contexuit, suarum putavit esse partium monere, Irenaeum non ex Ariana aut Photiniana, sed ex catholica Sirmiensium ecclesia ad fundendum pro Christi fide sanguinem fuisse progressum. Id vero quamdiu Sirmiensis cathedra pura ab haeresi fuit, monere non erat opus. Hinc Ambrosius non uno loco monet catholicos, ut ab Illyricis, utpote suspectis Arianismi, caveant. Vide epist. (14) ad Theodos. n.7. Quo circa scriptorem hunc, uti dixi, non ante jam vergens IV. saeculum appulisse animum ad scribendum necesse est: quo tempore cavillari aliquis potuisset, hunc martyrem Ariana aliave contagione infectum ad certamen prosiluisse: quod nequis calumniaretur, idcirco auctor [voculam unam aut alteram Martyris orationi de suo admensus] *de ecclesia catholica* productum dixit. His jam scriptis, animadverti, acta S. Pullionis (quibus haec S. Irenaei σύγχρονα esse, non est dubium) sub Valentiniano I. [h.e. ante ann. 375.] prodiisse. Vide eor. locum §. seq.

Sect. VI. *Agente Probo praeside*: quod rectum est, ac totidem verbis a Petro Equilino ex membranis suis excerptum, ubi de hoc Irenaeo *Agente*, inquit, *Probo praeside Pannoniae*. Idem in S. Pullione sub eodem passo: *Agente praeside Probo*. Ceterum illud quod in Bollando legebatur, *praefecturam agente Probo praeside* (quod jure reprehendit Tillemontius) non ab imperito interprete (uti falso credidit Tillemontius; nam, uti supra ostendimus, haec

(548) Πλήρωμα in re navali id notat, quod Latini *supplementum* vocant, h. e. tum remiges, tum etiam interdum ipsos milites classiarios. Haec quidem notio satis trita est. Sed tamen sicuti supplementum navium Italis *Ciurma* dicitur [quae vox etiam imam plebem designat] sic & apud Graecos πλήρωμα [notione πολιτικῇ sumptum] vulgus civitatis notat; ut apud Aristotelem in IV. Polit. πλήρωμα τῆς πόλεως [*vulgus civitatis*] constituere dicuntur, *textor, agricola, coriarius, aedificator, faber ferrarius, mercator, caupo*: ex quibus sordidis artibus plebs civitatis completur. Id quidem urbium πλήρωμα erat. Jam vero laicae politiae vocabula certum est etiam ad ecclesiam fuisse traducta. Itaque non minus in Ecclesiis, quam in coloniis & municipiis, summa divisio erat in *Ordinem* atque *Plebem*, quorum illud Clerum, hoc laicos notabat. Quocirca πλήρωμα in Ecclesiis plebem ecclesiasticam designabat. Sic πλήρωμα ἐκκλησιαστικὸν apud Chrysostomum in commentar. ad epist. ad Ephes. *multitudinem ecclesiasticam* notat, sive plebem ecclesiae. Idem Hom. 28. in epist. ad Heb. ad illa verba, *Despondi vos uni viro virginem castam: Haec*, inquit, *non ad virgines dixit, sed ad* [πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης] *universae ecclesiae multitudinem: incorrupta enim anima virgo est, etiamsi virum habeat*.

haec acta non ex Graeco fluxerunt, sed Latine primitus scripta sunt) sed ab semidocto descriptore manavit, arbitrato illud *Agente* (*) nude positum ineptum fore, nisi adderetur, quid ageret. Itaque scripsit ,, *Praefecturam agente Probo praeside*. Nec animadvertit longe aliud *praefecturam a praesidatu* esse.

§. III. *Dies passionis*.

Graeci, uti diximus in admonitione praevia, in suis libris liturgicis Irenaeos duos (Sirmiensem & Lugdunensem) die XXIII. Augusti colunt. At in Sirmiensis Graecis actis ad finem scribitur: *Acta sunt haec*(*μηνὶ* Αὐγούστῳ *εἰκάδι πρώτῃ*) *mense Augusto die* XXI. Ad haec in quodam Parisiensium Dominicanorum Synaxario Irenaeus etiam die XXVIII. Augusti celebratur apud Bolland.25.Mart.n. 2.Graeci ergo quum inter se varient,quid mirum si etiam a Latinis diversi abeant?

Nam in Latinis pluribus mrologiis die XXV. Martii signatur. In ejus vero Latinis actis varie dies passionis in calce notatur: in aliquibus VIII. Kal. April. h. e. die XXV. Martii, in aliis VIII. Id. April. i. e. die VI. Aprilis; cui diei Hieronymi mrologium favet.

At vero ab his omnibus inter se variis Fasti Neapolitani discedentes, Irenaei diem passionis diei XXVII. Aprilis affigunt. Nec dubium est quin in eo errare manus scalptoris quiverit,dum alio distractus, notam PAS. pro NAT. signaverit. Eccui nova sunt librariorum & scalptorū *παροράματα*? Potuit hoc inquā accidere; sicuti certum est, in hoc marmor multa irrepsisse menda, dum aliquoties E pro F [ut in EVEEMIA pro EVFEMIA) & alia plura praeter lapicidae mentem sculpta reperiuntur. Id quidem fieri potuit: at revera factum, ac dieXXVII. Aprilis errasse scalptoris dexteram, PAS. pro NAT subrogantis; id vero praestare non possum. Nam quum ita varie hujus martyris dies passionis signatus reperiatur; forsitan Neapolitani, quum ejus diem passionis die XXVII.Aprilis colendum proposuerunt, haud temere id fecerunt, sed in eo codices suos secuti fuerunt ,in quibus ita scriptum reperiebatur. Illud quoque considerandum est,quod ubi actorum scriptor coaetaneus rei gestae non fuit, potuit in signando die certaminis non uno modo falli, sive quod popularem famam in eo signando sequeretur, sive quod diem synaxeos (qui nec semper idem ac mortis obitae fuit, & alibi alius esse potuit) pro die fusi sanguinis haberet; sive postremo quod qui dies actis judicialibus praefigebatur, is quum diem sive prehensionis, sive potius primae interrogationis designaret, tamen pro die exsecutionis ultimae acciperetur. Mitto quod saepe dies sepulturae (haud raro diu dilatae) dies passionis nuncupabatur.

Et haec quidem ad amoliendam hoc die a Neapolitano noni saeculi Clero erroris aut supinitatis labem jam causatus eram (quae nec delere volui) quum tandem veram hodiernae notae PASSIONIS causam deprehendi: quae talis est. Certissimum habeo, sive Neapolitanis acta S. Irenaei Sirmiensis peculiaria (illa scilicet ad quae commentati sumus) ad manus non fuisse, sive ad eorum calcem diem passionis (qui ceteroqui tam diversis modis signatur) non fuisse notatum. Nec minus exploratum mihi est, cosdem Neapolitanos usos fuisse tali aliqua historia, quae plures simul martyres complectebatur, quos una eademque Pannonica persecutio sub Probo praeside de medio sustulit: quos scil.uno eodemq.die junctim colebant.Ac ne lectorem diu morer: acta quae a Neapolitanis terebantur aut eadem prorsus erant, ac *S. Pullionis* sive *Pollionis* historia (ab Henschenio ad 28. April. & ab Ruinarto edita) sive ei simillima. Ei autem historiae scriptor hunc in modum praefatur. *Diocletianus* &c... *Probus praeses imperata sibi persecutione, a clericis sumpsit exordium, & comprehensum S. MONTANVM presbyterum ecclesiae Singidunensis ... jussit* neca-

(*) *Agere* absolute verbum est judiciale. Ovidius. *Fastus erit, per quem lege licebit agi*.

necari. IRENAEVM quoque episcopum Sirmiensis ecclesiae, pro fide & commissae sibi plebis constantia fortiter dimicantem, ad caelestem palmam simili sententia cogit; renuntiantemque idolis & impia praecepta contemnentem, vario tormentorum genere confectum, temporali morti tradidit, in aeternitate victurum. Sed quum in his satiata ejus crudelitas non fuisset; vicinas peragrandas esse credidit civitates; & quum sub specie publicae utilitatis ad urbem Cibalitarum pervenisset(de qua Valentinianus (**) *Christianissimus Imp. oriundus esse cognoscitur; & in qua superiore persecutione EVSEBIVS ejusdem ecclesiae venerandus antistes moriendo pro Christi nomine, de morte, & de diabolo noscitur triumphasse) contigit Domini misericordia providente, ut eodem die comprehensus PVLLIO primicerius Lectorum, fidei ardore notissimus, a ministris crudelitatis ipsius offerretur examini*. Hactenus praefatio. Quae vero (eaque haud multa) sequuntur, peculiariter S.Pullionis passionem describunt.

Horum igitur actorum effigies talis olim legentibus videbatur, ut non tam peculiarem Pullionis historiam [etsi de hoc paullo plura dicerentur] quam martyrum Pannoniorum sub Probo interfectorum syllogen exhibere viderentur. Documento sit Petrus de Natalib. episc. Equilinus, qui hujusmet historiae specimen tale dedit, quasi si ea generalis esset martyrum Pannoniorum (549) narratio.

Haec igitur acta, aut certe horum similia Neapolitani terebant: ex quorum lectione ad hos martyres in commune colendos incensi fuere, h. e. sub *Irenaeo* signifero, [utpote episcopo] etiam *Montanum* presbyterum, *Demetrium* Diaconum [quem ex suis codicib. huic commilitio Equilinus adjunxit] ac tandem *Pullionem* lectorem. Nec te turbet, quod in his fastis die 27.Aprilis unus Irenaeus signetur; quum centies a me animadversum fuerit, sollemne hoc harum ephemeridum auctori fuisse, ut, quoties de pluribus agitur, signato tantum duce, reliquū sociale agmen subaudiri jubeatur.

At cur,inquis,diei XXVII.Aprilis haec festivitas potissimum affixa fuit? Quia in ea, quā diximus, martyrum Pannoniorum sylloge [quae solis tunc Neapolitanis ad manus erat] in fine sic legebatur (sicuti certe in laudatis S.Pullionis actis legitur) *Haec autem acta sunt in civitate Cibalitana die quinto Kalendarum Majarum* [h. e. die 27. Aprilis, licet in mrologiis S.Pullio prave diei sequenti affixus fuerit] *jubentib. Dioclet. & Maxim.* &c. Similia in Equilino adtexuntur. Hinc toti ei comitatui [cujus *Irenaeus* antesignanus] dies 27. Aprilis pro die *passionis* est assignatus; tum quod dies alius non innotuisset nostris, tum etiam quod idem dies etiam S. Eusebii Cibalitani, in superiore passione passi, martyrio celeberrimus erat. Nam praeter ejus mentionem in prooe-

(**) Sub quo haec acta prodierunt. Vide §. praecedentem.

(549) Is quem dixi episcopus Equilinus lib. 4. cap. 94. sic orditur (exscribam autem ex mea editione Veneta principe anni 1500) *Pulio martyr in civitate civilitana* (h. e. Cibalitana) *prior* i. e. (primicerius) *lectorum fuit: de qua quidem urbe valentianus* (Valentinianus) *imperator oriundus extitit: in qua & ipse martyr sub persecutione Diocletiani & maximiani imperatorum martyrium pertulit agente preside probo. Hic enim preses postquam in sivitate firmensi* (frequens in Mss. hoc die erratum pro *Sirmiensi*) *sanctum Hyreneum ejusdem urbis episcopum cum sancto Montano presbytero sueruleum* (sic in meo edito: sed conferatur cum posteriorib. editionib.) *in flumine demergi fecerat. Sanctum quoque demetrium ipsius ecclesie diaconem decollaverat; pervenit ad urbem civilitanam: in qua pridem sanctus Eusebius ipsius civitatis pontifex passus fuerat: fecitque teneri pulionem lectorem: quem Christum constantissime confitentem ac sacrificare nolentem: dicentemque se velle patrum suorum* (Irenaei scil. Montani &c.) *qui pro Christo passi fuerant imitari vestigia flammis jussit exuri; qui passus est V. calen. maii.* Hactenus Petrus. Quem quidem apparet historiam aliquanto diversam ab ea, quam de Pullione Henschenius & Ruinartus dederunt, ob oculos habuisse; uti patet ex DEMETRIO diacono Sirmiensi ead. persecutione sublato, qui illinc abest, & ex aliis levioribus varietatibus.

prooemio factam, etiam in fine [ante modo recitata verba] sic scribitur: *Agonem suum implevit* (S. Pullio) . . . *glorificans Deum, qui ejus venerabilem passionem, sed & sancti episcopi ejusdem civitatis EUSEBII, ante plurimos annos EODEM DIE vita [functi] martyrium praenovit ad caelestem gloriam: quam hodie cum gaudio celebrantes* &c. Hoc igitur die sub Irenaeo duce [cui ducatus deberi visus fuit, quippe Sirmii, tantae metropolis, Episcopo, & apud utramque Ecclesiam celebratissimo] coluntur commilitones quatuor, *Eusebius* Cibalitanus episcopus [*eodem die*, quo Pullio, *sed non eod. anno* passus, uti verbis Hieronymi utar de Cornelio & Cypriano simul eod. die cultis] *Montanus* presbyter, *Demetrius* diaconus, *Pullio* primic. Lectorum. Ultimi vero hujus dies passionis, quippe notus, ceteris omnib. est accommodatus.

Ex hactenus dictis potest intelligi, quanti profecto sit vetera monumenta cum judicio tractare, nec temere antiquos, objectis speciosis difficultatibus, ἀγρασίας in apponendis *Passionis* notis damnare. Nec enim quid illi sint secuti, scire in omnibus datur.

PARS ALTERA
De S. Irenaeo Lugdunensi.

De hujus longe celebrioris Irenaei die Passionis dixi jam in Admonitione praevia. Res vero gestas ex Tertulliano, Eusebio, Hieronymo, Epiphanio & aliis jampridem Baronius, Halloixius, & Ruinartus (in Actis sinceris post Lugdunensium martyrum Acta) breviter collegerant, mox fusius aliquanto & accuratius Tillemontius tom. 3. His adde Papebrochium ad diem crastinum, aliosque viros industrios, qui sunt postea consecuti. Post quorum diligentiam difficile est ἀξιόλογον aliquod spicilegium facere. Itaque iis, quos dixi, doctorum hominum laboribus lectorem contentum esse jubeo. Quod si quis forte a me quoque collectam qualemcumque exigat, quando aliud in praesentia non possum, unam aut alteram heic brevem disquisitionem subjiciam.

CAP. I.
De S. Irenaei actis.

§. I. *An ulla qualiacumque nunc exstent.*

Negant vulgo, usquam exstare ulla. Qui si de editis intelligunt, plane assentior; nec enim Mombritius, Lipomanus, Surius, Ruinartus, Bollandiani, aut quisquam alius ulla dederunt. At acta Irenaei quaedam manu exarata Romae in suae bibliothecae Ms. tomo IX. fuisse, jampridem Baronius ad Mrologium monuerat, id tantum dolens, fuisse illa, *una sublata pagina, imperfecta.*

Ad haec Ruinartus in sua de hoc Lugdunensi Irenaeo sylloge, quam SS. martyribus Lugdunensibus subjecit, in fine sic narrat: *Acta S. Irenaei Lugdun. invenimus in cod. Ms. archicoenobii Cisterciensis, sed quae talia non sunt, ut inter sincera & genuina locum habere debeant. An vero ea ipsa sint, quorum fragmentum se invenisse ait Baronius, divinare non licet.* Atqui si quidem ex principiis actorum reliqua aestimare licet; divinatione nil opus erat. Nam sua sic incepisse ibid. Ruinartus testatur: *Quamquam nullis invicta martyrum virtus possit modis annumerata percurri, quibus possit suppliciorum &c.* Itidem &. suorum Baronius exordium tale assignat: *Quamquam nullis invicta &c.* Sed forsitan Ruinarti circa τὴν ταυτότητα dubitatio inde exorta fuit, quod quae in annalib. Baronius ex actis suis narrare videtur, ea Ruinartus dubitaret utrum in Cisterciensibus reperirentur; nec enim quum quae recitavi scriberet, videtur monumentum illud ad manus habuisse. Caesar autem in annalib. ad ann. 205. n. 28. haec scripsit. *Exciderunt acta passionis ejus* (integra credo intelligit; nam ceteroqui jam antea ad Martyrologium, habuisse se quaedam mutila significaverat) *haec tantum de eo reperimus* (in illis prorsus mutilis actis: nam quae sequuntur, quum nemo scriptorum, quos terimus, dixerit, in illo repererit mutilo commentario necesse est) *nempe ejusmodi sub Severo excitata persecutione, ejusdem imperatoris jussu circum-*

cumdatam militibus Lugdunensium civitatem, omnesque in ea repertos Christianos gladiis obtruncatos; quum praecipue pastor illorum omnium Irenaeus quaesitus est ad necem: quem acerrimis tormentis cruciatum, ac tandem occisum Zacharias presbyter sepelivit. Haec actorum mutilorum summa est ex Baronio: qui statim observat: *Qui enim olim eam Legatus administraverat* [*ut auctor est Spartianus*] *provinciam ipse Severus Imperator, probe noverat Lugdunensis Ecclesiae sub praesule Irenaeo constantiam; & quam sciret non minis flectendam, nec blanditiis molliendam, ferro mox statuit exscindendam, in eam crudelius quam in alias saeviendo*. Qui Cardinalis mox eo propendet, *ipso a se indictae persecutionis initio... in eos* [Lugdunenses] *gladio agi primum omnium praecepisse*. Ita si Baronium sequimur, in annum 202. Irenaei passio erit conferenda: a quo celebriores critici haud magnopere abhorrent. Verum si heic ἐν παρόδῳ (*in transitu*) conjectare de anno licet; fini persecutionis quam initio propiorem tantam Lugdunensium stragem fecerim. Nec enim ullo tempore Severi persecutio remisit, sed ibi saevior haud dubie fuit, ubi Severus praesens adfuit. De Alexandrina Christianorum strage, quam Severus anno 202. praesens incendit, nihil opus est me monere. Quapropter, si vera sunt, quae Baronius ex fragmento suo de internecione tanta jussu Severi facta narrat, quamque Turonensis Gregorius, Ado & Vsuardus confirmant; dicendum erit, id non nisi anno 208. accidisse, quando Severus in Britannias transmissurus, per Gallias transiit. Is omnino annus actis a Baronio excerptis, Turonensi, & martyrologiis multo est conformior. Sed ad actorum, sicubi forte aliqua cuicuimodi sint, notitiam redeo.

Postremo Papebrochius (ad 28. Jun. in comm. historico de S. Irenaeo ad finem num. 5.) sic testatur: *In centenis aliquot passionariis, quae per Galliam, Italiam, Germaniam, Belgiumque evolvimus, nihil invenimus de S. Irenaeo antiquitate aliqua, & modica saltem prolixitate spectabile.* At qualiacumque essent, edere prorsus debuisset. Nam Ruinarto, quod sua non produxerit, venia danda est, quippe in haud dubie genuinis tantum occupato. At a Bollandianis, ubi proba non suppetunt, nullae pro instituti sui ratione sordes respuuntur. Veluti in hoc ipso Irenaeo Papebrochius non dubitavit num. 21. ex duobus opusculis de sex aetatibus mundi exeunte saeculo XV. conscriptis haustas proferre putidissimas fabulas. Itaque quum Bollandianorum factum in tanta de gestis Irenaei inopia probare non possum, tum eos etiam moneo, qui in Baroniana & Ruinartiana, aut alia quaevis inciderint, ne, publica luce indigna causati, emittere foras graventur. Nam in posterioribus etiam & insinceris ejusmodi scriptis plura occurrunt, quae tollere possis, maxime si ad ea excutienda criticum acumen accesserit.

§. II. *An exeunte sexto saeculo acta cuicuimodi exstiterint.*

Plerique omnes negant fuisse in Galliis Italiaque sexto saeculo acta Irenaei usquam reperta, eo fulti argumento, quod Magnus Gregorius [IX. epist. 50. ad Aetherium Viennensem] sedulo perquisita nancisci nequiverit. *GESTA vero vel SCRIPTA B. Irenaei jamdiu est quod sollicite perquisivimus; sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit*. Verum ex eo nihil efficitur: nam ex eo quod scripta aeque ac gesta Romani ac Viennensis Antistitum diligentiam effugerunt; tam in gestis Irenaei quam in scriptis minus quidem felicem eorum curam tunc fuisse ex aequo affirmabimus, at non continuo utrisque orbem Christianum caruisse: imo tam actis verisimiliter non caruisse dicemus, quam scriptis non carebat; etsi utraque rariora essent.

Ceterum quantopere huic argumento, uti vocant, *negativo*, quod ex S. Gregorii Romani loco conficitur, fidendum sit,

ſit, Gregorius alter oſtendet epiſcopus Turonenſis, qui, quo tempore Aetherius & Papa Gregorius quidquam de Irenaei geſtis ſeſe aſſecuturos deſperarunt, apud ſe de Irenaeo ſcriptas narrationes haud dubie aſſervabat: ex quibus certe illa deprompſit, quae in I. Hiſt.Franc. cap.27. hiſce verbis leguntur. *Beatiſſimus vero Irenaeus, hujus* [Pothini] *ſucceſſor martyris, qui a B. Polycarpo ad hanc urbem directus eſt, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis ſpatio, praedicatione ſua maxime, in* [*] *integrum civitatem reddidit Chriſtianam. Sed veniente perſecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum* (Severum forſitan praeſentem intelligit) *exercuit, & tanta ibidem multitudo Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis eſt jugulata, ut per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano, quorum nec numerum nec nomina colligere potuimus; Dominus autem eos in libro vitae conſcripſit. Beatum Irenaeum diverſis in ſua carnifex praeſentia poenis affectum, Chriſto Domino per martyrium dedicavit.* Potuitne tot circumſtantias aliunde Turonenſis, quam ex actis depromere? & quidem, uti mihi perſuadeo, aut iiſdem aut plane ſimilibus iis, quae Baronius ac Ruinartus viderunt. Sicuti & indidem ſua elogia Ado & Vſuardus deprompſerunt, de iis praecipue, quae ad innumerabilem tunc martyrum Lugdunenſium multitudinem pertinent: *Perſecutione Severi* (ambo Martyrologi ajunt) *cum omni fere civitatis ſuae populo, glorioſo coronatur martyrio*. Sed & in Germania IX. ſaeculo acta S. Irenaei fuiſſe arbitror; alioqui undenam illam Angeli confortantis παρουσίαν Rabanus deſumpſiſſet? *Poſt multa* (inquit) *tormenta, inter quae ab Angelo meruit confortari, glorioſam martyrii accepit coronam.* Ex his vides, aevo Turononſis Gregorii, itemque IX. ſaeculo in Galliis & Germania geſta Irenaei exſtitiſſe (& quidem aut eadem aut ſimilia iis quae nunc manu exarata Romae & in Archicoenobio Ciſtercienſi exſtant) haud tamen omni ex parte genuina, quantum quidem ex illa innumerabili occiſorum multitudine (quam recentiores quidam apud Papebrochium in Comm.hiſtorico num.20.ad XIX. millia perveniſſe ajunt) & aliis quibuſdam circumſtantiis conjici poteſt.

De Sepultura S. Irenaei in Crypta Baſilicae S. Joannis Baptiſtae habet plura Gregorius Turonenſis lib. 1. de glor. mart. cap. 50. quae Ado in ſuo mrologio contraxit: quae quidem nihilo minus omnia videntur in actis, quae aevo Turonenſis circumferebantur, fuiſſe deſcripta.

§. 3. *An primitus poſt B. Irenaei exitum ejus acta martyrii conſcripta fuerint.*

Negat Papebrochius ulla antiquitus a Lugdunenſibus fuiſſe deſcripta, hoc argumento fretus, nim. quod ſiqua olim compoſita fuiſſent, ea Lugdunenſis Eccleſia magno ſtudio cuſtodiſſet, eorumq.tum Greg.Turonenſis, tum etiam deinde Florus Lugdunenſis meminiſſet. Quibus addi & hoc poſſet, quod ſiqua unquam exarata fuiſſent; vix poteſt intelligi, quo pacto Aetherius Viennenſis actorum inopia laboraverit. Verum haec omnia nihil efficiunt. Nam in Deciana primum, deinde Diocletianea perſecutione quum a rectoribus provinciarum incredibili ſtudio Chriſtianorum *Scripturae* (cujus nominis ambitu etiam martyrum hiſtoriae continebantur, ut quae ſecundum θεοπνεύστους γραφὰς maximo in pretio habebantur, & legebantur in publicis Chriſticolarum coetibus) conquirerentur, inventae vero comburerentur; haud dubie maxima tunc martyriorum pars deperiit, quaeque poſt eã cladem ſuperfuerunt, parvae omnino ſunt ex tanto illo naufragio tabulae. In illa igitur communi codicum ſacrorum conflagratione S. Irenaei acta interciderunt. Cujus quidem geſta ſcripta primitus fuiſſe, non eſt dubitandum. Quid enim? Quum martyrum omnium cu-

(*) *In integrum* hoc loco idem valet ac *integram*; ſicuti ſi *in totum* dixiſset, tantumdem eſset, quod *totam*.

cujuscumque sexus, aetatis, gradus sedulo componi historias curae esset; credibile ne est, in uno Irenaeo, qui Galliam fere universam ex gentili Christianam fecerat, scriptis rebusque gestis clarissimo, id minime factum fuisse?

Dixeris, in illa Severiana strage (si Turonensi, Adoni, Actisque Baronianis credimus) omnes Christianos Lugdunenses fuisse necatos; nullum adeo fuisse superstitem, qui tum universae illius procellae, tum in primis passionis Irenaei narrationem pertexeret. Verum incredibile prorsus est, imo ἀδύνατον, nullos tunc Christicolas hostium furorem effugisse, nullam cuiquam latebram patuisse, aut effugia prorsus omnia intuta fuisse. Deinde fac, omnes tunc Lugduni Christi cultores una simul internecione sublatos: at statim ac sedatus est ille turbo, Lugdunensis ecclesia renasci ex suismet favillis coepit. Itaque statim ut ibi coalescere aliquod Christianum σύστημα coepit; quis dubitat, quin ea prima cura animos subierit, ut martyrum recens immolatorum historias quovis modo sive ex actis judicialibus, sive ex aliorum, etiam gentilium [qui caedibus tunc interfuerant, postea vero Christo forsitan nomen dederunt] narrationibus certatim pertexerent? Id quidem tunc factum fuisse non est dubitandum: sed quidquid antiquitus scriptum de B. Irenaeo fuit, communis illa codicum sacrorum flamma postmodum absumpsisse videtur; ita ut quae postea Turonensis, quaeque martyrologi ad manus habuerunt, longe diversa a primitus scriptis fuerint.

CAP. II.

Quaenam barbara illa lingua fuerit, in qua ediscenda totum se fuisse occupatum Irenaeus expostulat.

Irenaeus lib. I. adversus haereses in eo insigni fragmento, quod servavit nobis Epiphanii diligentia [in haer. XXXI. quae est Valentinianorum, cap. 10.] de suo scribendi genere purgat se his verbis: Οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν τῶν ἐν Κελτοῖς διατριβόντων, καὶ περὶ βάρβαρον διάλεκτον τὸ πλεῖστον ἀσχολουμένων, λόγων τέχνην &c. *Enimvero nihil erit, cur a nobis, qui inter Gallos degimus, & in barbarae linguae studio plurimum occupati sumus, oratoriam exigas facultatem, cui comparandae numquam studuimus.* Quam ibi Irenaeus *barbaram linguam* vocet, sic expedire se putat Papebrochius ad finem num. 14. *Nequaquam* inquit *intellexerim veterem Celticam, praevalente in provinciis illis Latina Lingua, tunc prorsus abolitam, etiam inter rusticos, quamvis hi ea* [*lingua Latina*, ut συνέχεια postulat, non Celtica] *corrupta uterentur; sed ipsammet Latinam* [intellexerim] *Graecis habitam barbaram.*

Verum ut ab ultimo incipiam: etsi prisci Graecorum, imo & (550) Latinorum, interdum linguam Latinam *barbaram* appellaverint; at post propagatum Romanorum imperium, ac praecipue sub Caesaribus numquam id reperietur. Hispanicam autem, Gallicam, Germanicam, & plures ex Asiaticis atque Africanis saepe *barbaras* nuncupatas, in confesso est. Jam vero, quod S. Irenaei aetate, h. e. medio aut vergente altero saeculo

(550) Observatum fuit, Plauto tantumdem esse *Barbare* quod *Latine*; ut Asinariae prologo, *Marcus vertit barbare*, & in prologo Trinummi, *Plautus vertit barbare*. Memini etiam Strabonem in Campaniae, ni fallor, descriptione conqueri, plerasq. ejus orae Graecanicas civitates suo tempore ἐκβαρβαρῶσθαι (*barbaras evasisse*) admissis scil. sermone atq. institutis Latinis. At sub secutis imperatoribus haud facile paria exempla reperies. Nisi forte illud huc spectare velis, quod Irenaei aequalis Tertullianus in *de vel. virg.* cap. 2. in ipsa Graecia Barbarias agnoscit: *Per Graeciam*, inquit, *& quasdam Barbarias ejus*. Ubi tamen prisco more (uti assolet) loquens, videtur intelligere Macedoniam, Illyricum, & alias regiones Graeciae deputatas. At demum tertio & IV. saeculo in Ammiano, in Imperator. Constitutionib. & Graecis auctorib. *Barbari* sunt Sarmatae, Scythae, Persae, & alii Romanis non subjecti, quorum etiam solum τὸ βάρβαρικόν (*Barbaricum*) nuncupatur.

saeculo linguam Celticam prorsus in desuetudinem, apud ipsos etiam rusticos, abiisse docet; id nemini credo suaserit. Quis enim crediderit minus ducentorum annorum, qui ab Julio Caesare effluxerant, spatio potuisse linguam Latinam non tantum in urbibus praecipuis, verum etiam in minoribus oppidis atque pagis tam altas radices agere, ut ab omnibus usurparetur; imo ut, quod incredibilius est, tam brevi spatio temporis sermo vernaculus etiam apud imum vulgus aboleretur? Mitto quod sub Caesaribus sermo Gallicus nova quotidie vocabula rerum, quarum usus inde afferebatur, in Latium intulerit; & quod veteres grammatici in assignandis vocum originibus sexcenties ad Gallicam linguam, tamquam adhuc viventem, lectores rejiciant. Quid quod hodiedum in quibusdam Galliarum angulis, praecipue in ea, quae nunc *Britannia* provincia dicitur, adhuc sermo Celticus, etsi corruptus, perdurare narratur? Verum quid plura? Quid B. Irenaeus βάρβαρον διάλεκτον [*barbarum sermonem*] vocet, proxime ipse indicaverat, ubi se inter Celtas versari conqueritur. Qui ubi statim subjicit, *in barbaro sermone* comparando sese insudare, haud dubie illum ipsum Celtarum intelligit. Accedit quod Graeco homini haud difficile fuisset linguam Romanam, quae plurima communia cum Graecis habet, addiscere; at Celticam comparare difficillimum: ut proinde, si de temporis dispendio agitur, hujus potius, quam illius studium causari potuisset. Quod si id potissimum agitur, ecquid avocare nostrum doctorem ab eloquentiae cultu maxime potuisset; quis dubitat, nihil amicius eloquentiae Latina lingua fuisse [aeque saltem ac Graeca] nihil vero eidem infensius incondito Gallorum idiomate? Postremo [si id etiam quaeritur] viris apostolicis magis linguas vernaculas, quam Romanam sive dominantem, perdiscere necessarium fuit. Nam qui verbi ministerium sine προσωποληψία implerent, seque ad pauperibus potissimum εὐαγγελίζεσθαι missos agnoscerent, longe majore linguarum ἐγχωρίων (*vernacularum*) quam βασιλευούσης [*dominantis*] cura ac studio capiebantur. Ergo ne dubita, quin Irenaeus [praesertim qui, uti scribit [551] Eusebius, totius ferme Galliae episcopatum gerebat] in Celtico sermone adipiscendo, quem ferme solum tunc ima plebs & vicani eloquebantur, desudaverit.

Antequam vero manum de tabula: cultiorem tunc populum non tantum Latine, sed & Graece magnam partem Lugduni & in vicinia locutum reperio: id quod etiam ex Graecarum Lugdunensium inscriptionum apud Menetrierium & alios multitudine potest intelligi. Qua de causa in iis locis Graeca lingua plurimo in usu fuerit, nolo in praesentia, ne nimium digrediar, edisserere. Id solum in transitu adnotaverim, quo tempore B. Pothinus & plures alii a sanctissimo Polycarpo missi, ad importandum Galliis Evangelium advolarunt, eos non temere Lugduni potissimum constitisse, quippe in urbe, in qua ipso sui adventus initio viri Apostolici exaudiri ab omnibus possent, aut a plurimis quidem certe, quotquot Graeco non minus, quam Celtico aut Latino sermone, uti possent.

XXVIII NT S LEONIS PP

Videri poterat S. Leo II. debere intelligi, qui vergente VII. saeculo cathedram Romanam insedit; is enim haud dubie hodierno die tum Roma-

 no

(551) Eusebius lib. V. cap. 23. ubi de ecclesiarum consensione in celebrando Paschate die Dominico agit, sic posuit: Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει, *Ecclesiarum quoque Galliae* (exstat epistola) *quarum episcopatu fungebatur Irenaeus*. In quem tamen locum confer scripta a Tillemontio Not. 3. in S. Irenaeum.

no (552) mrologio, tũ aliis pluribus (553) recentibus inscribitur. His adde, quod idem hoc die in breviario Gallo-Siculo apud Joannem de Joanne, & in meo vetere Capuano Breviario signatur. Verum quum de Leone Magno nullum usquam vestigiũ in hisce marmoreis Fastis exstet; estne credibile, Magnum illum Leonem (quem non tantum Latini omnes, sed & Graeci, & si diverso a nobis die, impense celebrant) nullam prorsus culturam apud Neapolitanos adeptum, interim vero Secundum (brevissimi temporis pontificem, eoque ab rebus gestis minus illo illustrem) sesquisaeculo post mortem obitam cultum in his Fastis obtinuisse? Verum quid moror? Olim quidem a Bedae usque tempore non alius, quam primus ejus nominis Leo hoc die recolebatur, idque diu perduravit. Deinde aliquid videtur incidisse, cur de Primo simul ac Secundo festivitas hoc eodem die ageretur, sive ut uterque Leo in unum confunderetur. Ac tandem (omisso hodie Leone Magno; qui ceteroqui constanter, & olim & nunc die XI. Aprilis ἑορτάζεται) dies hodiernus alteri Leoni relictus cessit. Jamvero ut haec quae paucis verbis adumbravi, explicatius exponam; a praecipuis Magni Leonis festivitatibus, earumque caussis ordiens, mox eo deveniam, quandonam Leo junior hoc die subrogatus Seniori fuerit. Scio quidem haec maxima ex parte jam pridem a viris eruditis, Quesnelio (in Dissert. de vita & reb. gest. Leonis M.) Pagio, Tillemontio, Bollandianis fuisse subtiliter enarrata. Sed quum parum inter eos conveniat; proderit non tantum lectorem haesitantem certioribus affigere, verum etiam quidquid novae lucis affundi possit, in eo quoque, quoad licebit, experiri.

CAP. I.

De antiquis tribus Magni Leonis festivitatibus.

Praeter peculiares aliquot S. Leonis festos dies, quos Henschenii (ad XI. April. initio comm. praevii) Quesnelii & aliorum collegit industria; tres maxime perantiquas ejusdem ac praecipuas celebritates reperio, nim. die X. Novembris, XI. Aprilis, & XXVIII. Junii. Sed harum prima videtur & antiquitate & dignitate ceteris praestitisse, a qua proinde incipiam.

I. Ergo in Hieronymiani mrologii apographis omnibus die X. Novembris post martyrum recensionem sic scribitur: *Romae depositio Sancti Leonis Episcopi.* Quae totidem verbis eodem die Rabanus [non Notkerus, uti ex eo citat Henschenius] descripsit. Adhaec eadem [inquit Henschenius in comm. praevio num. 4.] *leguntur... in Mss. mrologiis Vaticano S. Petri, Atrebatensi, Divionensi, Tornacensi, Laetiensi; item monasterii S. Cyriaci saepius a Baronio laudato; & ... primo loco in Ms. antiquo Card. Barberini..... in vetustis Mss. Altempsiano, duplici Trevirensi... item in duplici Leodiensi... Bruxellensi S. Gudilae, & aliis.* His adde quod in pervetusto Lucensium canonicorum Hieronymiano Kalendario apud Florentinium [ad X. Novemb.] in mense Novembri sic notatur: *IV. Idus S. Leonis Papae.* Postremo in perantiquo Lectionario Bellovacensis Ecclesiae [quod Baluzius in fine to. 2. Capitularium edidit] sic scribitur: *IV. Idus Novembris, Romae DEPOSITIO Sancti Leonis Episcopi.*

II. Jam vero dies XI. Aprilis, & si in Hieronymianis nihil de Leone habeat; tamen jam inde a Bedae temporibus h.e. ab ineunte VIII. saeculo Magni festum in-

(552) In quo sic legitur: *Romae S. Leonis Papae secundi:* sed minus recte ibi Baronius adnotat, de eodem hoc die agere Bedam, Usuardum, Adonem; de quibus infra dispiciemus.

(553) Nempe Maurolyco & Galesinio, qui in mrologium in usum Romanae Curiae ante Baronii tempora incubuerunt. Illis plures eorum praeiverant, qui Usuardum variis modis amplificaverant [quorum auctaria collegit Sollerius] ne Molani quidem posteriore editione excepta.

inscriptum gerit. Hoc igitur die Beda genuinus sic posuit: *Romae Leonis Papae & Confessoris*. Eisdem aut aequipollentibus verbis eodem die utuntur monumenta illa quae Georgius ad Adonis XI. April. collegit, nim. mrologia Gellonense, Reginae Svecorum, Rhinoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, item Fuldense & Ottobonianum (nisi quod in his duobus ultimis *DEPOSITIO Leonis Papae* &c. scribitur: de quo mox cap.2. §.II.) item Kalendaria Palat.Vatic.485.& 39. & Vaticanum 3806. Haec quidem Georgio debemus. His adde Rabanum, Wandelbertum, Notkerum, Vsuardum: quorum ultimus eo die sic habet: *Romae Natalis beati Leonis Papae, cujus temporibus exstitit sancta synodus Calcidonensis*. Cujus ultima verba eo forsan pertinent, ut Leo I. ab juniore item sancto distinguatur. Jam vero etsi Sollerius ad Vsuardum praefracte negat esse dubitandum, quin Leo ab Adone hoc die abfuerit [cujus rei etiam Mosandrum, de Adone optime meritum, testem producit] ei tamen haud immerito refragatur Dominicus Georgius, qui Adonem nuperrime illustravit; qui sic adnotat: *Deest quidem* [S. Leo] *Adoni vulgato, sed genuino Adoni restituendum putamus ex fide codicum* (*) *nostrorum*: *quorum* (Codicum Adonis) *verba adamussim usurpat Vsuardus* [etsi] *ea de suo Vsuardum deprompsisse putat Sollerius*. Qua in re Georgio, quam Sollerio, magis credo; quia sollemne hoc Vsuardo est, ut Adonem ducem sequatur: neuter autem quemquam eorum caelicolarum omittit, quos Beda ante retulerat.

III. Postremo etiam hodiernus dies [XXVIII. Junii] festivitate S. Leonis I. illustris fuit, idque ab aevo usque Magni Gregorii, si quidem ejus Missa quae in Gregorianis Sacramentariis & Capitularibus hoc die reperitur, Gregorium ipsum auctorem habeat. Sed verius est eam Missam centesimo ferme post Gregorium anno additam Sacramentario fuisse, uti postea videbimus. Atqui praeter sacramentarium illum fere omnia mrologia & Kalendaria, quae die XI. Aprilis hunc S. Leonem colunt, eumdem die XXVIII. Junii repetunt. Agmen agit Beda genuinus, sic post Vigiliam SS. Apostolorum annuntians: *Ipso die S. Leonis Papae*. Quod de Leone II. non potest accipi, utpote Bedae coaetaneo. Jam vero Ado post annuntiatam vigiliam sic proponit: *Ipso die natalis Sancti Leonis Papae*, non Secundi [554] sed cujus Beda & Romanum parvum [quos duces Ado sequitur] hoc die meminerant, Magni scilicet. Vsuardus Adonem contrahere solitus, heic tamen [quasi confusionem cum Secundo veritus] addidit, *Pontificis & Doctoris*; jam tum enim *Doctoris* elogium Magno arrogari coepit. Hunc ipsum *Doctoris* titulum Rabanus ei ante tribuerat, & Wandelbertus sic canens,

Praesule quartus [Kalendarum] *ovat, verbi et DOCTORE Leone*,

Et post Vsuardum Notkerus. Adde ex fide saepe laudati Georgii [ad XI. April.] mrologia Rhinoviense, Augustanum, Fuldense, Gellonense, Reginae Svecorum, Ottobonianum, & Kalendaria duo, Vaticanum unum, alterum Palatino-Vaticanum: quae quidem omnia etiam pro die XI. Aprilis produximus. Sunt praeterea & alia monumenta, quae de Leone-

(*) Ii sunt ad quos in var. lect. digitum intendit, nim. cod. 512. 514. & Sangermanensis, in quibus Ado sic orditur hunc diem, *Romae natalis Sancti Leonis Papae cujus* ... & cetera omnia eisdem omnino verbis ac quae supra ex Vsuardo descripsimus.

[554] Non Secundi inquam [quem male RosWeidus ad oram Adonis sui hoc die designari notavit] sed certe Primi. Mitto quod quidam apud Dominicum Georgium scripti codices recitatis Adonis verbis haec addunt: *Qui merito excellentis ingenii, apud Romanos Magnus Leo appellatur*: quae etsi non sunt ab Adonis manu, tamen ea non temere posteritas addidit, verita ne cum Secundo confunderetur.

ne I. nihil die XI. April. afferentia, hoc uno die eum colunt, uti [praeter libros Sacramentarios & capitularia, de quibus supra] mrologium Richenoviense, Hieronymianum Corbejense, & RosWeidanum sive Romanum parvum, quod Ado ad manus habuit. His adde duo illustria octavi saeculi Kalendaria, Frontonis unum, Allatianum alterum. Haec quidem omnia Leonem die XI. April. omittunt, eumdem vero die XXVIII. Junii celebrant, aeque atque in his marmoreis tabulis. Ex dictis vero hoc saltem perspici potest, octavi & noni saeculi [quo nostrum marmoreum Kalendarium prodiit] ecclesias non alium Leonem quam Magnum die XXVIII. Junii celebrasse, Secundum vero diu postea coli coeptum.

C A P. II.

De causis earumdem trium festivitatum.

Haec disquisitio diu virorum ἁγιογράφων torsit ingenia: necdum tamen aliud inter eos postremo quam de hodierno festo convenit; quod festum constat non alio spectare quam ad Magni Doctoris translationem, quando Sergius I. exeunte VII. saeculo ejus sacras exuvias ex vestibulo in frontem ipsam basilicae S. Petri transtulit. Ceterum quo dies X. Novembris, quove dies XI. Aprilis pertineant, adhuc sub judice lis est. Atqui injuria de utroque litigari video; nam si paullum modo attendere viri docti depositis praejudicatis opinionibus voluissent, nullum ambigendi locum reliquissent.

§. I. *Quo festum X. Novembris pertineat. Pagius reprehenditur.*

Ab omnium antiquissima festivitate ordiar: quae quum in omnibus Hieronymianis apographis signetur his verbis, *Romae DEPOSITIO Sancti Leonis Episcopi*, pluresque alii martyrologi [quos cap. superiore num. I. indicavimus] eadem *Depositionis* voce eodem die utantur; ecquis deinceps dubitare potuisset, quin eopte die Doctor sanctissimus ad Christum migraverit? Et tamen non defuere viri eruditi, Quesnelius, & hunc secuti Papebrochius & Castellanus qui uno [555] Ms. freti, Leonem die XXX. Octobris, e vivis sustulerint; & e diverso Pagius calculos secutus suos, eumdem die IV. Novembris vita defunctum pro certo habuerit. Sed illos mittamus: de Pagio parumper videamus.

Antonius Pagius, ingentibus in historiam Ecclesiasticam meritis satis clarus, ad ann. 461. num. 3. in eo totus est, ut Magnum hunc die IV. Novembris sublatū e vivis contendat: quod se omnium primum e tenebris eruisse ait; nec tamen providit, fore se omnium ultimum in ea sententia, quam persuasit certe nemini. Et ejus quidem ratiocinatio tota, tum ἀκρισίᾳ, tum etiam vitiosa, uti scholae loquuntur, circuitione laborat.

Et ἀκρισία quidem in eo proditur, quod quum duas celebres Leonis festivitates nosset [unam XXVIII. Junii, alteram X. Novembris] tamen de hac altera multo antiquiore [in qua praesertim *Depositio* disertim notatur] nihil prorsus laboret; sed tantum διηγηματικῶς [*historice*] tum Hieronymiana apographa, tum etiam sexcenta alia monumenta ex Henschenio referat, in quibus die X. Novemb. Leo colitur. Imo & hoc etiam historice refert, nim. iis monumentis Florentinium & Henschenium permotos, diei X. Novembris obitum Leonis illigasse. In hoc igitur viri tanti judicium requiro, quod de

[555] Quesnelius in Dissertat. de vita Leonis ad ann. 461. num. X. uno tantum Acheriano Kalendario post DCCC. annos scripto nititur, ex quo effici ait *Depositioni* Leonis diem XXX. Octobris sacrum fuisse [sic enim ibi scribitur: *III. K.* (Novembris) *Depositio sancti Leonis Papae*] interim expostulans nusquam alibi ejus *Depositionem* signari; etsi num. IV. Ms. Bellovacensis meminerat, in quo *Leonis Depositio* diei X. Novembris affigitur. Illud magis miror viro docto de Hieronymiano primae antiquitatis mrologio [ut alia taceam] nihil suboluisse, in quo Magni *Depositio* eidem diei X. Novembris inscribitur.

de Hieronymianis fastis [in quibus *Depositio* diei x. Novemb. addicitur] securus, tamen diem XXVIII. Junii [a quo nihil impendebat periculi, quum id festum ad Translationem pertinere, ex infra dicendis certissimum sit] initio num.3. sibi unice objicit: id credo veritus, quod in pluribus monumentis *NATALIS S. Leonis* eo die signatur, quam is vocem haud dubie pro die obitus accepit. Verum quid tantulae objectioni responderit, videamus: nam in eo quoque κρίσιν ejus desidero. Nempe universe negat, mrologiis, Kalendariis, diebusque ibi notatis fidendum esse ad emortuales dies stabiliendos. Assentiar equidem, si quidem novitia, obscura, parvaeque auctoritatis monumenta proferantur. At antiquis & probae notae cur fidem derogem? At enim is pluries comperiri conqueritur, veros depositionis dies aliunde perspectos, minime convenire cum iis diebus, qui in mrologiis enotantur. Et hoc fateor. Verum (quod nondum Pagius aut quisquam alius animadvertit) aliud *Natalis* (ad quam *Natalis* vocem, in pluribus monumentis die 28. Junii usurpatam, expalluisse videtur criticus Baronianus) aliud *Depositio* significat. *Natalis* vox (quod quotidie ad nauseam usque in hoc commentario in rem praesentem animadvertimus) generalis est, nec plane aliud nisi celebritatem quotannis recurrentem significat, h. e. modo diem θανάσιμον (*mortalem*) modo etiam translationis, Dedicationis Ecclesiae, Ordinationis, aut cujusvis alterius rei memorabilis anniversariam celebritatem. At contra *Depositio* non nisi eum diem anniversarium notat, quo Sancti ad caelum emigrarunt. Ex eo igitur, quod hoc aut illo die quis sacris tabulis inscribatur, non continuo sequitur, illo die illum caeli civem fuisse factum, etiam si *Natalis* vox praefigatur; quippe quum id vocabulum aliud nihil sit, quam rediens quotannis festivitas. At ubi nota *Depositionis* praemittitur, non licebit aliud quam diem obitus interpretari. Quum ergo in Hieronymianis fastis (ut alios taceam) diserte Leonis DEPOSITIO notetur; ecquid Noster excipiet? An Hieronymiano mrologio obloquetur? quod non tantum ejus vetustas Leoni proxima commendat, verum hoc etiam quod (quantum ex S. Gregorii epistola ad Eulogium constat) in usu Romanae Ecclesiae fuit. Non aliunde autem quam ex Romanae Ecclesiae laterculo depositionum urbis Romae Episcoporum in universale illud Hieronymianum mrologium *Leonis Depositio* importata fuit. Exstat hodieque Bucherianus Romanae Ecclesiae laterculus aevi Liberiani, cui hinc DEPOSITIO EPISCOPORUM, illinc DEPOSITIO MARTYRUM in fronte praescribitur. Nec dubium ulli est, quin illis ipsis diebus, quibus ibi notantur, animas Sancti illi exhalarint: quod & in pluribus eorum aliunde comprobatum fuit. Ex ejus inquam generis catalogo Leonis *Depositio* in universalis Ecclesiae mrologium, quod sub Hieronymi nomine circumfertur, quodque ipsum Romae in usu fuisse Gregorius Magnus haud obscure significat, redundavit. De ἀκρισίᾳ viri cetera κριτικωτάτου hactenus: venio ad ejus vitiosam ratiocinationem.

Nam dum Hieronymianis fastis fidem abrogat Pagius, exspecto ecquod aliud producat irrefragabile testimonium aut argumentum, quo nos de vero obitus die certiores efficiat. Nullum is quidem: sed tamen calculis tantum insisti jubens, ex tempore tum gesti pontificatus, tum interregni, & successoris consecrati, rem certo confici pollicetur. Nam quum ex pluribus [uti quidem ratiocinatur] auctoritatibus constet, Leonem sedisse annis XXI. mens. I. diebus XIII. eoque mortuo vacasse sedem diebus septem, ac postremo Hilarum (si Pagio credimus) die XII. Novembris pontificem consecratum fuisse; his positis, si a die XXII. Septembris anni 440. [quo die Magno Leoni impositas fuisse manus,

manus, sumit sibi, sed minime probat] anni illi XXI. mens. I. dies XIII. colligantur; reperiemus, die IV. Novemb. anni 461. Sanctum doctorem vitam cum morte commutasse. A quo rursus obitu si solidi septem dies interregni numerentur, successorem Hilarum die XII. Novembris sacratum comperiemus. Haec summa calculorum Pagii est. Cui equidem darem manus, si unus saltem ex iis terminis [sive a quo, sive ad quem numerari jubet] certus esset. Nunc quum sint omnes ex aequo incertissimi (quippe ex calculis nescio quibus eruti, quos alii aliter ineunt] non video ecquid initis Pagianis rationibus futurum sit spei reliquum. Quid plura? Hoc unum in viri clarissimi supputatis rationibus deprehendo, quod diem mortis ex die consecrationis probet, rursus autem diem impositarum manuum ex die obitus eruat: quem viri tanti vitiosum [556] circuitum vide si lubet ad utriusque rei annum. Hoccine vero est recte calculos instituere, ex quibus certam Hieronymiani mrologii auctoritatem evertat? Quanto praestabilius erat id potius dare operam atque experiri, utrum & consecratio Leonis, & sedis duratio, & interregnum,& ordinati successoris dies,utrum inquam haec omnia cum eo depositionis die, quem fasti Hieronymiani ostendunt, componi possent. Atqui ea optime conciliari, viderat jampridem Florentinius ad x. Novembris, viderat Henschenius, vidit postea felicius Tillemontius: a quo sic rationes instituuntur, ut Leo videatur die XXIX. Septembris anni 440. sacratus, die vero x. Novembris anni 461. denatus, atque, evoluto septem (557) dierum interregno, die demum XIX. ejusdem Novembris Hilarus fuisse ordinatus. Videatur omnino de his Tillemontius to. XV. in S. Leone Not. 73. in qua [praeter Hieronymianorum fastorum auctoritatem] singulae periodi non sine suis demonstrationibus abeunt. Habes cur diei x. Novembris recte in Hieronymianis *Depositio* affigatur.

§. II. *Festum hodiernum h.e. diei XXVIII. Junii quonam spectet.*

Ne quemquam morer: dubitationem omnem

(556) Eruditus critices Baronianae auctor ad ann. 461. num. 3. non esse mrologiis fidendum, sed aliunde potius obitum Leonis esse colligendum, his verbis admonet. *Quare dies emortualis hujus pontificis non in fastis ecclesiasticis quaerendus fuit, sed ex sedis ejus duratione eruendus. Quumque ex dictis* [vide eumdem hunc *Pagium* ad ann. 440.] *perspicuum fiat, Leonem M. die XXII. mens. Septembris anni* 440. *consecratum fuisse; mors ejus, quod huc usque omnes latuit* [vide quantum, idque immerito, in eo triumphet] *contigit prid. Non. Novembr. seu die quarto.* Ergo ex die consecrationis diem θανάσιμον eruit. At versa vice ad ann. 440. ejusdem consecrationem non tantum ex superiorum pontificum parum certa duratione & interregnis, verum multo magis ex Leonis ipsius morte affigit diei XXII. Septembris anni 440. ubi num. 2. sic loquitur: *Ex jam dictis .... manifestum fit, S. Leonem M. consecratum esse die XXII. Septembris .... quod ex ejus sedis duratione; DIE ILLIUS EMORTUALI, quem tandem ME E TENEBRIS ERUISSE persuasissimum habeo; interpontificio quod post mortem ejus fuit; & die consecrationis successoris* (Hilari: quam consecrationem Pagius die XII. Novemb. figit; quum tamen recte ostenderit Tillemontius, in XIX. incidisse) *plane constabit.* In qua ratiocinatione tota nihil non lubricum est, nec gradus ullus, in quo recte consistat; ac praeterea manifesta est in sese rediens circuitio.

(557) Inter X. Novembris, quo Leo hinc demigravit, & XIX. quo Hilarus sacratus fuisse creditur, non septem [quot scil. auctor Pontificalis sedem vacasse dicit] sed octo solidi dies intercesserunt. Quae difficultas dupliciter solvi potest. I. Antiqui numeros non litteris, sed notis numeralibus perscribebant. Itaque videtur auctor Pontificalis VIII. scripsisse, mox extrita μονάδος nota, VII. evasisse; ex eoq demum (ubi litteris uti coeperunt) SEPTEM fuisse factum. II. Fieri potest,ut Hilarus,qui die XIX. Novembris (qui eo anno dies Dominicus fuit) est consecratus, pridie aut praecedente die electus fuerit; proinde auctor Pontificalis electionis habuerit rationem, quando sedem septem dies vacasse scripsit.

omnem praecidunt duo octavi saeculi Kalendaria, Frontonis unum [in quo scribitur : *Translatio corporis beati Leonis*] Allatii alterum, eisdem verbis, tantum addens, *Pontificis & (558) confessoris*. Eisdem plane verbis in mrologio Ottoboniano legitur : *Romae translatio corporis Leonis Papae*. Sed & in Capitularibus Evangeliorum apud Dominic. Georgium [to.3. de liturgia Pontif. Rom.pag.260.] hoc eod. die *Translatio corporis B. Leonis Pont.* inscribitur. At in eisdem Evangeliorum capitularibus editis a Thomasio praeter eam inscriptionem, rursus ex cod. Vallicellano sic annuntiatur : *Quarto Kal. Julii Natale* [pro *Translatio*] *S. Leonis Papae*. Non ergo te turbet, quod in pluribus veterib. monumentis [ac praesertim in Gregoriano (559) sacramentario, necnon in hisce fastis marmoreis] hodierna festivitas *Natalis* vocetur : quod quidem Papebrochium (560) & alios male habuit. Nam ex iis, quae ad singulos quosque hujus Kalendarii dies animadvertimus, vox *Natalis* quibuscumque festis anniversariis tribui solet, praecipue Translationis.

Nunc jure a me quaeras, ecquaenam hodierna Translatio fuerit. Haud dubie illa fuit, quam Sergius I. anno DCLXXXVIII. fecit, quae in libro pontificali his verbis in Sergio I. describitur : *Hic corpus beati Leonis probatissimi (561) patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris (562) secretarii praedictae basilicae positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata basilica, publico (563) loco [ut sibi fuerat revelatum] reposuit, ac locum ipsum ornavit*. Exstat apud Gruterum p. 1170. num. 4. epigramma elegiacum non inelegans, quod a Sergio impositum tumbae fuit : quod opportunius §. sequente proferam.

Ad annum ejus translationis quod attinet, is colligitur ex proxime laudati Sergiani epigrammatis prosaico additamento, quod ex cod. Vitoniano erutum, to. 3. Analector. Mabillonii legitur hisce verbis : *Sedit in episcopatu annos XXI. mensem I. dies XIII. Depositus est III. Idus*

(558) Vix hoc apud antiquos obvium, ut *Confessor* pro non martyre ponatur. Sed tamen Beda etiam die XI. Aprilis scripsit : *Romae Leonis Papae & Confessoris*. Videtur ergo octavo primum saeculo ea notione *Confessor* usurpari coepisse; nam & Bedae & Allatianum mrologium VIII. saeculo imputantur.

(559) Praeter marmoreum hoc Kalendarium (in quo uti vides *Natalis* nota huic diei praeponitur) & Adonem, Vsuardum, & alia passim mrologia & Kalendaria, in quibus eadem *Natalis* vox usurpatur : etiam in Gregoriano Sacramentario hoc die Missa pro *Natali* S. Leonis proponitur. Sed tamen ne dubita, quin Missa illa posterior Gregorio sit, quia S. Gregorius centũ prope annis antiquior Sergio fuit, qui corpus S. Leonis transtulit: a qua translatione hodiernum festum originem suam duxit.

(560) Papebrochius hoc die pag. 374. n. 3. ubi dixisset, Gregorium in Sacramentario pro *Translatione* scripsisse *Natalem S. Leonis Papae*, addidit : *Si* [in ea voce] *nihil est ab interpolantis manu*. Necdum enim vir in mrologiis aliisque libris liturgicis diu multumq. versatus animadverterat, *Natalis* vocem nihilo plus valere quam cujuslibet festi anniversarii celebritatem.

Etiam Dominico Georgio ad Adonis sui diem XI. April. tenebrae obortae sunt in voce *Natalis*, quae die 28. Junii de S. Leone usurpatur, qui tamen eo die non obiit, sed translatus fuit; ac tandem eo labitur, ut dicat, Quia *sollemnior S. Leonis celebritas esse die 28. Junii coepit*, hinc *Natalis nomine aliquando* donatam fuisse. Et quis non tum alias, tum hoc ipso die ad hanc *Natalis* vocem offendit? Tanti profecto est usitatas vocum sollemnium notiones callere.

(561) Mirum ni heic vox *Patris* cum epitheto *probatissimi* ea notione usurpatum fuerit, qua *sanctos patres* intelligimus eos, qui Christi ecclesiam scriptis suis illustrarunt. Vti sic existimem, illud etiam facit, quod idem primus omnium, quod sciam, κατ' ἐξοχὴν *Doctor* sit appellatus ab Rabano, VVandelberto, Vsuardo, & Notkero, & quidem hoc ipso die 28. Junii. Optandum sane foret, ut tanto re vera Doctori cultus simul *Doctoris*, Ecclesiae Romanae judicio, restituatur.

[562] Quod in vestibulo basilicae ad laevam ingredientibus fuisse tradit Aringus lib. 2. cap. 8. n. 3.

(563) Opponitur ei quod ante dixerat, *In ABDITO inferioris secretarii*.

Idus ... *& iterum translatus huc a beato Papa Sergio IV. Kal. Jul. Indict. I.* In toto autem Sergii pontificatu non alia *Indictio prima* fuit, quam quae anno DCLXXXVIII. decurrebat. Quo etiam anno in 28. Junii dies Dominicus incidit, translationi peragendae opportunus. Quando igitur anno 688. ex vestibulo basilicae corpus B. Leonis in ipsam basilicae frontem translatum a Sergio fuit, ab eo tempore dies hic *Natali*, sive festo translationis est insignitus. Plura adhuc de hodierni diei translatione dicenda restant, quae opportunius §. sequente discutientur.

§. III. *Quonam referendum sit festum diei XI. Aprilis.*

Duplex Leonis translatio exploditur; atque ostenditur, diem XI. Aprilis non ad priorem translationem, sed ad Depositionem stabilem ac sollemnem Leonis pertinere. Quae sepultura cur diu post mortem dilata fuerit, indicatur. S. Leonis epitaphium a S. Sergio I. factum illustratur. MAGNUS Leonis agnomen in eo epigrammate notatur. VATES & PROCERES pro episcopis. *LIBRI pro* epistolis. *Quid sit* Mira superna vident.

Ne tempus in aliorum reprehensione frustra teratur, eos mitto qui hujus diei festum ad obitum retulerunt, aut vero Quesnelium, qui die XI. Aprilis ordinationem Leonis fuisse celebratam putavit: quae facile confutari possunt. At vero quid viris eruditis Pagio (564) Tillemontioque aliisque haud paucis fiet, qui hoc die priorem Leonis translationem factam putarunt? Nam, si his credimus, posterior illa fuit, qua Leonis corpus a Sergio I. die 28. Junii [ut §. superiore diximus] in frontem Vaticanae basilicae illatum fuit. Videatur prae ceteris Pagius ad ann. 461. num. V. & sequentibus: quem si audimus; mense Novembri [die vero IV. ex Pagii sententia, ex nostra vero die X.] Magnus pontifex vitam cum morte mutavit, ac simul sepultus alicubi fuit: ubi, incertum. Hinc vero in abditum secretarii Vaticani locum, ut in Pontificali dicitur, die XI. Aprilis translatus fuit: quo anno, dubium. Postremo hinc auferens Leonis reliquias Sergius, in frontem ipsam basilicae intulit, ut in ejus epitaphio mox producendo narratur.

Atqui toto caelo Pagius aberrat. Nam in hunc potius modum sese res habuit. I. Magnus noster die X. Novembris anni 461. denatus, legitima tunc quidem sepultura caruit, temporariam tantum nactus. II. Post hanc extemporalem, mox die XI. Aprilis anni sequentis sollemnem ac durabilem sepulturam in abdito loco vestibuli Vaticanae basilicae adeptus, tunc demum vere sive *sepultus*, sive *depositus* fuisse in antiquis monumentis dicitur. III. Postremo ex hoc abdito loco in publicum a Sergio die 28. Junii anni 688. translatus, honorabiliorem in fronte basilicae sepulturam obtinuit. Haec jam singula, quae uno sub aspectu posuimus, pluribus exponenda ac simul stabilienda sunt.

I. Ac primae quidem θέσεως [nim. quod post obitum Leo in temporali tantum conditorio quieverit] tametsi testimonia desunt, at argumenta tamen ineluctabilia suppetunt. Nam ex eo, quod die XI. Aprilis *sepultus* aut *depositus* narratur is, qui ante menses quinque ad Christum migraverat, necessario sequitur, toto illo quinquemestri intervallo sanctum Pontificem arcae alicui ad tempus inclusum alicubi jacuisse. Quod vero non nisi die XI. Aprilis legitimam sepulturam sit assecutus, diserte traditur in Pontificali his verbis: *Qui etiam SEPULTUS est apud basilicam beati Petri Apostoli III. Idus Aprilis, & cessavit episcopa-*

[564] Vide Pagium ad ann. 461. num. V. & seq. & Tillemontium in S. Leone ad finem Not. 73. his verbis: *Il peut y avoir eu deux translations de son corps, l'une le 11. Avril, l'autre le 28. de Juin, & toutes deux fort anciennes, puisque Bede met la feste de S. Leon en l'un & en l'autre jour.*

scopatus dies VII. Hoc ipsum etiam traditur in epitaphii a Sergio facti [quod mox producetur] additamento prosaico Vitoniano his verbis : *Depositus est III. Idus . . . & iterum* (565) *translatus huc a beato Papa Sergio IV. Kal. Jul. Indict. I.* Ubi in lacuna illa, quam temporis edacitas corrupit, nemo dubitat, quin APRILIS sit reponendum. Ex his vides illam diei XI. Aprilis non translationem [quod Pagius, & alii censent] sed *Depositionem* [uti diserte vocatur] sive primam sepulturam fuisse. Nam si ea prior translatio intelligenda esset, cur obsecro neque in Pontificali, nec in epitaphio primae sepulturae sive depositionis mentio facta fuit, idque contra epitaphiorum atque ceterarum vitarum consuetudinem?

At enim, inquies, cur quinque ipsis mensibus Magni Leonis dilata legitima sepultura fuisset? Verum ubi quid factum sit, certo tenemus, cur ita factum sit, divinare non cogimur. At aliquid certe incidit, cur ita fieret; & nisi vehementer decipior, haec vera exstitit causa. Ex libro Pontificali duo in Leonis sepultura animadverto, primum quod ex omnibus Romanis episcopis non martyribus Leo omnium primus apud basilicam S. Petri sepulturam meruerit: deinde quod Leonis successores ejusdem loci honorem sint assecuti: quorum utrumque ex libro Pontificali [566] satis constat, at alterum etiam ex epitaphio, quod Sergius fieri fecit [567] intelligitur. Ex his vero liceret conjicere, post Sancti Doctoris obitum deliberasse cum Clero Romano successorem Hilarum de communi sepulcro Pontificum Romanorum apud S. Petri basilicam parando, ut uno in loco omnes inhumarentur. Liceret, inquam, sic conjicere, nisi Hilarum ipsum in S. Laurentii sepultum ex Pontificali discerem, ut & Felicem III. [qui post Simplicium Hilari successorem sedit] in S. Pauli conditum viderem: etsi ceteroqui facile hi dum viverent, sibi sepulcra iis in locis ex peculiari affectu pararunt. Verum ut eo redeam, sive ipse Leo sibi in vestibulo S. Petri sepulcrum optavit, sive Hilarus hunc tantum Doctorem dignum eo honore existimavit, qui honor ceteris post Hilarum pontificibus communis fuit: utut se res habuit, certe quinquemestri spatio opus fuit, ut qualecumque marmoreum monumentum tanto Pontifici pararetur. Nisi si cui longius spatium [*] comminisci

(565) Quis scit an non istud ITERUM TRANSLATUS Pagium aliosq. impulerit, ut Sergii translationem pro secunda haberent; ex quo visum est effici, illud *Depositus III. Idus* Aprilis, pro priore translatione habendum esse. Verum istud ITERUM non ad *Translatus* est referendum, sed ad *iteratam* quamlibet actionem. Nec novum est adverbia *Iterum* & *Rursus* pro *Item* accipi: qua notione *Iterum* in Vulgato N. Testamenti interprete millies occurrit.

(566) In libro Pontificali post Apostolorum principem, hi tantum pontifices dicuntur *sepulti juxta corpus B. Petri in Vaticano*, Linus, Cletus, Anacletus, Evaristus, Sixtus I., Thelesphorus, Pius, Eleutherius, Victor: qui ultimus usq. ad initium tertii saeculi vixit. At secuti pontifices usq. ad Leonem in diversis urbis Romae coemeteriis tumulati fuerunt. Itaq. Magnus Leo omnium primus, non quidem *juxta corpus B. Petri* h. e. intra basilicam, sed *ad S. Petrum* sive *apud S. Petrum* (in vestibulo scil.) honorem sepulcri commeruit. At postquam S. Leo eo honore condecoratus fuit; excepto successore Hilaro, & Felice III. diu hoc sollemne fuit ut Romani Pontifices apud S. Petri basilicam, sive in vestibulo tumularentur.

(567) In eo epigrammate disticho altero haec leguntur:

Hinc vatum [h. e. pontificum] *procerumque cohors, quos cernis adesse,*
Membra sub egregia sunt adoperta domo.

Et disticho VII.

Quem jam Pontificum plura sepulcra tegunt.

(*) Nam ex eo quod Hilarus in S. Laurentii sepultus scribitur, aliquis arguere possit, toto Hilari pontificatu in exstruendo communi pontificum sepulcro apud S. Petrum fuisse insudatum. At contra quis eo compellit, ut dicamus, id sepulcrum fuisse initio commune? Principio Leo tantum eum honorem post quintum ab obitu mensem nactus est. Deinde idem honor Simplicio est habitus; qui mox post Felicem III. vulgaris est factus.

nisci libeat. Verum his missis; quae dixi, omnia illustriora ex Sergii epigrammate fient, quod infra adscribetur.

II. Ex hactenus dictis luce clarius est, die XI. Aprilis nullam Leonis translationem fuisse factam, sed tantum Depositionem, quae haud raro justa ex causa [& ea praecipue, ut interim monumentum construeretur] differebatur: proinde festum diei XI. Aprilis fuisse veram Depositionis celebritatem, non quidem ea notione, qua *Depositio* pro die *θανασίμῳ* [*emortuali*] sumitur, sed qua pro prima legitima sepultura accipitur. Ac sane memini haud raro me in hoc commentario exempla adnotasse, in quibus alicujus caelicolae *Depositio* diebus minime emortualibus coleretur, haud dubie quod in eum diem prima stabilis ac legitima sepultura h. e. *Depositio* incidisset. Duplex ergo Leonis *Depositio* celebrata fuit, una die X. Augusti in mrologio Hieronymiano & alibi; altera vero die XI. Aprilis, quo die in Fuldensi & Ottoboniano mrologiis [apud Georgium ad Adonis XI. April.] disertim DEPOSITIO LEONIS signatur; etsi Beda & alii martyrologi *Depositionis* verbo abstinuerint, Usuardus vero cum aliis pluribus pro *Depositione* generale vocabulum *Natalis* substituerint. Habes quo festum diei XI.Aprilis pertineat. Ceterum parum est dubitandum, quin Leo, anno 461. die X.Augusti mortuus, mox anno 462. legitimae sepulturae justa obtinuerit. Etenim, si Leoni dumtaxat exstruendum conditorium fuit [de quo vide superiorem Adnotationem] quinquemestre intervallum satis fuisse videtur ad monumenti simplicitatem, cujusmodi id aetatis apud Romae episcopos in usu fuit. Nam ut eidem Magno sumptuosius postea monumentum construeretur,id non nisi post 230.annos Sergii I. munificentiae, quod toties diximus, reservabatur.

III. Is igitur Sergius die XXVIII. Junii ex vestibulo levatas Leonis reliquias, atque in basilicam ipsam illatas, conspectissimo in loco ea qua decebat magnificentia condidit. Id quemadmodum gestum sit, tum ex verbis Pontificalis in vita Sergii, quae modo §. 2. recitavimus, tum multo luculentius ex ipso epigrammate, quod beato Leoni idem Sergius incidi fecit, deprehenditur. Id epigramma jam anteaGruterus pag.1170. num.4. evulgaverat; sed idem postea a Mabillonio repertum una cum aliis epitaphiis Vaticanis in Virdunensi codice monasterii S. Vitonis [vulgo *S. Vanne*] in tomum tertiū Analectorum contulit, & quidem cum chronico additamento prosaico. Repertum quoque fuit in Ms. Oxoniensi [etsi sine appendice chronologica] ex quo apographum Quesnelius obtinuit. Ex utroque igitur idem nunc correctum damus.

Hujus Apostolici Magni (568) est hic corpus humatum,
Quod foret & tumulo dignus in arce Petri.
Hinc (569) Vatum (570) procerumque cohors,quos cernis adesse,

Mem-

(568) In Oxoniensi solo istud *Magni* legitur: quod & rectissimum est. Nam quod in Grutero, & Mabillonio pro *Magni* est *primum*, id ferri non potest; quia Sergius non *PRIMUM humavit*, sed ex primae sepulturae loco transtulit.

Porro tum hoc, tum versu quinto [ubi iterum *Magnus Leo*] vox *Magnus* non tam epitheti, quam forsitan cognomenti loco accipienda est. Aut si ex Sergii mente in hoc epitaphio istud *Magni* vim epitheti primitus habuit; postea ea vox ita animis legentium insedit, ut eam pro agnomento Leonis acceperint & usurpaverint; idque tum maxime, quum is a posterioribus Leonibus discriminandus fuit. Ado certe in suo mrologio *Magnum* vice cognominis nuncupavit: Qui, inquit, *merito excellentis ingenii apud Romanos MAGNUS LEO appellatur*. Vide infra cap.3.

(569) Male in Grutero HUNC: quem accusandi casum nihil est quod regat. Sed in Vitoniano & Oxoniensi *Hinc*.

(570) *VATES non tantum sexto saeculo ac deinceps pontificem significabat, verum &*

IV.

Membra ſub egregia ſunt adoperta domo.
Sed dudum, ut Paſtor, Magnus Leo ſepta gregemque
Chriſticolam ſervans, janitor (571) arcis erat.
Commonet e tumulo, quod geſſerat ipſe ſuperſtes,
Ne lupus (*) inſidians vaſtet ovile Dei.
Teſtantur miſſi (572) pro recto dogmate libri,
Quos pia corda colunt, quos mala (573) turba timet.

Eeeee 2 Rugiit

IV. medio ſaeculo eamdem notionem ei ſubjectam fuiſſe, ex auctore Excidii Hieroſolymitani cum Joſephi hiſtoria collato ſatis liquido oſtenditur: imo & eam ſignificationem antiquiſſ. fuiſſe. Par etiam PROCERUM notio aevo ſequiore fuit.

Sexto ſaeculo ac deinceps *Vates* iidem qui epiſcopi. Apud Gruterum pag. 1167. 9. in cujuſdam Pontificis tumulo diſtichon tertium ſic orditur: *Hic vates Domini.* Et pag. 1169. 3. Damianus vocatur v. 4. *Gloria vatum*, & infra v. 13. pontificatus dicitur *Praerogativa Vatis.* In tumulo Joannis II. Papae apud Baron. ad ann. 535.

Hic tumulus Vatis conſervat membra Joannis &c.

Utitur & Fortunatus lib. V. poem. 4. & alii plures non tantum verſu, ſed & proſa oratione; uti quum ab Joanne diacono in vita S. Greg. M. lib. 2. c. 35. *Aetherius Vates Arelatenſis* nuncupatur. Vide plura apud Cangium.

Et allata quidem adhuc exempla ſexti aut citeriorum ſaeculorum ſunt. Tamen *Vatis* pro ſacerdote acceptio jam tum medio IV. ſaeculo uſurpabatur. Id quod nuper didici ex Egeſippo, ſub cujus nomine elegans Excidii Hieroſ. hiſtoria circumfertur: quam tamen ab Ambroſio nondum epiſcopo fuiſſe elucubratam ad diem craſtinum perſuaſum faciemus. Qui lib. I. cap. 16. (aliter 17.) ubi de Templo per Pompeium expugnato, ſic narrat: *Nullus parcendi modus: nec tamen ea ſaevitia bellantum, obſequia VATUM* (h. e. ſacerdotum) *impedita. Nudatis gladiis imminebat hoſtis: illi tamen ſine ulla perturbatione ſoliti vicem muneris exſequebantur.* At Joſephus [quem in ea hiſtoria interpretatur Ambroſius] I. de Bello Jud. num. 5. *ἱερέας* (*ſacerdotes*) vocavit eos, quos juvenis Ambroſius elegantiae ſtudens appellavit *Vates.* *Tum* [inquit Joſephus] *multi* (ἱερέων) *ſacerdotum, quum* (ξιφήρεις τοὺς πολεμίους ἐπιόντας) *nudatis gladiis hoſtes imminentes viderent,* (ἀθορύβως &c.) *ſine ulla perturbatione in cultus ſui munere perſeverabant.* Ergo ea *Vatis* notione primum [quod nunc quidem ſciam] Ambroſium medio IV. ſaeculo uſum reperio.

Etſi ut erat Ambroſius priſcarum locutionum ſedulus aemulator, antiquos ſcriptores ei praeiviſſe non dubito. Apud gentiles haud ferme alii quam numinum ſacerdotes, vaticinandi artem profitebantur. Ne longe abeam; Sibylla Virgilio *Phoebi ſacerdos* vocatur. Ac pleni ſunt ejus rei gentilium libri; apud quos qui vates, iidem & ſacerdotes, deorum ſuorum erant. Sicuti & Hebraeorum pontifici maximo oracula edere per Urim & Thummim datum erat. Ab eo vero factum ut *μάντεως* & *ἱερέως*, itemque *Vatis* & *ſacerdotis* ſive *pontificis* vocabula promiſcue uſurparentur: idque non tantum proprie, ſed & translate; uti quum legum aut medicinae ſive *ſacerdotes* ſive *vates*, praecellentiſſimus quiſque earum artium ab antiquis dicebantur.

Sed & PROCERUM, quod ſtatim ſequitur, eſt alterum Pontificum ſynonymum, aevo ſequiore uſurpatum. Gloſſae Ms. apud Freſnium ſic habent: *PROCERES, praeceptores, doctores, magiſtri* &c. quod praecipuum eſt epiſcoporum miniſterium.

(571) Pulchre locus, ubi antea ſepultus fuerat, ſignificatur, *In abdito ſcil. inferioris ſecretarii*, quod erat in veſtibulo baſilicae, ubi Leo quaſi janitor excubabat. Confer diſtichon ſeptimum.

[*] Prave in Grutero tranſponebatur, *Inſidians ne lupus.*

[572] Videbatur legendum fuiſſe *Scripti... libri*; aut ſaltem *Miſſi* tantumdem eſſe quod *Emiſſi* i. e. evulgati. Sed neutrum verum eſt. Nam praeter Sermones, qui huc non pertinent, non aliud Leonis exſtabat, quam decretales epiſtolae, eaeque partim dogmaticae [*pro recto dogmate*, inquit Sergius] partim de diſciplina. Idcirco heic *Mittendi* verbo utitur, quia de Epiſtolis agitur; ſed bene longis, quae ſicuti Graecis recte λόγοι dicerentur, ſic Latine non ineleganter *Libri.*

[573] In Grutero PRAVA pro *mala.* Omnino praviſſime, quippe repugnante ſyllaba.

Rugiit (574) & pavida ſtupuerunt corda ferarum ,
Paſtoriſque ſui juſſa ſequuntur oves .
Hic tamen extremo jacuit ſub marmore templi ,
Quem jam Pontificum plura (575) ſepulchra tegunt (576) .
Sergius antiſtes Divino impulſus (577) amore ,
Nunc (578) in fronte (579) ſacrae tranſtulit inde domus ,
Exornans rutilam (580) precioſo marmore tumbam (581) ,
In quo poſcentes mira (582) ſuperna vident .
Et quia promicuit miris virtutibus olim ,
Vltima Pontificis gloria major erit .

Sedit (583) in epiſcopatu annos XXI. menſem I. dies XIII. Depoſitus eſt III. Idus . . . . (584) & iterum translatus huc a beato Sergio IV. Kalend. Julii Indict. I.

C A P. III.

Quibus ex cauſis , quove tempore die XXVIII. Junii cum Leone Magno Leo II. confundi , aut eidem ſubrogari coeperit .

Difficilem ſane inquiſitionem, ac denſis ignorabilis aevi ſequioris tenebris obſitam aggredimur . Jam primum ut inde uſque ordiar ; Leonis ſecundi annum emortualem non alium fuiſſe quam DCLXXXIII. ex inſigni Lunae (585) defectione in libro pontificali memorata

ſua-

[574] Leo ipſe : in cujus nomine luditur .

[575] In Oxonienſi PVLCHRA , ſed in Vitoniano & Grutero ut edidimus .

[576] Gruterus CELANT, ſed in Oxon. & Viton. ut poſitum eſt .

[577] Modeſte Sergius de ſe , amore Divino ſe coactum fatetur , revelationem interim diſſimulans : quam tamen auctor vitae Sergii minime diſſimulavit , his verbis utens , *Ut ſibi fuerat revelatum* . Sic S. Ambroſius epiſt. ad Sororem de inventione SS. Gervaſii & Protaſii, de viſo modeſte tacet , tantum illud mutiens , *Dominus gratiam dedit* . At de clara Ambroſii revelatione meminere S. Auguſtinus, & S. Paulinus Nolanus. De quo vide ad XIX. hujus menſis.

[578] Grut. NVNC , aliquanto melius , quam quod Queſnelius edidit HVNC .

[579] Hoc illud eſt quod Sergius in Pontificali ex *abdito inferioris ſecretarii* narratur *publico loco repoſuiſſe* . *Frontis* nomine apſidem intelligit , ſed ita ut ad latus ſepulcri B. Petri jaceret .

[580] Pontificalis liber in Sergio his verbis utitur : *Facta diligentius tumba* [Leonem] *publico loco ... repoſuit, ac locum ipſum ornavit* . Ubi & *tumbae* vocem, & loci ornamenta habes.

[581] In Grutero erat *Rutilum . . . tumbam* . Quod quidem non abhorret a Sergii saeculo . Bobii in Italia exſtat epitaphium S. Cumiani epiſcopi Hiberni , in quo legitur *Pretioſo lapide TVMBVM decoravit* . Sed malui Vitonianum & Oxonienſe Ms. ſequi .

[582] Vox *MIRA* ad miracula aut curationes referri poteſt ; ſed VIDENT mirum ni ad *viſa* ſive revelationes pertineat. Prius (h.e. miracula) ſecutus eſt Queſnelius in diſſert. *de vita & geſtis S. Leon.* At equidem poſterius malim , maxime quum [praeter vim verbi *Vident*] MIRA cum epitheto SVPERNA vix aliud notare videatur . Dabatur fidelibus ad ſanctorum tumbas pernoctare . Interim obdormiſcentibus viſa ſuperna offerebantur . Hoc ipſum apud gentiles imitatus eſt diabolus , tum in Aeſculapii templo Romae , tum alibi in Jovis & aliorum idolorum fanis : unde toties illud EX VISO aliquid factum in marmoribus legitur .

[583] Haec quae proſa oratione ſequuntur, tantum in Vitoniano codice leguntur , ex quo Mabillonius eruit , uti ſupra admonuimus .

[584] Exeſas hujus loci litteras haud dubie vox *Aprilis* implebat ; ſic enim cum Pontificali conſentiet, ubi in Leone ſic legitur : *Sepultus eſt apud baſilicam B. Petri Apoſtoli III. Idus Aprilis* .

(585) Liber pontificalis in Leone II. narrat , ſedente hoc Papa , die XVI. Aprilis Fer. V. in caena Dni Indict. XI. notabilem Lunae

eclipſin

ſuadetur. Eumdem vero die XXVIII. Junii fuiſſe ſepultum in ſubjecta (586) adnotatione oſtenditur. Eodem autem die XXVIII. Junii, quo Leo Secundus ſepulturae nuper traditus fuerat, quinquennio poſt (h. e. anno 688. ut cap. ſuperiore §. 2. diximus) Sergius Papa reliquias ſenioris tranſtulit. Conſilio ne an caſu Sergius eum diem translationi peragendae aſſignaverit, quo die ante quinque annos Leo junior ſepulcro mandatus fuerat, mitto quaerere. Interim hoc certum eſt, ab illo tempore diem XXVIII. Junii duorum Leonum memoria fuiſſe inſignitum; ſenioris translatione, junioris vero depoſitione. Imo & hoc certum eſſe debet, ab illo tempore in unam eamdemq. Miſſam utriuſq. memoriam coiviſſe: de quo (quia mirificum, ſat ſcio, pleriſque videbitur, & permagni eſt ad hanc diſquiſitionem momenti) proderit pro rei dignitate diſſerere.

Jam ſupra in Adnot. 559. animadvertimus in Gregoriano ſacramentario reperiri Miſſam pro *Natali* h. e. translatione Leonis Magni; etſi ea non ipſum Gregorium auctorem agnoſcat, ſed ſtatim poſt annum 688. (quo ea translatio facta) addita fuerit. Ex ea vero Miſſa haud obſcure licebit deprehendere, eam ita fuiſſe contemperatam, ut ſimul & in unius inter Caelicolas jam publico judicio adſcripti memoriam, & in alterius nondum plane adſcripti *Agendam* [uti vocabant] anniverſariam conveniret. Nam quia in unum eumdemque diem tria incidebant Officia, Senioris Leonis translatio ſeu natale, Junioris depoſitio, & Apoſtolorum vigilia; grave videbatur totidem Miſſas celebrare. Quare ita rem componi placuit, ut duae tantum Miſſae fierent, una de Vigilia, altera vero de utroque Leone, h. e. in ſenioris *ἀνάμνησιν* (*commemorationem*) alterius vero ſuffragium. Ea ſane diſtinctio ſatis luculenter ex ejus Miſſae collectis poteſt intelligi: in qua oratio quidem prima (*Deus qui B. Leonem Pontif. ſanctorum tuorum meritis coaequaſti &c.*) itemque tertia ſive *Ad communionem* [*Deus qui animae famuli tui Leonis aeternae beatitud. praemia contuliſti &c.*] eaedem omnino ſunt, atque eae quae hodiedum in Miſſa diei XXVIII. Junii [quae tamen Miſſa hodie ad Leonem Secundum pertinet] recitantur. At vero vetus eorumdem Sacramentariorum Secreta paullulum ab hodierna variat. Nam in illis Secreta ſic concipitur: *Annue nobis, Domine, ut ANIMAE FAMVLI TVI LEONIS HAEC PROSIT OBLATIO* [quorum verborum loco jam inde ab Innocentii III. aevo nunc legitur, *Vt interceſſione B. Leonis haec nobis proſit oblatio*] *quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta*. Ex his luce clarius eſt, primam & tertiam ad Magnum Leonem, jam pridem caeli civem agnitum, pertinuiſſe; Secretam vero [quae non cantabatur, ſed plana voce pronuntiabatur] ad Leonis Secundi eodem die depoſiti ſuffragium fuiſſe referendam.

Hinc vero videtur factum, ut ea duarum

eclipſin incidiſſe: quae eodem plane die & modo, quo ibi deſcribitur, anno 683. eveniſſe a Calviſio demonſtratur: quo etiam anno Indictio XI. decurrebat. Itaque certum eſt, eo quo diximus anno Leonem ſediſſe. Jam vero ſi vera eſt menſium X. dierum XVII. duratio, quam eidem Pontificale tribuit, neceſſe eſt eum, utpote anno ſuperiore ordinatum, eo ipſo anno 683. e vivis exceſſiſſe. Etſi non defuere viri eruditi, qui alias ſecuti vias, ſive ampliora ſpatia hujus Pontificis ſedi tribuerint, ſive omnino ita rem compoſuerint, ut is anno ſequenti ad plures abierit. At nos interim tritam ſecuti viam, non moramur, quin Leo anno 683. defunctus credatur.

(586) Diem emortualem non ſolet Pontificale adſcribere, ſed ſepulturae. Leo autem ibidem in aliquot codicibus ſepultus ſcribitur *ſub die V. Nonas Julias*, h. e. die III. Julii, in aliis *IV. Kal. Julii* h. e. die 28. Junii. Quam poſteriorem lectionem eſſe praeferendam, ex meliorum exemplarium fide Baronius, quique Anaſtaſii vitas in praeclara editione Blanchiniana ſuis adnotationibus illuſtrarunt, aperte profitentur: ut omittam quod non alia de cauſa Leo Junior Seniorem de die 28. Junii dimoverit, quam quia re vera in eum diem Depoſitionem Junioris incidiſſe, pro confeſſo haberetur.

rum diversi generis Missarum coagmentatio pluribus fraudi fuerit, dubitantibus, utrum de Seniore an de Juniore Leone ageretur. Nono saltem saeculo id forsitan veriti martyrologi, διακριτικόν [*discriminans*] quidpiam alii aliud addiderunt: ut Ado, *Qui merito excellentis ingenii apud Romanos Magnus Leo appellatur*: Usuardus, *Leonis Pontificis atq. Doctoris*: quasi scil. praecaventes ne pro Seniore Junior annuntiari crederetur. Quae ipsa praecautio dat forsitan suspicari, nono saeculo non defuisse parum eruditos, qui die 28. Junii Juniorem Leonem, cujus depositio in eum diem incurrebat, celebrari putarent.

Sed interim ineunte XII. saeculo aliquid incidit, quod videtur Leonis II. cultum jam tunc temporis agnitum arguere. Id vero proderit ex verbis Romani presbyteri cognoscere, qui haud diu post rem gestam h.e. sub Eugenio Papa III. Vaticanae basilicae descriptionem edidit: in qua (apud Papebrochium hoc die in Leone II. num. 4.) legitur: *Leonem Secundum* [de priore utique sepulcro levatum] *cum Tertio Quartoque in Oratorio Leonis IV. Papae, sanctae recordationis D. Paschalis Papa II.* (qui ab anno 1099. ad 1118. sedit) *recondidit*. Ex his verbis vix dubitandum relinquitur, quin ea sollemnis atque religiosa translatio fuerit; ex qua licet suspicari, eos Leones tres sive tum primum per eum sollemnem levationis atque translationis ritum inter caeli cives fuisse adscriptos (de quo ritu vide [587] alibi dicta) sive potius eosdem (aut saltem Leonem II.) jam pridem antea ecclesiae Romanae judicio in caelicolarum catalogum fuisse relatos.

Jam vero quum ab eo tempore Leo II. in conspectissimo basilicae loco positus cultura publica frueretur; tunc credo accidisse ut secreta illa, in qua pro anima Leonis orari videbatur, immutaretur in eum modum, quo nunc die XXVIII. Junii legitur. Quam mutationem Innocentius III. anno 1212. [centesimo scil. post translationem Secundi] ad Archiep. Lugdunensem scribens [cap. *cum Marthae* §. 2. extra *De celebr. Missarum*] & jam olim factam testatur, & simul jure factam tuetur his verbis: *Tertio loco fraternitas tua requisivit, quare fuerit mutatum, quod in secreta beati* [588] *Leonis secundum antiquiores* [589] *codices continetur, sic videl.* Annue nobis Dne, ut animae famuli tui Leonis haec prosit oblatio: *quum in modernis sacramentariis habeatur:* Annue nob. quaes. Dne, ut intercessione B. Leonis haec nobis prosit oblatio. *Super quo respondemus, quod quum Sacrae* [590] *Scripturae dicat auctoritas, quod injuriam facit martyri qui orat pro martyre: idem*

(587) Vide in Diatriba, quam in vestibulo hujus Commentarii praemisimus, ubi de episcopor. Neapolitanor. sollemni translatione ab S. Joanne IV. facta.

(588) *Beati Leonis* dicit, non addens *Primi* an *Secundi*, quia antiquitus id genus discrimen in Missarum titulis non notabatur. At ex eo silentio ignorare cogimur, utrum tempore Innocentii III. ea Secreta de Magno an de juniore Leone intelligeretur. Si prius; id argueret, idcirco fuisse mutatam, quod Leoni Magno [cui post juniorem inter sanctos relatum tota jam Missa attributa fuerit] minime conveniens esset. Si alterum; ex eo intelligeretur, Leonem Secundum, postquam inter caelicolas adscriptus fuit, sive coepisse die 28. Junii omisso Seniore solum coli [itaut non sola Secreta, sed jam tota Missa ad Secundum referretur] sive placuisse ita cum Magno copulari, ut Secreta, jam dudum ejus peculiaris, non suffragii specimen praeberet, sed gloriae Sancto jam agnito debitae significationem.

(589) Hoc loquendi genus satis significat, hanc mutationem non ab ipso Innocentio factam, sed forsitan ante centum annos, postquam scil. Junior a Paschali translatus, agnosci pro Caelicola coepit. Jam tum enim decuit Secretam mutari. Hinc tempore Innocentii III. duum generum erant codices, ANTIQVIORES uni, in quibus Secreta nondum mutata reperiebatur, MODERNI [ut infra is loquitur] alteri, in quibus eadem secreta correcta legebatur.

(590) Sacrarum Scripturarum nomine apud antiquos Christianos codices omnes in ecclesiis usurpati veniebant, quos persecutores tradi

idem est . . de Sanctis aliis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent .... Unde quod plerisque in orationib. continetur: Prosit *vel* Proficiat huic sancto vel illi talis oblatio, ad gloriam & honorem : *ita debet intelligi , ut ad hoc prosit, quod magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris* &c. Quibus verbis hoc tantum Papa respondet , illud de quo quaesitum fuit , mutatum oportuisse, quia indignum videbatur, si pro Sancti anima orationes funderentur : at utrum ea Secreta de Leone I. an II. tunc intelligeretur , non dicit. Neq. id vero ex missalibus ante aut post Innocentium exsculpi potest ; quibus hic semper titulus praefigebatur , *In Natali beati Leonis* , ceterum *Primi* an *Secundi* omittebatur; sicuti hodiedum eadem quae antiquitus Missa legitur sub lemmate , *In festo S. Leonis* , omisso *Primi* aut *Secundi* discrimine .

Quaerendū est igitur quonam temporis articulo eadem Missa[quae olim de Primo erat cum Secreta Secundi] Leoni Secundo imputari universa coeperit . Id vero non tam ex Sacramentariis sive Missalibus , quam ex Breviariis , & Lectionariis , aliisque libris ad Cursum ecclesiasticum pertinentibus[qui olim plures erant, nunc vero in uno Breviario ac Missali coartantur] erui facillime potest , maxime ex iis lectionibus , quae ad Sancti historiam pertinent. Id porro aliis,maxime Romanis rerum liturgicarum studiosis , praesertim qui tanta scriptorum codicum omnis aetatis copia circumfluunt , eliquare facillimum erit , ac decernere utrum ante Innocentium III. [ubi primum Secreta mutata fuit] coeperint officia totusque cursus ecclesiasticus in Secundum Leonem transfundi , relicta Leoni Primo sola XI. Aprilis,festivitate.

Si quid interim augurari datur , videntur XI. ac XII. saeculo , & deinceps ecclesiae fluctuasse , dum heic de Primo , illic de Secundo ageretur , sive [ut planius dicam] dum,manente eodem Missae tenore , hi Primum Leonem , illi Secundum sibi honorandum proponerent . Id quidem etiam ex diversis Vsuardini mrologii apographis pro diversarum ecclesiarum & monasteriorum captu varie amplificatis aut interpolatis [quas varietates omnes Sollerius Vsuardi sui auctariis adjecit] potest intelligi; in quibus hodierni festi annuntiatio ita concipitur,ut saepius quidem in Primum , haud raro autem in Secundum congruat .

Post eam vero diuturni temporis variationem , videtur mihi tandem ad quamdam stabilitatem quavis fluctuatione deteriorem ventum fuisse , nempe ut eadem sacramentarii Missa [nisi quod Secreta reficta fuit] remanente,& tamen λιτουργούντων intentione in Secundum Leonem versa , interim Officii Divini lectiones [quas antea necesse est alibi alias fuisse lectas , prout Primum aut Secundum sibi celebrandum proposuissent] eae, inquam , utriusque Leonis lectiones in unum

tradi a Christianis jubebant . Ideo monemus , quod in Divinis Scripturis hoc , quod heic Pontifex innuit , non reperitur , sed in S. Augustini serm. 17. de verb. Apost. & alibi : quae loca produxit Pithoeus in adnotatis ad hanc decretalem .

Confer etiam Cotelerium ad Clementis Constit. VI. 30. Nam quum ibi Pseudo-Clemens scripsisset : *Congregamini in coemeteriis , lectionem sacrorum librorum facientes atque psallentes* (ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων μαρτύρων , καὶ πάντων τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος ἁγίων, καὶ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν τῶν ἐν Κυρίῳ κεκοιμημένων) *PRO defunctis Martyribus , & omnibus a saeculo sanctis , & pro fratribus vestris , qui in Domino dormierant : item antitypam regalis corporis Christi* ... *Eucharistiam offerte in Ecclesiis vestris & in coemeteriis* &c. quum haec inquam Clemens praecepisset ; vetat Cotelerius id sic intelligi , quasi precemur ut illis peccata donentur , sed potius ut nobis illorum merita precesque proficiant , in quorum memoriam precationes effundimus , gratias Deo de illorum triumphis agentes . Eam vero sententiam exsculpi ait ex veteribus Liturgiis,etiam Clementis,ex Constantini orat. ad sanctor. coetum cap. 12. adhaec ex Cyrillo Hierosol. ex Epiphanio,Chrysostomo & aliis , quos ibi cum hac Innoc. III. decretali in testimonium vocat .

unum conflatae coalescerent: id vero credulitate tanta [pro Deus bone !] factum fuit, tamquam si eae duorum cognominum Pontificum lectiones ad Papam unum [nempe Leonem II.] pertinerent, ac necesse esset hujus vitam, quasi si manca esset, ex alterius lectionibus suppletam resarcire. Eam, quam dixi σύγχυσιν (*confusionem*) tum in meo Breviario [591] Capuano, tum etiam in Petro de Natalibus reperio: quam credo & in aliis pluribus rudiorum saeculorum monumentis repertum iri.

Ergo in Capuano Breviario hoc die prima lectio non nisi Secundi Leonis res continet, quae ex libro pontificali exscripta, talis est. *Leo* [592] *junior natione* [593] *Siculus ex patre Paulo: sedit menses decem*,

(591) Id breviarium etsi ad finem XV. saeculi editum, ac recentioribus [puta SS. Dominici, Francisci, Thomae Aquinatis] festis minime careat; tamen ab his ubi discesseris, multam praesefert rituum, lectionum, ac diversi generis fragmentorum antiquitatem.

(592) Istud *Junior* permagnam praesefert antiquitatem ejus codicis, unde haec lectio hausta fuit. Nam quum Leo hic *Siculus* dicatur, haud dubie Secundus est. At idem *Junior* [comparate scil. ad seniorem, qui Magnus est] dici octavo saeculo poterat, at postea non potuit, ubi ad saeculi VIII. finem sedere Tertius coepit. Nec enim comparativa *Junior* et *Senior* nisi inter duos procedunt. His scriptis, animadverti, etsi in vulgato Anastasio istud *Junior* desideretur, at non abesse ab antiquissimis tribus codicibus, quarum lectiones in Muratoriana Anastasii editione Saxius excerpsit. Haec igitur vita octavo saeculo conscripta fuit, nec Anastasium [sicuti nec pleraque vitarum pars] auctorem habet.

(593) *De Leonis II. natali solo. Fabella de eo & duobus aliis Pontificibus in Aprutio Ulteriore natis exploditur.*

Leonem secundum domo Siculum fuisse, cum Anastasio duce omnes uno ore antiqui juxta ac recentiores scripserunt. At Bailletus ad 28. Junii mira narrat, dum eum in Aprutii Ulterioris urbecula, *Cedella* nomine, in *Valle Siciliae* (id ei tractui ait fuisse nomen) ortum narrat: id quod locum opinioni dederit eorum, qui Siculum existimarunt. Id cum tanta confidentia prodat, nec ejus rei argumenta aut auctorem producat; crederes eum receptissimam & jam confessam narrationem sequi. Tamen diu ejus rei documenta quaerens, vix tandem in Ciaconio sic reperi: *S. Leo II. Junior dictus ex Cedella territorio Vallis Sicilianae in provincia Ulterioris Aprutii, patre Paulo Meneio medico, ex canonico Regulari S. R. E. Presb. Cardinalis, tertius decimus Papa regnicola* &c. Ex paucis his verbis satis patet, quam noster Ciaconius fuerit ad credulitatem pronus, qui etiam cognomen patris, & quae sequuntur plane mirifica sciverit. Sed & Scipionem Mazzellam eidem Valli Sicilianae in Aprutio vindicasse Leonem reperio.

Verum si quidem Leo cuipiam extra Trinacriam Siciliae sit adjudicandus, praestabit eum Brutiis ac nominatim Rhegio adscribere. Ac propemodum assentirer Thomae Aceto ad Blanchinianum Anastasium adnotanti, Ciaconio & aliis imposuisse nominis affinitatem, quippe qui pro BRUTIIS IN VALLE SICULA (quam prope Rhegium esse testatur) *Aprutium* sibi videre visi sunt, in quo & Vallem Sicilianam esse ajunt: assentirer, inquam, si exploratiora totius rei documenta protulisset. Nam Gabriel Barrius in de antiquitate & situ Calabriae [ad quem nos Acetus ablegat] lib. I. & III. nihilo plus documentorum affert: nisi quod confidentia tanta Leonem II. Brutiis asserit, quasi si id in confesso apud populares suos habeatur.

Quamquam ne Brutiorum quidem possessionem quietam dixerim, quum omni aevo veri Siculi h. e. insulani, summa ope hunc sibi Pontificem arrogaverint: quorum documenta licebit ex Mongitorio cognoscere qui strenue nuper Siculorum causam peroravit.

Haec jam a me scripta, imo & typographicis formis composita, prelum exspectabant, quum ecce vir amicissimus atque eruditissimus Antonius Antinorius Archiep. Anxanensis (sollertissimus in primis patriarum antiquitatum indagator; a quo viros eruditos Regni Neapolitani aevi medii τὰ γεωγραφούμενα exspectare jubeo) plura mihi pro humanitate sua nuntiavit: quorum praecipua heic saltem indicabo.

I. Quin *Vallis Siciliana* [ex pluribus pagis vicisque ea regio componitur] in Aprutio sit adhuc, non est dubium. Exstat in *Insula* (quae una est ex Vallis Sicilianae pagis) inscriptio anno 1529. cum VALLIS SICILIANAE mentione, quam nim. dicto anno posuit *Ill. ac strenuus heros Fernandus Alarconius Vallis*

decem, dies decem & septem: vir eloquentissimus, in divinis scripturis sufficienter instructus: Graeca Latinaque lingua eruditus: cantilena ac psalmodia praecipuus: & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus: lingua quoque scolasticus & eloquentia majori lectione politus. Exhortator omnium bonorum operum: plebique florentissime ingerens scientiam; paupertatis amator: & erga inopes provisione non solum mentis pietate, sed studii sui labore sollicitus. Porro qui hanc Lectionem cum Mu-

Vallis Sicilianae regulus. Ab Alarconiis id feudum in Domum Mendozzam transiit, ac possidetur adhuc ab ejus nobilissimae familiae superstite ultima.

II. Ad *Cedellam* quod attinet, in qua natum Leonem II. Ciaconius perhibet; ea hodie non exstat. Tamen patriarum originum periti conjiciunt, villas omnes, quae in Valle Siciliana nunc generali nomine *Fiamignani* continentur, iis olim commune *Cedellae* nomen fuisse. Fides sit penes auctores suos.

III. Postremo de eo, utrum Leo II. [ut & S. Agatho Papa; de cujus etiam natalibus vulgo Vlterius Aprutium gloriatur] ex Valle Siciliana ortum duxerit, etsi provinciales dubitari vetant, tamen, quum satis idonea documenta desint; noster Antinorius nihil temere affirmandum monet. Tametsi fieri posse innuit, ut tum Agatho, tum Leo II. in insula quidem Sicilia orti, postmodum vero in uno ex monasteriis S. Equitii (quae monasteria plura fuisse in provincia Valeria, cujus ambitu hodierna *Vallis Siciliana* continetur, Noster docet) monachi fuerint; ex tali vero aliquo monasterio demum ad Rom. pontificatum processerint. Hactenus ex nostri Antinorii litteris ante hos ferme dies triginta datis depromere juvit.

Atqui quum jam haec una cum superioribus prelo committenda essent; commodum in ipso aleae jactu ejusdem saepe laudati Antinorii ad me curae posteriores volitant: ex quibus, ingratissimus sim, nisi praecipua rerum capita decerpsero, cupidoque harum cupediarum lectori apponam.

Tres maxime Romanos pontifices Vlterius Aprutium contra libri Pontificalis auctoritatem hodie sibi vindicat, SS. Agathonem, Leonem II. ac Stephanum III. aliter II. Ea vero persuasio non ante finem saeculi XVI. in vulgus prodiit: quo tempore Mazzella & Ciaconius eam scriptis a se libris evulgarunt. Idem quoque in Claudii Crispi Aquilana historia reperies. Imo, si Antinorii conjecturae credimus, Crispus [utpote Aprutii sui gloriae in majus erigendae deditus] videtur hasce notitias cum pluribus aliis Mazzellae & Ciaconio, ab eis consultus, propinasse; etsi, quia serius postea Crispus urbis Aquilae historiam publici juris fecit, quum Agathonem in Aquilae suae territorio natum scripsisset, non dubitavit ejus opinionis Ciaconium, utpote multo antea editum, auctorem laudare.

Verum his missis: haud diu certe ante Mazzellae & Ciaconii tempora ea opinio nata & confota videtur. Nam praeter Pontificalis libri auctoritatem, in quo *Siculi* fuisse ii pontifices scribuntur, etiam posteriores illo scriptores, & Platina hanc de Aprutio fabulam ignorarunt: quam etiam Joannes Stella ignoravit, qui ineunte saeculo XVI. [h. e. anno 1505.] Venetiis vitas Rom. pontificum edidit, eosque de quibus quaerimus, Siculos fecit.

Accedit illud quoque quod quae Aprutii Vlterioris regio tû hodie tum Crispi & Mazzellae temporibus *Vallis Siciliana* vocabatur, ea anno 1529. non SICILIANA sed SILICIANA dicebatur. Cujus rei testis prodeat ea ipsa epigraphe, quam supra ex Antinorio protulimus: quam accuratius descriptam sic idem in suis posterioribus curis exhibet. *Divo Jacobo sacrum. Ill. ac strenuus heros Fernandus Alarconius VALLIS SILICIANAE regulus pro singulari pietate & religione posuit: florente in praetura Nobili Degho Florio ejus alumno operisque curatore accuratissimo. MDXXIX.* Itaque usque ad annum 1529. non dum quisquam de eorum pontificum in Valle SICILIANA incunabulis somniaverat, quippe quae tunc temporis adhuc SILICIANA vocabatur. At vero post id tempus detorqueri ea vox coepit, itaut sensim SICILIANA nuncuparetur. Quae appellatio ubi usu satis firmata fuit, etiam fabellae [de illis scil. pontificibus Vallis Sicilianae civibus] ansam praebuit. Quam postremo narrationem Mazzella, Ciaconius, atque Crispus in sua scripta transfuderunt. At eadem fabula Anxanensis Archiepiscopi nostri (veritati magis quam Aprutii sui gloriae litantis) curis atque sollertia facessere nunc tandem jubetur.

Taceo quod eidem Cl. viro non aliunde videtur Ciaconius fabulam de Gregorio II. *Canonico Regulari* hausisse, quam ex Joanne de Nigra valle Bibliothecario Apostolico; in cujus scil. libro *De sacro Canonicor. Regularium ordine* Brixiae anno 1536. edito, Leo II. inter Canonicos Regulares refertur.

Muratoriana & Blanchiniana Anastasii editione comparaverit, habebit unde aut hinc Anastasium, aut inde hanc Lectionem emaculet. Haec obiter.

Hactenus autem nō nisi Leo Secundus est; nec dum enim pennas, ut illa Aesopi avicula, aliunde adscitas habet. At vero altera ac tertia lectio res Magni Leonis in Juniorem transfundunt. Nam altera sic incipit: *HIC* [nim. junior Leo] *Calcedonium* [*] *concilium celebravit* &c. Mox ibid. & lectione tertia res adversus Attilam ferocientem a Leone [qui tamen semper Secundus est] prospere gestae narrantur. Tertia tandem sic desinit: *Obiit autem beatus Leo* [Secundus scil.] *circa ann. Dni quadricentesimum sexagesimum*. Quae tamen re vera aetas Primi est.

At Petrus Equilinus Episcopus (in mea editione Veneta anni 1500.) sic orditur: *Leo Papa hujus nominis Secundus, natione Siculus.. Agathoni.. successit: seditque annum* (594) *unum, menses X. dies XVII.* Deinde ubi plura de eo partim ex Pontificali, partim aliunde corrasisset; ad extremum alia quaedam habet Leonis Magni propria. Cujusmodi illa S. Petri apparitio est ei facta, qua dixit, omnia ei peccata fuisse remissa praeter peccatum manuum impositionis: quod tamen Amos Patriarcha Hieros. de Leone Primo narraverat. Vide Tillem. Artic. 174. Item quae de epistolis decretalibus, & sermonibus a Leone scriptis prodit, ea sunt Magni peculiaria. Mitto quod Gennadium auctorem citet [qui nō nisi de Primo loqui potuit, utpote Secundo antiquior] & ex eo narret, Leonem (595) *Sermologum*

(*) Quid huic faceres? qui postquam imbibisset, hoc die Juniorem celebrari, mox in Adone eodem die sic scribi animadvertit: *Natalis S. Leonis Papae: cujus temporibus exstitit sancta Synodus Chalcedonensis.* Nec enim tam acutus fuit, ut Seniorem, de quo Ado, ab Juniore discerneret. Eadem origo est narrationis de Attila, deque aetate qua vixit. Nam quidquid die XXVIII. Junii Leoni Magno tributa sive in mrologiis sive in lectionariis invenerunt, ea sedulo istius aevi homines in Secundum derivarunt.

(594) *Annum unum* Pontificali addit: in quo scribitur: *Sedit menses decem, dies septem & decem.* Sed videtur Noster aliquo codice usus, in quo Leonis sedi eadem spatia tribuebantur. Qui annus sedi additus, forsitan interpontificio detrahebatur, non quidem illi quod inter Leonem & Benedictum II. intercessit (nam huic idem in Equilino, quod in Pontificali adscribitur) sed ei quod ab Agathone ad Leonem decurrit. Nam post Agathonem vacasse sedes *annum unum, menses septem, dies quinque* in hodierno Anastasio legitur. At ab exemplaribus, quibus Petrus de Natalib. utebatur, aberat forsitan illud *Annum unum*. Aut certe ab aliis historicis sumptum id totum fuit. Scimus inter recentiores Onuphrium, inter antiquos autem Martinum Polonum in *de mirabilibus Romae*, interpontificium quod inter Agathonem & Leonem intercessit, ad septem menses contraxisse, dempto scil. anno uno: quem annum Leonis sedi restituere oportuit, ut tempora sibi constent.

Itaque quod quidam nostrae aetatis chronologi hanc methodum tenuerint, ut quantum de interpontificio demerent, tantum sedi Leonis adderent, id antiquitatis suffragatione non caret.

(595) Abest ea vox a Gennadio. Sed sive in Gennadii interpolato exemplari, sive certe alicubi eam Equilinus legit. Nec dubitaverim, quin id elogium aliquando tributum Leoni Magno fuerit, modo pro *Sermologus* [quae vox hibrida est], legatur unius litterae additione *Spermologus*. Porro σπερμολόγος (*spermologos*) Act. XVII. 18. a philosophis de Paulo per irrisionem usurpatum legitur: pro quo vocabulo Vulgatus interpres *Seminiverbius* reddidit. At eo Latino nomine sequior aetas laudis loco pro Concionatore scil. evangelico usa fuit (exempla vide in Cangio) quasi scil. *Seminiverbius* sit Evangelicus agricola *qui exit seminare semen suum* h. e. Verbum Dei. Qua ratione Leo Magnus Latine *Seminiverbius*, Graeco autem vocabulo *Spermologus* nuncupatus olim videtur, postea corrupte *Sermologus*. Eadem plane corruptio apud Mamotrectum occurrit: qui ad locum cit. Actorum notat: *Seminiverbius i. e. Seminator verborum, quasi Sermologus*. Imo potius *Spermologus*. Sed parcendum aetatis istius barbariae, qui Graeca vocabula ad Latina propiora detorquebant.

Ceterum SERMOLOGUS (teste Beleto cap. 59.) est liber ecclesiasticus continens Sermones Pontificum Rom. & aliorum qui in cursu Eccle-

gum fuisse vocatum. Quod tamen frustra in Gennadio quaeras.

Ad ultima duo saecula quod attinet: Belinus qui anno 1498. Vsuardi mrologium auxit ac refinxit; tamen hoc die de Primo an Secundo intelligat, incertum est; ait enim: *B: Leonis Papae & confessoris*: quae in utrumq. possunt convenire. Sed tamen quia illud Vsuardinum *Doctoris* sustulit, de Secundo suspicionem praebet. Deinde tamen Maurolycus & Galesinius, quum in Romanae Curiae usum eumdem Vsuardum amplificassent, haud dubitare sinunt, quin hoc die Secundum colendum proponant. Molanus autem [Maurolyco junior, Galesinio antiquior] in priore sui Vsuardi editione Primum ex vera Vsuardi mente produxit: quod totum postea in repetita editione corrupit, Secundum haud dubie proferens. Hos ergo duces secuti octoviri fuere, quibus Mrologii Rom. recensio demandata fuit, dum hoc die Leonem non nisi Secundum annuntiant.

XXVIIII NT S PETRI APLI

XXX NT S PAVLI APLI

CVr sejunctim in hoc marmoreo Kalendario hi Apostolorum Coryphaei duo colendi proponantur, tradetur infra peridonea ratio. Nos contra secuti morem ceterorum, una communi tractatione ambos conjungemus. De quibus non tam nova proferre est animus (quid enim de iis novum depromi queat, in quibus quoquo modo illustrandis tot eruditorum ingenia desudarunt?) quam vetera quoad poterimus, illustriora facere.

Principio de eorum passione personatum *Egesippum* [sic enim potius, quam cum aspiratione auctor Excidii Hierosolymitani in Mss. inscribitur; qui tamen verius, ut ostendam, *Ex-Josippi* nomine donandus erit] h.e. Mediolanensem Ambrosium, qui sub ejus persona latet, loquentem faciemus. Quum tamen adhuc viris eruditis id obstinatum videam, ut hunc de Hierosolymitano excidio scriptorem alium ab Ambrosio esse jubeant; praemittetur a me προπαρασκευή [*praeparatio*] quaedam, qua *Egesippum* hunc non alium quam ipsum Ambrosium, sed adhuc juvenem, fuisse ostendetur. Id vero ubi accurate demonstraverimus; tum vero hunc [detracta tandem persona, quo plus auctoritatis habeat] Ambrosium de Apostolorum certamine narrantem in medium producemus. Postremo & de diversis eorumdem translationibus verisimiliora quæ visa fuerint, statuemus.

In sequentem digressionem

ADMONITIO

Postquam a viro gravissimo, cujus magna apud me auctoritas est, compulsus essem, ut in sequentem scriptionem incumberem; jam providere animo coepi, paullo longiusculam processuram: quantum quidem ex ὕλης *ad id sive jam seposita, sive comparanda augurari licebat. Jam vero oborta levis quaedam cum viro honestissimo de eodem argumento concertatio, magnopere vereor, quorsum eamdem tractationem sit protractura. Poterat, inquis, id totum operis ad Commentarii calcem reservari. Poterat id quidem. Verum vel ipse* DIGRESSIONIS *index [quem Parti huic I. praescripsi] fastidiosos*

Fffff 2

Ecclesiastico usurpantur, inde forsitan appellatus, quod (undeunde, sive scilicet ab Adventu Domini is liber inceperit, sive ab aliis insignibus festis) semper in iis Leo Magnus facit utramque paginam. Quia vero moris erat inde nomina libris ecclesiasticis imponere, unde ii libri incipiebant; hinc is liber aevo rudi atque inficeto *Sermologus* vocabatur; quia scil. Leo Papa (cujus sermones agmen ducebant) primitus quidem *Spermologus*, postea barbare *Sermologus* appellabatur.

sos lectores satis tutos praestabit : qui , si sapient , eam totam digressionem, sic tamquam Syrtim aliquam praetervehentur . Tum si qui erunt ; qui aliqua tantum delibasse contenti , ceteris large appositis abstinere decreverint ; ii censeo totum caput V. (cui Glossarium inseritur , in quo plurimum operae desudatum oportuit] praetereant . Praedixi jam : ne ceterum in morosa diligentia objicienda quidquam mihi crectur invidiae .

PARS PRIOR

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ

Sive DIGRESSIO ,

Qua Egesippi sive verius Ex-Josippi de excidio Hierosolymitano historia S. Ambrosio restituitur .

CAP. I.

De Egesippi cladis Hierosolymitanae historia ex Josepho translata . Hunc Ex-Josippum verius dici debere . Cur ea interpretatio ex S. Ambrosii calamo prodierit , argumenta omnis generis sigillatim exponenda proponuntur .

Exstant sub *Egesippi* nomine editi libri quinque *De excidio urbis Hierosolymitanae*. De qua historia duo ante omnia pro confessis haberi jubeo: quibus demum & tertium aliud adjungam , quod etsi hodie a plerisq. negatur, at & alias inter explorata numerabatur , & nunc quoque pro minime dubio haberi oportere , pluribus probare satagam .

I. Ac primum dubitari non potest, quin ea tota de qua loquor , historia pro liberiore Josephi Hebraei interpretatione sit prorsus habenda : pro translatione inquam ex Josepho celeberrimo historico facta , non vero sive ex seniore (596) Hegesippo ecclesiasticae historiae conditore , sive ex nescio quo altero recentiore (597) Hegesippo ; quod aliis in mentem venit . Qui quidem interpres ita filum historiae Josephi de Bello Judaico exacte sequitur , ut eam tamen ex libris ultimis ἀρχαιολογίας h. e. Antiquitatum [qua parte idem argumentum retexitur] pinguiorem faciat , interdum vero paucula ad Romanam historiam pertinentia aliunde arcessat, postremo & nonnulla Christiani dogmatis argumenta alicubi de suo aspergat . Et Egesippi quidem quatuor priores libri primoribus quatuor Josephi ejusdem argumenti respondent : at posteriores Josephi tres in unum

(596) Historiae hujus interpretationem ex antiquiore illo Hegesippo , cujus Eusebius meminit , transfusam , S. Ambrosio auctore , Ascensius credidit in praefatione ad primam suam *Aegesippi* [sic enim inscripsit] editionem. Hoc idem secutus videtur etiam Ludovicus Vives , cujus verba initio cap.3.producam . Hanc quidem opinionem a Corn. Gualthero praefat. ad suum Egesippum serio explosam , tandem nescio quis vir eruditissimus revocavit : is , inquam , quem Gronovius in sua Monobiblo [de qua infra] pag.2. *helluonem librorum* vocat , & pag.15. magnum *ecclesiasticae antiquitatis cognitorem atque interpretem* nuncupat ; quem etiam eadem pag. 19. & 20. & pag. 168. & 169. & in aliis Monobibli locis refellit .

(597) Mabillonius quidem visa cod. Ambrosiani initio carentis clausula libri primi [quae talis est : *EGESIPPI liber primus explicit*] necnon secundi inscriptione hujusmodi [*Liber secundus. Ambrosius Episcopus de Graeco transtulit in Latinum*] conjecit, Hegesippum juniorem quemdam (alterum scil. ab noto illo historiographo ecclesiastico) ex Josepho hos quinque libros Graece compilasse, quos demum Ambrosius Latine reddiderit ; sic enim Musei Italici tom.1.pag. 14. loquitur . *Fuerit ergo hic* (alter) *Hegesippus* [*si non fallit codex antiquiss...*] *qui ex Josepho forsan opus suum , maxime librum quintum , compilarit : & quidem Graece, si quidem Ambrosius secundum de Graeco Latine reddidit*. Hanc Mabillonius conjecturam facile imbiberat ex Corn. Gualthero; cui in praefatione ad suam Egesippi editionem anni 1559. (quae altera post Ascentianam principem fuit) in mentem venit dubitare , tum an non auctor Hierosolymitani excidii hujus Hegesippus aliquis recentior (alius utique ab historiae Ecclef. scriptore) fuerit , tum etiam an non idem *Graece* (id opus) *primum scripserit , postea ab Ambrosio aliove versum*. At viros doctissimos falsos fuisse, ex infra dicendis liquebit. Qui si saltem vidissent cod. Cantabrigiensis epigraphen (quae talis est : *Beatiss. Ambrosii episc. translatio ex Josepho* : ex Josepho , ait , non ex Egesippo) similesque alias cap. seq. producendas ; minime in eam hallucinationem incidissent .

unum coacti librum valde longum, qui nim. Egesippo quintus est, cernuntur: quod cur ita factum sit, aliis (598) de eo judicium libens permitto.

II. Sed & illud aeque certum est, verum auctoris nomen nec *Egesippi*, nec, ut in aliis Mss. scribitur, *Aegesippi*, aut vero [uti recentiores ex suo ingenio, contra fidem manu scriptorū, asperant] *Hegesippi* habendum esse; sed ea vocabula ab *Josephi* historici nomine fuisse detorta. Etenim aevo medio ejus nobilissimi scriptoris nomen ita scribebatur, ut P quidem duplicaretur, vocalis autem media, pro diversa Graecae vocalis *Eta* pronuntiatione, modo per E, saepius vero per I redderetur. Itaque pro Graeco Ιωσήπυ [nam in Josephi operibus per Π non per Φ id nomen scribitur] vocabulo, Latini aut *Joseppum*, aut vero *Josippum* efferebant atque scribebant. Atqui horum duorum prius illud rarius (*) reperies; posterius autem ferme perpetuum est. Itaque in hoc ipso, quo de agimus, Egesippo haud raro id nomen non alio modo quam (599) *Josippus* perscribitur. Ab *Josippo* igitur, quod pro primitivi historiographi nomine huic translationi praefigebatur, manavit *Egesippi* vocabulum. Quo quidem illud facit quod Colomesius adnotat, in perantiquis Js. Vossii membranis horum quinque Egesippi librorum, eraso priori nomini [quod tamen JOSIPPI fuisse, non obscure perspicitur] HEGESIPPI subrogatum reperiri. Et hactenus quidem dicta, saltem pleraque, alii ante me viderant. Confer Gronovii Monobiblon, vel saltem, qui ad omnium manus est, Guil. Caveum.

Quo vero pacto *Josippi* nomen in *Egesippi* tandem detortū fuerit, id paucis accipe. Nihil enim revera facilius ea interpolatione fuisse puto. Siquidem huic Latinae interpretationi hic initio titulus praescribi debuit: *Ex Josippi historia de excidio Hierosolymitano liber primus*, *secundus* &c. Deinde in aliquibus addebatur, ut infra exponam, interpretis Ambrosii nomen. Atqui quū illud EX cum sequente vocabulo [pro coacta scil. antiquorum scribendi ratione] coalesceret; is auctor principio quidem junctim *Exjosippus*, sive ex inolita (600) consuetudine EXGIOSIPPVS, vocabatur; at semidoctis amanuensibus

(598) Potest enim hoc dici, id ab interprete idcirco factum, quod quum priores libri quatuor longiores quam in Josepho (quippe quos interpres ex ἀρχαιολογίᾳ & aliunde pinguefecerat) processissent; tres posteriores [ut qui & in Josepho breviores essent, & in eos nihil ex ἀρχαιολογίᾳ transfundi potuerat] putavit in unum etsi paullo longiorem librum cogi posse.

Poterat vero & antiquis librariis (imo interpretis vicinis; nam etiam ille veterrimus codex Ambrosianus a Mabillonio inspectus, quum videatur VII. saeculi, tamen quinque haud amplius libros ostentat) id factum assignari: quibus postquam insedit, Hegesippum [illum dico antiquum historiae ecclesiasticae auctorem] hujus fuisse historiae parentem; putarunt absurde fieri, si septem in libros haec historia tribueretur; qui scirent, Hegesippum quinque non amplius libros historiae dedisse. Itaque tres ultimos, utpote breviores, sub una libri quinti epigraphe continua serie exhibere maluerunt. Sed prius malo. Imo praestabilius est rem scitu minime necessariam ignorare, quam in incerto conjectionum ludere.

(*) Hujus scriptionis non aliud documentum proferre possum, quam quod in Biblioth. Ambrosianae Ms. codice hic titulus libri quinti capitibus foliorum praeferri dicitur a Mabillonio: *IOSEPPI liber quintus*.

(599) Non nego nobilem historicum pluries passim in Egesippo nostro *Josephum* nuncupari. Tamen ille alter Antipatri filius, Herodis M. frater [qui quidem ab historico Josepho semper Ιώσηπος, haud aliter atque ipse scriptor, nuncupatur] in Egesippi translatione lib. I. cap. 22. initio *Josippus* vocatur; sicuti etiam eod. lib. cap. 30. bis eodem modo scribitur; & cap. 37. & exinde saepius.

(600) Eam consuetudinem intelligo, qua I consonum aevo medio ut G pronuntiabatur; apud Italos saltem, apud quos ex *Jubilo* fit *Giubilo*, ex *Jacobo* fit *Giacomo*, ex *Josepho*, *Giuseppe*. In quo ultimo vocabulo vides ab Italis simul I in G versum, P autem geminatum fuisse. Quae utraque mutatio haud parum profuit, ut *Egesippi* nomen ex priore illo, quod dixi, procuderetur.

Forsi-

bus [quorum auribus celebris scriptoris *Hegesippi* nomen adhuc personabat] praestabilius visum est, eidem illi auctori id opus esse tribuendum. Itaque iidem illi pro EXJOSIPPI sive *Exgiosippi*, alii *Egesippi*, alii *Aegesippi* [nam *Hegesippus* cum denso spiritu ab nostri hujus aevi correctoribus fluxit]nomen substituerunt. Et antiquitus quidem ad scriptorem Graecum, ex quo transfusa interpretatio fuerat, id nomen referebatur. At hodie eo audito nomine quum non alia, quam Latini scriptoris, quem adhuc terimus, menti species occurset; praestabit, si is nec *Hegesippus*, nec *Aegesippus*, nec postremo *Egesippus* [quod ultimum in scriptis & editis frequentius est]appelletur,sed potius EX-JOSIPPUS. Quod quidē vocabulum tum erroris originem patefaciet, tum simul interpreti, qui *Ex* Graeco *Josippo* hanc interpretationem expressit, aptissimum erit. Ea de causa etsi mihi non est dubium, quin S. Ambrosius verus ejus translationis auctor fuerit; tamen ut quam minimum ab vulgata hodierna nomenclatione discedam, is mihi interpres posthac *Ex-Josippus* nuncupabitur; tamdiu certe, donec, quibus argumentis eam scriptionem Ambrosio vindicatum imus, ea plenis virorum eruditorum suffragiis comprobari animadversum fuerit. Et ea quidem duo, quae hactenus exposui, pro exploratis haberi debere, non dubito.

III. Sed ne illud quidem in dubium mihi revocandum videtur, quin hujus historiae ex Graeco translatae interpres haud alius ab Ambrosio Mediolanensi fuerit. Id ejus operis vetustissimae membranae, ac primae editiones testantur: idem viri docti XV. & XVI. saeculi persuasum habuerunt; antequam scil. criticorum gens parum aequa, nequid gravius dicam, summum dictaturae imperium in libros invaderet, ut pro sua maxima voluntate auctores quoscumque libitum fuit, de suis veteribus possessionibus dejiceret; quas quidem modo aliis adjudicaret, modo quasi jacentes hereditates ac bona vacantia in medio relinqueret. Eidem Ambrosio favet Cassiodori auctoritas. Quamquam vero hoc opus utpote & historicum & ex Graeco tractum, nihil commune cum ceteris S. Antistitis libris habet; tamen haud pauca scita Exjosippo cū Mediolanensi communia deprehendere licuit,quae non possint non auctorem eumdem prodere. Jam vero stylus, quidquid critici obganniant, est plane Ambrosii αὐτότατος (*ipsissimus*) ut infra ostendemus; excepto quod luxuriantem Exjosippi adhuc juvenis copiam maturum Ambrosii judicium, uti fit, opportune depascitur. Adhaec eadem est prorsus dictio, eadem loquendi genera; & quaecumque ab usu remotiora sunt, utrique communia reperio: imo & nominum Hebraicorum orthographiam in utroque parem deprehendo. Quae quidem ac plura generis hujus ubi sigillatim ostendero; tum credo aequos harum rerum judices non moraturos, quin veterem possessionem viro sanctissimo vindicatum eant.

C A P. II.

A Cassiodoro primum, deinde ab omnis aetatis manu exaratis codicibus, adhaec prioribus duabus editionibus, necnon Angelo Decembre Exjosippi opus Ambrosio asseri ostenditur.

Senator, vir pro captu sexti saeculi eruditissimus, libro de Instit divinar. litter. ubi se dixisset curasse, ut Josephi XX. Antiquitatum libri in Latinum converterentur, quod eos nondum traductos reperisset, sic de Josepho pergit: *Qui etiam* (praeter illos XX. libros antiquitatum) *& alios septem libros captivitatis Judaicae*

Forsitan dixeris, Italicam consuetudinem I in G transmutandi millesimo Christi anno recentiorem videri. At respondeo, etiamsi ea mutatio minus antiqua fuerit, at saltem quod hodie Galli faciunt, ut J consonum uti G. pronuntient, id videtur in antiquitate fixas radices habuisse, atque ansam dedisse ut pro *Ex-Josippi* pronuntiaretur *Exgiosippi*, ac tandem id totum in Egesippi nomen degenerasse.

daicae mirabili nitore conscripsit : quam translationem alii Hieronymo, alii Ambrosio, alii deputant Rufino : quae dum talibus viris adscribitur, omnino dictionis eximia merita declarantur. Qui locus non est dubium quin de Exjosippi historia sit intelligendus, in quam unam illa *dictionis eximia merita* conveniunt. Ac frustra opponunt Benedictini (in Praefat. tomi 2. Ambrosiani) Exjosippi historiam non esse meram Josephi translationem : nam ejus contrarium tum initio cap.I. ostendimus, tũ etiam ex tot Mss. partim productis partim infra producendis evincitur, in quibus ea historia pro interpretatione ex Josepho facta habetur, unde & corruptum *Aegesippi* sive verius *Exjosippi* nomen detortum docuimus. Jam vero ex iis quae proxime Cassiodorus dixerat, satis patet in ejus manus veram Rufini versionem tum Antiquitatum, tum historiae Judaicae Josephi non pervenisse : sed tamen quia de Rufini interpretamento [post Ambrosium facto] aliquid forsitan inaudierat ; hinc merito Rufinum inter triumviros, in quos scriptionis de qua agimus suspicio caderet, numeravit.

Verum ne multa. In eo potius caput est. Nam quum non nisi in hujus, quem terimus, Exjosippi elocutionem illa *Dictionis eximia merita*, quae tantopere, uti dixi, praedicat Cassiodorus, unice congruant ; nonnisi Exjosippi opus recitatis verbis ab Senatore designari, vix est quod quisquam dubitare queat. Adde quod Rufini librorum belli Judaici translatio si in Cassiodori manus incidisset, simul cum ejusdem Antiquitatum interpretatione sese juncta obtulisset : quas tamen Antiquitates Latine versas negat se vidisse Senator. Ergo adscripta Cassiodori verba non nisi ad Exjosippum digitum intendunt.

Hoc vero perspecto ; quum aliunde Exjosippi elocutio, tum ab Hieronymi, tum ab Rufini dictione tam longe, quam caelum a terra, removeatur ; quumque eadem lacteae Ambrosii elocutioni perquam simillima sit, uti postea ostendetur ; quid aliud relinquitur, nisi ut ex iis triumviris unum Ambrosium (posthabitis scil. Hieronymo atque Rufino) deligamus, cui eam interpretationem adjudicemus?

Jam vero ex eodem Cassiodori loco intelligitur, eruditum hunc virum in Exjosippi codicem incidisse, cui Ambrosii interpretis nomen praescriptum non cernebatur : cujus similes alii codices in bibliothecis (**) hodieque asservantur sine Ambrosii nomine.

At interim alibi tunc fuisse plura numero exemplaria, in quibus ea interpretatio disertim Ambrosio episcopo tribuebatur, non est dubitandum, quum hodienum in eorum pluribus antiquissimis Ambrosii nomen praeniteat. Testis prodeat Mabillonius, qui tempus omne suum in veteribus membranis excutiendis contrivit. Is [ut saepe innuimus ; nunc vero accurate narrabimus] Musei Italici to.1. pag.14. testatur se in hujus historiae codicem eximiae vetustatis in Ambrosiana bibliotheca incidisse, in quo praemittebatur libro secundo (nam primus mutilus erat) hic titulus : *Incipit secundus. Ambrosius episcopus e Graeco transtulit in Latinum*. Quem quidem codicem VII. saeculo vir sagacissimus parem facit. Mabillonii locum cupidi inferne (***) adscriptum reperient.

Adhaec Car. Daubuzius initio librorum,

(**) Non tantũ, inquam, aliquot citimae aetatis codices sine interpretis Ambrosii nomine in bibliothecis reperiuntur, verum etiam vetustiores. Mabillonius tom.1. Musei Italici pag.8. Taurinensem hujus historiae codicem memorat septingentis annis antiquiorem. Atqui a Taurinensi abfuisse Ambrosii nomen, evincit Mabillonii silentium, utique memoraturi, si ibi id reperisset ; sicuti & de Ambrosiano id accurate adnotavit p. 14. Vide seq. Adnotationem.

(***) Tomo I. Musei Italici pag.13.& 14. sic posuit. *Vnum addere juvat de vulgatis quinque Hegesippi libris ex veterrimo codice, qui in eadem bibliotheca* (Ambrosiana) *asservatur. Primus liber initio mutilus, in fine ban:*

rum, quos pro teſtimonio Joſephi de Chriſto ſcripſit, allata Exjoſippi translatione ejus teſtimonii, non immerito eam interpretationem ab S. Ambroſio elucubratam ex eo probat, quod in Exjoſippi Cod. Ms. Biblioth. Cantabrigienſis ſtatim fini lib. I. ſubjectam hanc ſubnotationem invenerit: *Beatiſſimi Ambroſii epiſcopi tranſlatio ex Joſepho. Liber primus explicit.*

Accedit hoc quoque quod Benedictini monachi in praefatione tomo alteri S. Ambroſii praevia teſtantur, in Cod. Ms. horum quinque librorum (quem Carmelitae Claromontani poſſident) libro IV. hanc praefigi epigraphen: *Sancti Ambroſii epiſcopi diſperſionis Judaeorum Flavii Joſephi hiſtoriographi capitulum* (h.e. liber) *quartum*.

Huc etiam illud facit quod Jo: Albertus Fabricius (to. 2. biblioth. Latinae ubi de S. Ambroſio) ait, reperiſſe ſe in catalogo codicum Mss. monaſterii Cremiſanenſis in Auſtria num. 58. *Tractatus Ambroſii epiſcopi de* (pro *ex*) *hiſtoria Joſephi captivi* (*captivum* credo dici, quia aliquamdiu captivus Romanorum fuit) *tranſlati ab ipſo de Graeco in Latinum*.

Poſtremo in Gloſſario Ms. Scriveriano hanc interpretationem Ambroſio tribui, refert Jo: Frid. Gronovius in Monobiblo Obſerv. in ſcript. Eccl. cap. 1. Hactenus ex manu exaratis codicibus haurire licuit.

Verum non in aliquot tantum, ſed in pleriſque codicibus Ambroſium exſtitiſſe auctorem, princeps editio fidem facit: de qua jam eſt dicendum. Etenim in prima praeclara Exjoſippi hujus editione, quam percaram habeo (quae quidem ex Aſcenſii prelis anno 1511. Pariſiis prodiit) in fronte hic praeſcribitur index: *Aegeſippi hiſtoriographi fideliſſimi ac diſertiſſimi, & inter Chriſtianos antiquiſſimi* (putavit enim Aſcenſius hanc interpretationem, non ex Joſephi, ſed ex Hegeſippi notiſſimi hiſtoriae eccleſiaſticae conditoris Graeco fuiſſe transfuſam, ut ipſe in epiſtola dedicatoria declarat) *hiſtoria de bello Judaico* &c. *a Divo AMBROSIO Mediolanenſi antiſtite e Graeca Latina facta*. Idem Aſcenſius in dedicatoria: *Accedit tamen ad hujus hiſtoriae commendationem, Sacrum Ambroſium Mediolanenſem antiſtitem, virum undecumque laudatiſſimum e Graeca feciſſe Latinam*. Hoc cum tanta confidentia Jodocus Aſcenſius aſſeveraverit; id argumento eſt Jacobum Fabrum (qui hiſtoriam hanc & anacephalaeoſin *diligentia ſua*, inquit idem Jodocus, *perquiſivit, & ad VARIA EXEMPLARIA collatas* &c. ad ipſum edendas miſit) aut in omnibus Mss. aut certe in probatioribus Ambroſio Mediolanenſi interpreti hos libros tributos reperiſſe. Aſcenſianam editionem Colonienſis anni 1559. ſubſecuta eſt, a Corn. Gualthero correcta & perpolita. Et ex ſuae quidem editionis titulo Gualtherus interpretis Ambroſii nomen removit (cujus correctoris in eradendo Ambroſio judicium poſteriores ἐκδόσεις ſunt imitatae) ſatis tamen in ſua praefatione Gualtherus declaravit, ſe non morari, quin Ambroſio interpreti haec hiſtoria adſeratur.

Jam vero quinquaginta ante Aſcenſium annis, h. e. circiter annum 1460. Angelus December, frater Petri Candidi Decembris, libro VII. de politia litteraria

hanc clauſulam habet: *EGESIPPI* [vides heic id nomen cum ſpiritu leni ſcriptum] *LIBER PRIMVS EXPLICIT*. *Tum*: *INCIPIT SECVNDVS. AMBROSIVS EPISCOPVS DE GRAECO TRANSTVLIT IN LATINVM*. *Tres ſequentes ſine titulo: ſed in multis foliis libri quinti is apponitur in capite paginarum*: *IOSEPPI LIBER QVINTVS*. Mox: *Codex*, inquit, *antiquiſſimus, litteris partim Langobardicis, partim Romanis majuſculis ſcriptus*. Ac paucis interjectis, ejus codicis aetatem non dubitat VII. ſaeculo aequalem facere; quippe qui ex ejus codicis ſenio contra Voſſium evincit, hunc Egeſippum (ſive, uti Mabillonius amat ſcribere, Hegeſippum) VII. ſaeculo antiquiorem fuiſſe. Tantum quidem antiquitatis vir in his ſummus ei cimelio tribuit.

ria scripserat, *AEGESIPPVM* (601) *esse vocabulum historici Graeci*, *ex capra & equo compositum* (danda autem Decembri venia, ut qui id nomen cum diphthongo in suis membranis scriptum reperit; sicuti & postea Faber Ascensiusq.) *qui de bello Titi cum Judaeis scripsit*, *a Doctore AMBROSIO Latine translatum*. Ex his liquet non nisi scriptorum codicum consensionem hoc viris doctis XV. saeculi (cujus saeculi testem locupletissimum, pro millibus valiturum, Decembrem produximus) ut Ambrosio auctori suffragarentur, extorsisse.

C A P. III.

Quid a medio saeculo XVI. ad Gronovium usque h. e. ad medium saeculum XVII. in ea causa turbatum fuerit: quidve tandem a Benedictinis decisum; utque his demum accuratissimis Ambrosii editoribus eruditorum chorus assurrexerit omnis.

Et ineunte quidem atque adulto sequenti saeculo adhuc in possessione sua manserat Mediolanensis Antistes. Testis sit Ludovicus Vives; qui in Augustini XXI. de Civit. cap. 5. hujus Exjosippi locum de incensis Pentapoleos urbibus producturus, in hunc modum citat: *Hegesippus*, *AMBROSIO INTERPRETE*, *libro IV.* &c. Nec ei suffragationi quisquam unus obstrepere visus fuit, donec Erasmo omnium primo addubitare, mox aliis aperte id opus Ambrosio abdicare venisset in mentem. Mihi non vacat criticorum loca conquirere, atque ea huc adscribere. Satis erit inconsulta ista temere motarum litium initia ex Jo: Frid. Gronovio (in Monobiblo Observator. in script. eccles. cap. 1.) huc afferre. *Erasmo*, inquit, *vix credibile* (Ambrosium scil. fuisse interpretem) *videtur*: *Scaligero auctor est infimae* (602) *vetustatis*: *Barthius increpat monachorum impudentiam*, *qui Ambrosium interpretem adfinxerint*. His quartus addi poterat Latinus Latinius: de quo cap. seq. dicam.

Et ea quidem iniquiora judicia a medio XVI. saeculo ad medium XVII. tenuerunt: quae tamen nec Valesio ad Ammianum, nec Gronovio se probarunt: quorum hic alter ibidem sic statim pergit: *Ego ut nihil temere affirmem*, *non valde repugnarim*, *siquis aetate adolescentiori*, *aut in exordio pontificatus sui opus hoc lusisse disertum Antistitem contendat.* Quod suum judicium ex styli similitudine mox confirmat; ac pluribus tum Ambrosii, tum Exjosippi locis e regione positis, Excidii Hierosolymitani historiae haud alium ab Ambrosio auctorem esse assignandum conjecit. Ejusmodi fuit viri eruditi judicium, quod in suam Monobiblon contulit, quam Daventriae anno 1651. evulgavit.

Nec dubito quin acris judicii vir, nec inidoneus styli aestimator, numerosum post se adstipulatorum agmen ducturus fuisset, nisi Benedictini monachi Ambrosianorum operum editores obstitissent. Qui in praefatione alteri tomo praefixa, rationem allaturi, cur Exjosippum ex ἐκδόσει illa, quam dabant, accuratissima exclusissent, non dissimulatis Gronovii argumentis ex locutionum parilitate petitis, respondent, *comparationem istiusmodi fallacem esse*, *quum ex auctoribus* (stylo) *diversissimis loquendi formulas inter se affines hinc inde resecare* (h. e. decerpere)

(601) Etymon a Decembre traditum satis ostendit, ab eo in Mss. AEGESIPPVM cum diphthongo repertum [nec aliter Ascensius edidit, ad fidem utique Fabri codicum] quod recte ex ἄιξ αἰγὸς *capra*, & ἵππος *equus* componitur.

(602) Verba Scaligeri ad Eusebii ann. MCML haec sunt: *Suppositititius ille Hegesippus auctor infimae vetustatis*, *qui sincerum vas Josephi incrustavit* &c. Quae non tantum secutus est Vossius in II. de Graec. histor. cap. 14. verum eo etiam praecipiti judicio lapsus est, ut nostrum Exjosippum post Nicephorum Phocam h. e. post ann. 1968. scripsisse contendat. Sed Vossium, suppresso tamen nomine, in eadem Monobiblo perstringit Gronovius: qui cap. 21. egregio illi Vossii argumento respondet: quod nos accuratius mox in Adnot. 605. diluemus.

perc) & (inter se) *componere cuivis promptum sit*. Mox paucis interjectis, peremptorium istud interponunt decretum suum: *Certe quidem in hoc* (excidii Hierosolymitani) *opere nihil inest Ambrosiani neque styli neque judicii*. Quis postea mirabitur, si definitiva isthacc diligentissimorum editorum (quibus praesertim Ambrosii non modo doctrinam, sed & elocutionis colorem & lineamenta omnia perspectissima esse necesse esset) sententia Gronoviani paullo indulgentioris judicii luminibus usque adeo offecerit, ut gregatim [603] omnes ineluctabili illustrium criticorum censurae in posterum obsequerentur?

Ac de stylo quidem, quem ab Ambrosiano longe alium esse praedicant, postea viderimus. Nunc ultima illa Editorum eorumdem verba (quibus similia in Tillemontio reperies extrema Nota 49. in S. Petrum) quis ferat? *Sed nec facile a nobis quisquam extorquebit, ut a rebus seriis credamus Ambrosio tantum vacasse, quantum necesse erat scribendis non modo his quinque* (excidii Hierosolymitani) *libris, sed etiam aliis quatuor, quos ex totidem Regum* (libris) *ab se compositos auctor* [initio] *memorat*? Quasi vero necesse sit haec ab Ambrosio jam episcopo ordinato elucubrata fuisse: aut vero fieri potuerit, ut qui episcopus ad tantam in facundia frugis maturitatem processerit, non se antea diu multumque subegerit. Ad Ambrosii ergo juvenilia proludia tum excidium Hierosolymitanum, tum etiam Historia regum Israelitarum, quam amisimus, pertinet. Imo hujus certe, quam adhuc terimus, interpretationis Josephi stylus ubique fervidos calentis aetatis spiritus anhelat; & ita quidem, ut quantus aliquando Ambrosius, ubi maturuisset, in dicendi facultate exstiturus esset, prae se aperte ferat. Atque hinc etiam cathecumeni Ambrosii pietas proditur, quod non profana ad proludendum argumenta delegerit, sed ea primum ex Divinae Scripturae libris Regum petierit: quam deinde historiam cum hac quam habemus ex Josepho transfusam continuarit.

C A P. IV.

Aetas Exjosippi eadem quae juvenis Ambrosii fuit. Vossii opinio refellitur. Qui Exjosippi locus ei fraudi fuit, is corrigitur, ac vera explicatione donatur. Videri Exjosippum Excidio Hierosol. jam ante a se scripto, adhuc anno 368. identidem elimando studium impendisse.

Illud in primis est animadvertendum, jampridem a gravi veterno illo viros eruditos evigilasse, quo auctor, de quo quaerimus, sive *infimae vetustatis* cum Scaligero putaretur, sive etiam cum Gerardo Vossio ad Nicephori Phocae tempora h. e. decimum Christi saeculum amandaretur. Quis autem non istas παραδοξολογίας statim contemnat, si unam modo alteramve Exjosippi pagellam, si concionem unam legerit? Cui quidem nisi locutiones aliquot quarto saeculo usitatae haud satis cauto subrepsissent; nae is poterat, si minus cum Livio, at certe cum optimis subsequentis aevi scriptoribus comparari. Verum quae mora est, quin scriptionis hujus ab ipsomet epocham condiscamus? Qui (quod primus monuerat in sua praefatione Gualtherus; a quo mox & Renatus Laurentius Barrensis id arripuit in sua ad Exjosippi editionem, quae tertia numero fuit, praefatione) lib. III. cap. 5. sic de Antiochia scripsit: *Vrbs tertio loco ante ex omnibus, quae in orbe Romano sunt, civitatibus aestimata* (etenim ante Constantinum Romae prima, Alexandriae secunda, Antiochiae tertia dignatio deferebatur) *nunc quarto; postquam Constantinopolis excrevit, civitas* (antea) *Byzantiorum*. Id autem

(603) Et ceteros quidem non moror: at de Tillemontio doleo, quod Nota 49. in S. Petrum hunc Josephi interpretem diversum ab Ambrosio fecerit. Imo quum eam Notam nondum visi Gronovii Monobiblo initio scripsisset; tamen ea postmodum perlecta, adhuc eo labitur ut nostrum Exjosippum alium a magno Ambrosio censeat, editores Ambrosii Benedictinos sibi suffragatores advocans.

autem non ad tempora CPolitani Concilii anno 381. habiti [cum laudatis scilicet (604) duobus viris] est referendum, verum ad annum 330. quo CPolis a Constantino dedicata, ac *Nova Roma* appellata, alterum post veterem Romam decus est consecuta. Non morabor autem iis, quae post adscripta verba statim Exjosippus subjecit: quae quidem verba ab Vossio secus intellecta, in id opinionis portentum virum eruditissimum conjecerunt, ut Exjosippum in decimi saeculi finem rejiceret: de quo, si quos ea remordet cura, videant inferne (605) adnotata. Id magis etiam miror Vossianam opinionem non neminem in-

Ggggg 2

(604) Nihil enim aliud ei concilio acceptum est referendum, quam quod τὰ πρεσβεῖα sive *priores honoris partes episcopus CPolitanus habeat*. At ridiculum fuisset, si Patres de politico dignitatis civitatium ordine quidquam sibi sanciendum duxissent. Imo ratio ipsa, quam suae sanctionis ibi patres afferunt, satis arguit, jam diu CPolim secundam post Romam fuisse habitam. *Eo quod*, inquiunt, *CPolis sit nova Roma*. Quae quidem adnotasse non erat mihi opus, nisi Gualtherus atque Barrensis alios post se transversos egissent.

(605) *Perdifficilis Exjosippi locus, qui viris eruditis fraudi fuit, corrigitur, & enodatur: quo loco* Persas [*satis vagum apud Exjosippum vocabulum*] *non alios esse quam Syriae reges Alexandri successores, ex ipsomet Exjosippo demonstratur*.

Totus is de Antiochia locus, quem supra recitare orsi sumus, in hunc modum (quibusdam tantum intra parenthesin coercitis) concipi potest: *Vrbs tertio loco ante ex omnibus, quae in orbe Romano sunt, civitatibus aestimata, nunc quarto (postquam CPolis excrevit, civitas* [antea] *Byzantiorum) Persarum quondam caput, nunc repulsorium*. His vero ultimis verbis summa inesse difficultas visa fuit. Quae verba eo impulerunt Vossium in II. de histor. Graec. 14. ut scriptorem hunc recentiorem statueret Nicephoro Phoca, qui anno 968. Antiochiam a Persis sive Saracenis recepit, auctore Cedreno. Itaque, si Vossio credimus, non nisi post id tempus urbs illa arx fuit, qua Romani Saracenos repellerent. Verum quidvis potius quam tanta παραδοξολογία, ut alibi monui, admittenda fuit. Videatur quid Vossio, cujus nomen dissimulat, Gronovius cap. 21. pag.224. & seq. responderit. Tametsi ea viri eruditi responsa, quae non est opus heic referre, ut aliis satis superque fecerint, mihi tamen nondum plane fecere satis; maxime quum id frustra cum ceteris laboret, ecquando Antiochia *Persarum repulsorium* evaserit; quod Noster numquam somniavit.

Atqui hoc loco equidem non *Repulsorium* [nomen inauditum, & ab Exjosippi elegantia abhorrens] sed *Repulsorum* prorsus legi malo, quomodo & in editione principe, & in altera Barrensis reperio. Erat, inquit, Antiochia *Persarum quondam caput, nunc repulsorum*.

Nunc id danda est opera, ecquos Exjosippus *Persas* vocet, antea quidem Antiochiae regnantes, at postea *repulsos*. Latius omnino Persarum nomen apud Nostrum patet, quam ut statim, ecquos intelligat, cerni queat. Ac primum Parthos haud alio ferme nomine quam *Persarum* donare solet. Deinde V. 15. etiam eos *Persas* nuncupat, qui revera Babylonii erant. Adhaec & Assyrios, [quorum exercitus Angelo caedente periit] nihilo minus *Persas* appellat. Adeo vix ullus est orientis populus, quin eo ambitu nominis ab Exjosippo contineatur.

At in loco, qui ad manus est, non videtur mihi alios, quam Seleucidas Syriae reges intellexisse; qui, utpote Alexandri successores, haud immerito *Persae* aut *Persarum* reges dici poterant; sicuti & Alexander ipse eo potissimum titulo gloriabatur; quia *Persidis* nomine totus Oriens ab eo domitus veniebat, si Exjosippum audimus in Josephi oratione ad populares V.15.his verbis: *Macedonia*(h.e.Alexander) *quae usque ad Indos devicta Perside imperium diffuderat*.

Nec vero Seleuco [a quo Seleucidae descendunt] ejusque successoribus quidquam defuit, quo minus *reges Persidis* jure appellarentur. Nam post Alexandri mortem, quemadmodum Seleucus primo Babyloniam, mox Persidem, Mediam, Parthos, aliasque nationes subegerit, copiose Appianus in Syriacis narrat. His deinde regnis Syriam, aliasque oras ad mare positas adjunxit. Ita tota potitus Asia, tamen *Rex Persidis* potissimum vocabatur. Ammianus lib. XIV. *Quum* (Seleucus) *post Alexandri Macedonis obitum successorio jure regna teneret Persidis*. Eodem jure & ejus posteri, etsi Antiochiae in Syria regnarent, tamen *reges Persiae* vocabantur.

Ha-

incautum (606) sectatorem reperisse. At missis hisce, interim quod huc attinet, ex recitato loco vides, post annum 330. compositam fuisse Exjosippi historiam.

At nec diutissime postea scripta fuit; quantum quidem ex *Scotiae* mentione suspicari possumus, quam lib. V. cap. 15. injecit in oratione Josephi ad populares suos [qua bellicosissimas quasque gentes Romanis cessisse armis ostendit] his verbis: *Quid attexam Britannias, interfuso mari a toto orbe divisas, & a Romanis in orbem terrarum redactas? Tremit hos* [Romanos] *Scotia, quae terris* (utpote mari circumflua) *nihil debet: tremit Saxonia inaccessa paludibus, & inviis septa regionibus. Quae licet belli curam videatur augere, & ipsa* (tamen) *frequenter captiva Romanis accessit triumphis: validissimum genus hominum, praestans ceteris, piraticis tamen myoparonibus, non viribus nititur, fugae potius, quam bello parata.* Quae uti vides non tantū praeter Josephi sui fidem Exjosippus inseruit, verum & contra temporum rationem ultro anachronismo indulget, in gratiam scil. recentis victoriae, quam Comes Flavius Theodosius Theodosii, qui postea imperator fuit, parens anno [si Tillemontium in Valentiniano I. artic. 17. sequimur] 367. de Scotis atque Saxonibus retulit. Res hasce tangit Latinus Pacatus in oratione, quam anno 391. Theodosio Aug. dixit, cap. 5. ubi inter parentis ejus gesta duas hasce victorias minime reticet. Qui se rerum a Theodosii parente gestarum copia valde impeditum initio conquestus, sic pergit: *Quid, inquam, faciam? Quae Rhenus aut Vahalis vidit, aggrediar? Jam se mihi* [ex alia parte], *Sarmatica caede sanguineus Ister*

Habes, cur heic *Persarum* nomine haud immerito possint Seleucidae reges venire: at revera non alios, quam hos ab Exjosippo designatos, ipsemet sui interpres prodeat testis. Qui loco cit. lib. V. ante finem cap. 15. ita Josephum alloquentem facit: *Patres vestri quum Persarum* (utique Seleucidarum Syriae regum) *praeliis gravibus attererentur, quamvis nobiles Machabaeorum triumphis, elegerunt sibi Romanam societatem. Tenet Scriptura divina* (vides ut Machabaicos libros, in quibus ea foedera exponuntur, *Scripturam Divinam* Noster appellet: quod & Ambrosius tenuit: verum id obiter) *multarum pacta legationum. Facti estis* (tunc) *Romanorum amici, qui Persarum servi fuistis.* Item seq. cap. (h. e. lib. V. c. 16.) post medium: *Illi* (Babylonii) *nobis ... sacerdotum creationem restituerunt, et nostri eam Persis* (h. e. Seleucidis) *refudere.* Postremo eodem referri potest & illud V. 2. paullo ante medium: *Ubi est illa Machabaeorum fides, quae quondam in paucis fudit Babylonios, Persas fugavit, Demetrium percuslit?* Quid his locis luculentius? At in eo loco, qui circa medium lib. V. c. 15. reperitur (qui talis est: *Servistis Macedonibus, Persis, Seleucensibus* [h. e. Seleucidis] *Palaestinis* &c.) dubitari potest, utrum uno spiritu *Persis Seleucensibus* legendum sit (tamquam si prior vox genus summum, altera τὸ διοριστικὸν seu differentiam contineat) an vero eae voces distinctione media sint secernendae. De quo obiter.

Ergo Antiochiam docet *quondam* fuisse *caput Persarum* (Seleucidarum) *nunc* (h. e. *postea*; nam *Nunc* heic non praesens tantum tempus designat, sed totum illud quod τῷ *Quondam* opponitur) *repulsorum*. Non statim quidem *repulsi* Seleucidae fuerunt; quippe, ut ad finem ejusdem capitis dicitur, Romani *agunt, nequis etiam victus de terris suis exeat: Antiocho partem regni servaverunt*. At postea Seleucidarum non tantum potentia, sed & nomen evanuit. Atque haec de μορμολυκείῳ, quod viros eruditos perterrefecerat, dicta sunto.

Ad ultimum autem quae apud Exjosippum ἀπολογία statim sequitur, sane quam mirabilis est: *Prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta CPolis.* Sed recte habet, quod haec verba νοθείας arguit princeps editio, qua utor, dum ea praeterit. Eadem in Mss. desiderari, alii quoque testati sunt.

(606) Aub. Miraeus in Scholiis ad Hieronymi de vir. illustr. cap. 22. de Hegesippo juniore sic notat: *Mentionem facit ... Antiochiae Persis seu Saracenis a Nicephoro Phoca ereptae: quod anno 968. accidisse Cedrenus tradit. Quare non multo post haec tempora eum vixisse crediderim ... Lipsio ad lib. 2. hist. Taciti est scriptor haud spernendus.* Idem ejusdem judicium reperies in Auctario de script. Eccles. cap. 286.

Ister objiciet. Attritam pedestribus praeliis Bataviam referam? Saxo [h. e. gens Saxonica] *consumptus bellis navalibus* (aliunde mihi) *offeretur. Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus* [ex parte alia] *in solitudines avias omnis Alamannus & uterque Maurus occurrent*. Et quae porro sequuntur. Has easdem victorias Ammianus lib. XXVII. haud parca manu (607) recenset, tangit vero Claudianus in IV. consulatu Honorii, & Symmachus X. 22.

Dices fortasse, hinc quidem satis aperte colligi, non ante annum 367. Exjosippum libro quinto excidii operam dedisse: at quis tamen vetabit, eamdem interpretationem diu post memoratas victorias fuisse conscriptas?

Verum ea quae dixi statim post relatas victorias illas duas fuisse scripto tradita, etsi certo demonstrari non potest, at aequis aestimatoribus suaderi haud aegre potest. Vt inde usque ordiar: quae de Scotia & Saxonia scripsit, quia aperte extra tempora rerum Judaicarum vagantur, satis apparet, ea in victoris Com. Theodosii gratiam [Exjosippo haud dubie amici; quod mox ostendam] fuisse ab Nostro Josephi concioni assuta. At si tantae curae erat victoriis ducis Theodosii plaudere, ut extra chorum saltans, eas laudes tam veteri historiae infarciret; cur cetera praeclare gesta reticuit? Cur non ea saltem tangit, quae Pacatus inter ejusdem comitis Theodosii laudes conglobatim enumerat? Nunc vero nihil de Rheno & Vahali, de Sarmatica caede nihil; de rebus in Batavia prospere gestis, de Alamannis & utraque Mauritania ne verbum quidem. Quod argumento est, Exjosippo nihil aliud fuisse causae, ut haec tantum interpretationi suae insereret, nisi ut recenti de Scotis atque Saxonibus victoriae applauderet. Quae quidem expeditio vergente anno 367. incepta, sequenti (608) perfecta videtur. Proinde non absurde haec ab nostro interprete anno 368. h. e. sexennio ante initum ab Ambrosio pontificatum illita chartis fuisse videntur. Nam si serius ea scripsisset; quae erat invidia, ut de Alamannis, uti dixi, anno 368. aut 369. a Comite Theodosio domitis nihil adderet, ac nihil porro de Mauritanica post paucos annos sub ejusdem Theodosii auspiciis insigni victoria?

Jam vero, quod comitem Theodosium Exjosippo veterem amicum fuisse dixi, id ex eo didici, quod S. Ambrosius [qui nulla plane re alia ab Exjosippo, quam aetate provectior ab ipsomet juvene, differt: id quod tantisper mihi sumo, donec id ad ultimum pertinacissimo cuique persuasissimum fiat] quod Ambrosius, inquam, ejus epistolae (51) quam ad Theodosium Aug. Comitis Theodosii filium circ. ann. 390. scripsit, hoc initium fecerit: *Et VETERIS AMICITIAE dulcis mihi recordatio est; & beneficiorum quae crebris meis intercessionibus . . . in alios contulisti, gratiae memini*. Vbi recenti beneficiorum memoriae [utpote ab Imperatore jam facto profectorum] *veteris amicitiae* [ut quae ad Theodosii & Ambrosii privatorum tempora sit referenda] recordationem opponit. Nec dubium esse potest, quin juniori adhuc Ambrosio (tunc quidem, si lubet, Exjosippo) par aut forsitan major cum Theodosio parente, quam cum eo quem hac epistola allo-

(607) Videatur Ammianus lib. XXVII. cap. 8. in edit. Vales. (cap. 17. in Gruteriana editione) & rursus lib. XVIII. cap. 3. in Vales. (in Gruter. c. 17. & 18.) quo ultimo cap. perfecta jam victoria narratur, & totum id soli Britannici, unde hostes repulsi fuerant, in provinciae formam redactum, quae *Valentia* est appellata; quae quinta provincia Britanniis accessit. Nam ante id tempus quatuor solae fuerant, *Maxima Caesariensis, Flavia Caesariensis, Britannia prima, Britannia secunda*. Hinc in Notitia Imperii non tantum harum quatuor, sed & Valentiae fit mentio sub dispositione Vicarii Britanniarum.

(608) Sequimur enim potius Tillemontium, qui in Valentiniano I. sic consignavit, quam Valesium, qui ad Ammiani XXVIII. 3. initium Scoticae expeditionis in vergentem ann. 368. ejusdem vero finem in 369. conjecit.

alloquitur, familiaritas intercesserit; quippe quum senioris claritudo ac virtutes ad eum colendum allexisse Nostrum videantur. En cur Exjosippus Theodosii comitis recenti victoriae, unius scilicet amicitiae causa, acclamaverit.

Postremo quum dico, videri ea quae de Scotis & Saxonibus adscripsi, sub annum 368. adumbrata, nolim id sic dictum accipi, quasi copte prorsus anno Exjosippus libro Excidii quinto elucubrando tum primum operam insumeret. Perquam enim verisimile videtur, eum librum cum superioribus jam antea adumbratum fuisse, deinde, uti fit, ex intervallo aliud alibi adjectum aut elimatum fuisse, ac demum anno 368. in gratiam ducis Theodosii ea recentia, quae dixi, in Scotia atque Saxonia facinora inserta fuisse. Quivis certe qui totum illud XV. caput legerit, haud aegre secum statuet, totum eum de Scotis & Saxonibus locum insutum post primam scriptionem videri.

Potest & illud fieri, ut quum anno 368. h. e. statim post Scoticam & Saxonicam Comitis Theodosii victoriam, Ambrosius in frequenti amicorum coetu [necdum enim vetus recitationis mos exoleverat] esset recitaturus quintum Excidii Hierosolymitani librum, tunc quidem pro illa temporis circumstantia in ducis amici gratiam illum quem dixi pannum purpurae assuerit, haud dubie dissuendum atque ex loco non suo removendum, ubi totam illam historiam recensuisset, ut in vulgus spargeretur. Ceterum sacerdotale ministerium, quod ei mox reluctanti demandatum fuit, ab ejus historiae recensione postea virum sanctissimum avocavit. Hactenus aetatis conjectio est, qua ab Exjosippo Judaicum excidium conscriptum videri queat: quod opus, uti dixi, jam antea uti videtur, compositum, adhuc anno 368. (sexto ante episcopalem Ambrosii cathedram) additis episodiis illustrabatur.

C A P. V.

De stylo utriusque scriptoris.

De eo a pluribus dubitatum. Sed styli ταυτότητα ex paribus utriusque locutionibus Gronovius suasit: infelix quia non persuasit. Verum Gronovianus is gomphus altius adigitur. Opima seges ῥήσεων utrique παραλλήλων in medium exponitur, in absolutioris Glossarii specimen.

Jampridem Latinus Latinius epistola ad Masium hujus historiae stylum ab Ambrosiano dissidere conquestus, aliis ejusdem querimoniae ansam praebuit. De Benedictinis cap. superiore vidimus, nihil in Exjosippo *Ambrosiani neque styli neque judicii* agnoscentibus. Sed & Tillemontius, ut alios taceam, eamdem (*609*) naeniam instauravit.

At contra Frid. Gronovius jam antea in sua saepius laudata Monobiblo, praecipue cap. I. occupaverat pro Ambrosiano stylo depugnare; id vero in primis decerptis rarioribus quibusdam & ab usu remotis locutionibus, in Exjosippo juxta atque in Ambrosio obviis { quas quidem ex Gronovio (*610*) ipso cognoscere cuivis

(*609*) Tillemontius prope finem ultimae Notae in S. Petrum: *Je ne scai si l' on ne trouverá point que le style de cet auteur est trop aisé & trop coulant pour S. Ambroise.*

(610) *Ab Gronovio excerptae locutiones rarae Exjosippo cum Ambrosio communes. De vocibus INAEQVALIS & INAEQVALITAS pro* Aegroto & Morbo *accurate disseritur. Ea vocabula, Graecis aeque ac Latinis familiaria, unde originem sumpserint.*

Quum in his regionibus Gronoviana ea Monibiblos rarissima sit; proderit inde notabiliora delibare. Ergo cap. I. hasce rariores ῥήσεις tum Ambrosio, tum etiam Exjosippo communes producit.

Ac primum *Exercere sumptum* pro eo quod est victum quaerere, locutio est Ambrosio familiaris, tum in II. de Officiis, tum etiam lib. IV. epist. 17. & de Nabuthe cap. 4. & in I. de interpellatione Job c. 3. & in Psal. 43. & in I. de Virginib. usurpata. At etiam Exjosippus IV. 7. *Qui*, inquit, *latrocinio sumptum exercerent suum*, & cap. 4. paullo aliter: *Latrocinio vitam exercerent suam.*

Tale etiam est nomen *Defoeneratus* pro *obnoxius*, utrique amicum, Ambrosio quidem in

vis pronum erit] non infeliciter suaserat, si quidem persuasisset. Verum, uti sunt aetatis nostrae ingenia ad adversandum proclivia, editoribus Ambrosii Benedictinis (611) Tillemontioque & aliis pluribus Gronovianam rogationem dissua-

in epistolis & de Tobia cap. 9. & 23. & de jejunio cap. 9. at Exjosippo I. 32. ubi scripsit: *Antonius Cleopatrae amori defoeneratus inserviebat*. Id sic dictum, sicuti *foenerare* aliquem est reddere foeneri obnoxium ac plane deditum noxae.

Sic etiam *praetendere* pro *excubare* tam in proprio quam translato significatu utrique perpetuum est. Vide in Gronovio exempla, quibus longe plura proferri possunt.

Sedulitas & *Sedulus* utrique modo pro comitate modo pro amico & fido animo usurpatur, sive potius pro eo quod Itali vocant, *Attenzione verso taluno*. Nihil in utroque tritius.

Illud plane mirum Gronovio visum, quod Exjosippus I. 5. *Inaequalem* dixit, quem Josephus *νόσῳ χρήσασθαι* [*aegrotare*] scripserat. Ea sunt Exjosippi I. 5. verba: *Accidit, ut fratrem adveniens inaequalem offenderet*. At idem tamen Gronovius ejusdem plane locutionis tria ex Ambrosio exempla feliciter profert. Verum parcat vir *κριτικώτατος*; nihil enim in eo rari est. Vtitur enim ea locutione Symmachus VII. ep. 12. Honorius Imp. epist. ad Paulinum Nolanū apud Baron. ad 419. n. 20. Concil. Carthag. IV. can. 49. Celebre est illud Gregorii M. Hom. 35. in Evang. *Erunt pestilentiae: ecce inaequalitas corporum*. Adhaec Cangius in Glossario innumera alia exempla dabit; qui & ex Glossis Mss. sic citat: *Inaequalis, infirmus*. Adde quod ea loquendi genera communia Latini cum Graecis habuere. Vsurpatur Nanzianzeno *ἀνωμαλία σώματος ἀθεράπευτος*, *corporis inaequalitas* [h. e. morbus] *insanabilis*. Ἀνωμαλεῖν in Concilio Ephesino Act. 1. est *aegrotare*. In Italia ubi quis de incommoda valetudine queritur, sic loqui amat, *Non mi sento giusto*. Harum vero locutionum origo ab antiquorum philosophia de quatuor humani corporis primariis qualitatibus manasse mihi videtur. In earum enim qualitatum aequabili temperamento sanitatem sitam volebant. Ambrosius de Noe n. 82. *Nostra corpora frigore & calore, humore & siccitate quemdam naturae ordinem servant. Nam si naturalis ordo ac mensura confunditur, tunc necesse est sequatur interitus*. Sublata enim aequalitate, morbi necessario existebant ab inaequalitate profecti: unde & iisdem morbis *ἀνωμαλίας* sive *inaequalitatis* nomen quaesitum fuit.

Adhaec tam Exjosippo quam Ambrosio aeque familiaria ostendit *Primitivum* pro natu maximo, & *Primitiva* pro jure primae geni-

turae [quod & vulgatus interpres Scripturae usurpat] & τὸ *Quod nascimur, quod natus est*, &c. & *Veniabilis*, & illud in primis utrique perpetuum, quod *Praesulem* pro praeside tertio quoque versu usurpant: de quo alibi dicemus. Addatur *Forensis* pro externo, quod tum Ambrosio (l. 1. de Abr. n. 1. & alibi) amicum fuit, tum Exjosippo, qui V. 5. scripsit: *Vbi forense praelium quievit, internum successit*. Quibus adjungit postremo *Ablevare* & *Placidare*, nova plane verba utrique usitata. Atque haec quidem utrique communia Gronovius cap. 1. producit, locis integris hinc atque inde corrasis.

Idem porro Gronovius quum in sequentibus aliquot suae Monobibli capitibus in Exjosippo ex membranis emaculando operam insumat; vel ibi tamen plures *ῥήσεις* utrique communes depromit. Sic cap. VI. utrique scriptori poeticum illud *Suffusus ora* aut *oculos lacrimis, verecundia* &c. amicum fuisse docet. Ibidem *Infulas* pro dignitatibus utrique usurpatum ostendit; sicuti & *Haerere dubio, incerto, ambiguo*; & *Licitari, Licitatio* &c. & *Mensae hospitalis Societas, gratia*.

Jam vero cap. XI. utriq. usitata fuisse demonstrat *Vtrumnam* pro Vtrumne, & (quae ceteroqui levissima, & apud alios obvia) *Ministeria* pro Ministris, & *Suppedito* pro Suppeto.

Cap. XVI. utrique adhibita notat quaedam haud alibi obvia verbi *Insolesco* tempora, quae & ego jampridem enotaveram, ut *Insoleverat, Insolevisset*; utrique etiam familiare *Decernere armis, ferro, praelio, verbis, iurgio, conditionibus*.

Cap. XXI. pag. 228. Exjosippo juxta atque Ambrosio *Conveniendi* verbum pro eo quod est admonere, tangere, tentare fuisse in deliciis docet; sicuti & pag. 232. participium *Suspectus* pro *Suspicatus*; & pag. 234. 235. *Nuda gignentium humus*, aut *loca* &c., & *Humus* masculino genere; & pag. 236. *Refragium* (nova plane vox) suffragio oppositum.

Postremo cap. XXIV. p. 263. utrique commune ostenditur *Meridianum* pro *Meridies*.

(611) Quippe Benedictinis [in laudata alterius tomi praefatione] ac Tillemontio (in S. Petro Nota ultima) excipientibus, eas forsitan locutiones tunc fuisse tritas atque communes: quorum judicio ceteri postea acquieverunt. Verum maximam earum partem haud passim fuisse communem, ceterorum ejus aevi scriptorum lectio docere poterit.

suadentibus, causam, quam criticus oraverat, non probavit. Quid enim? adhuc ille scrupulus residet, quem Tillemontius injecit, expostulans nihil Ambrosio salebrosius & confragosius, nihil contra Exjosippo fluidius esse faciliusque. Verum de stylo postea viderimus, atque ita ut quidquid discriminis est, id non tam hominum fuisse diversorum, quam ad unius aetates diversas & argumenta varia pertinuisse, demonstremus.

Nunc institutae a Gronovio methodo paullo est alacrius insistendum; dumque adhuc impactus ab eo clavus calet, altius est promovendus. Nam si quidem praeter productas ab eo locutiones, licebit innumerabiles alias aut singulares, aut certe minime tritas, utrique non tantum amicas, verum etiam assiduas fuisse, ostendere; eccui postea dubium erit, quin totius retro antiquitatis auctoritati sit standum, apud quam Hierosolymitanum excidium Mediolanensi Ambrosio asserebatur? Itaque ut semel haec lis decisa maneat; non invitus feci ut specimen lexici ex Exjosippi Ambrosiique glossis contextum darem, in quo rariores utrique communes locutiones invicem componerentur. Quod siquis porro pergat absolutius facere; non tantum luculentius de ταυτότητι, de qua disputamus, constiturum spondeo, verũ etiam permagni ad IV. saeculi elegantias ediscendas momenti tantulum id glossarium, modo cũ judicio fiat, momenti futurum auguror. Interim specimen hoc nostrum [a quo tamen ῥήσεις a Gronovio collectas, ne actum agerem, abesse jussi: quas interim supra in Adnot. 610. saltem indicatas habes] subjeci. Paullo id quidem longius esse querentur: at non continuo quod utile in commune futurum augurabar, premendum fuerat: praesertim quum harum rerum fastidiosis nihil sit profecto facilius, quam praetergredi istas, uti vocant, quisquilias. Quas dum illi securi transilient; interim haud indigne ferent, si sua cupidis commoda non invidentur.

GLOSSARII SPECIMEN

Ex rarioribus Exjosippi Ambrosiique locutionibus inter se comparatis contexti.

MONITVM.

Hoc illud est Glossarium [utilissimum, uti spero, futurum] quod ab incuriosis transiliri posse, tum ab initio hujus Digressionis tum etiam proxime monui. Etsi hoc ipsum brevius ut esset, effeci, ut qui locutiones aliquot in adnotata ad Passionem SS. Petri & Pauli rejicere satius duxerim.

Porro in iis quae hac & sequenti Parte sequuntur, quum crebra ex Ambrosio & Exjosippo loca producenda sint; sciat lector, me Ambrosii editione a Benedictinis ornata fuisse usum; in Exjosippo vero citando eam capitum divisionem secutum, quam in Bibliothecae Patrum Parisinae anni 1590. to. VII. reperi, quippe quam cum ceteris vulgatis consentire sum arbitratus. At vero Exjosippi prima editio Ascensiana nonnihil in partiendis capitibus a ceteris deviat.

Vt glossas utrique scriptori [tantisper enim proderit Exjosippum ab Ambrosio distinguere, donec eumdem fuisse constiterit] communes digeram in classes aliquot; a levioribus, tamquam velitaribus armis, ordiar. Itaque §. 1. de orthographia utrique usitata agetur: §. 2. de novis vocibus ab utroque usurpatis: §. 3. de rarioribus quibusdam vocabulis in utroque obviis. Secundum haec robur legionum illaturus, §. 4. locutiones plurimas minime tritas, & tamen utrique non tantum usitatas, verum etiam perpetuas mediam in aciem producam. Ad extremum sub sequentibus aliquot titulis utriusque auctoris antiquas locutiones, ac melioris aevi imitationes, adhaec vocabula trita sed novis notionibus usurpata, ῥήσεις forenses nonnullas, conjunctas item locutiones, & quasdam utrique peculiares constructiones sigillatim in medium proferam. Tandem ne nimiae diligentiae insimuler; quis inde usus ad vera Ambrosii opera a νοθευομένοις dignoscenda redundet, docebitur; simulque

mulque quid praeſtandum ſit, quoties, cuinam opus aliquod ἀδέσποτον ſit adjudicandum, certamen inciderit, methodus proponetur.

§. I.

Nominum exoticorum orthographia par in utroque auctore deprehenditur.

Vetus Eccleſia Latina uſque ad Hieronymi tempora Hebraicorum nominum ſcriptionem ad LXX. Senum orthographiam plerumque exigebat: quam quidem fere ſemper ſequitur Ambroſius. Itaque cum ſenioribus haec nomina aſperat *Hieruſalem*, *Hiericho*, *Hieremias* Ambroſius, juxta vero cum Ambroſio etiam Exjoſippus. Vterque vero *Eliſaeum* non *Heliſaeum* ſcribit, ab Senioribus recedens id nomen aſperantibus. At interim Tertulliano (612) ceteriſque ſcriptoribus non eadem ſcribendi ratio fuit, ut qui eadem illa quae dixi, modo cum aſpiratione, modo leniter ſcribere amant.

Illud etiam eſt notandum quod tam Excidii auctori quam Ambroſio non *Joſua* ſed *Jeſus Navè* ſemper vocatur; quamvis a Senioribus illud *Nave* prima tantum vice addatur, in ſequente vero tota hiſtoria ſimpliciter Ἰησοῦς (*Jeſus*) ſine illo addito nuncupetur: Huc etiam referri poteſt quod ſcriptor uterque libros quatuor, qui ſtatim Judicum librum excipiunt, non *Regum*, ſed *Regnorum* (613) *libros* Graecor. interpretum more vocat.

Adhaec Ambroſio non *Naboth* ſed ἀκλίτως (*omnibus caſibus*) *Nabuthe* cum LXX. dicitur is, de quo etiam librum ſcripſit: at eadem lectio Excidio eſt reſtituenda in V. 32. ubi in Exjoſippo Bibliothecae Patrum ſic vulgo legitur: *Naboth propheta a ſuis utique lapidatus eſt.* At in editione prima cum ultima vocali *Nabuth*. Nec dubito quin Exjoſippus *Nabuthe* ſcripſerit, deinde E finale ſive librarii ſive editores removerint.

Verum haec levia illud multo gravius, quod jam dicturus ſum. Etenim duo ſaltem ſunt, quod nunc ſciam, vocabula, in quibus perſcribendis Excidium aeque ac verus Ambroſius ita ab uſitata Senum orthographia diſcedit, ut tamen cum Joſepho Judaeo faciat. Nec ulla apparet ratio, cur in iis duobus nominibus ab Senioribus ad Joſephum Ambroſius defecerit, niſi ea eſt, quod dum ipſe juvenis Excidii Hieroſolymitani hiſtoriam ex Joſephi Graeco in Latinum transfunderet, nobilis hujus hiſtorici, cui ſe tunc dediderat, ſequi orthographiam debuit. Cui rationi poſtquam diu inſuevit, ne tunc quidem ab ea diſceſſit, quando epiſcopus factus tractatus & commentaria ſcriptitabat. Vnum horum eſt *Eliſaeus*, quod aeque atq. in Joſepho cū leni E ſcribitur ac per caſus declinatur, ab Exjoſippo quidem in IV. 17. bis, ab Ambroſio vero ſexcentis locis [cujus indices conſulere nullius eſt laboris] at in LXX. prima vocalis denſatur, nec per caſus flectitur, quibus Ἐλισαιέ, *Heliſaee* & indeclinabile & cum E aſpero uſurpatur: quo ſane ſpiritu Latini patres Ambroſio aequales & antiquiores utebantur. Verum

(612) Tertullianus verbi cauſa *Heliae* nomen contra Seniorum & Ambroſii conſuetudinem denſat: contra *Jerico* leniter effert, quod ab LXX. & Mediolanenſi aſperatur. Nec vacat in ceterorum ſcribendi rationem inquirere, quos haud ſemper cum LXX. nec cum Ambroſio conſentire certum eſt.

(613) In Graecis Bibliis libros illos quatuor non *Regum* ſed (βασιλειῶν) *Regnorum* vocari ſcitiſſimum eſt, Id ſecutus Ambroſius paſſim in ſuis operibus *Regnorum* libros [nunquam vero *Regum*] citat. At etiam Exjoſippus ſic in hiſtoriae ſuae anteloquio incipit: *Quatuor libros Regnorum, quos Scriptura complexa eſt ſacra, & jam ipſe ſtylo proſecutus uſque ad captivitatem Judaeorum murique excidium, & Babylonis triumphos, hiſtoriae in morem compoſui.* Poſt quem laborem, Excidium Hieroſolymitanum ſe ex Joſepho interpretaturum proponit. Vtinam illa Exjoſippi Regnorum hiſtoria exſtaret. Ex iis certe paucis, quae Ambroſius epiſtola VI. & XIX. hiſtorico ſtylo ex Judicum libro delibat, haud leve hiſtoriae Regnorum ingerit deſiderium, ſi quidem ejus deperditae hiſtoriae auctor Exjoſippus haud alius ab Ambroſio fuerit: de quo nullus per me relinquetur dubitandi locus.

rum sit hoc parum. At illud longe gravius, quod uterque auctor numquam *Philistiim* aut *Philistinos* [qui in Graecis Bibliis modo sunt Φυλιστιίμ modo ἀλλόφυλοι] eos de quibus liber Judicum tam multa narrat, appellet, sed semper *Palaestinos*, cum Josepho scilicet, qui numquam aliter quam Παλαιστίνους eosdem vocavit. Itaque Ambrosius ep. (19) ad Vigilium Samsonis narrans historiam, saltem vicies *Palaestinos* dixit, ut & alibi passim, *Philistiim* vero aut *Philisthinorum* vocabulum nusquam prorsus usurpavit. Nec aliter Exjosippus (614) antea scripserat.

Et haec quidem aequis judicibus probare causam poterant: at id quod dicturus sum vel invito cuilibet assensum credo extorserit. Nam THYMIAMATERIUM pro *Thymiaterium* [ex Gr. scil. θυμιατήριον] ita singulare utrique auctori nostro est, ab nullo prorsus alio usurpatum, ut Excidii Hierosolymitani historia Ambrosio sit necessario tribuenda. De quo, ne longum faciam, vide inferne (615) adnotata.

Ceterum Ambrosium, non tum solum, quando in Josephi interpretationem incumbebat, verum etiam episcopatu inito Josephi studiosum fuisse, ex pluribus ejus operum (616) locis licebit animadvertere: nec mirum, quandoquidem illum uti *Relatorem egregium* in Excidii prologo laudaverat, & ejus extulerat *rerum indaginem & sermonum sobrietatem*. Sic enim usuvenit, ut qui ineunte aetate scriptores delectaverint, eos nulla aetas e manibus facile excutiat.

§. II.

(614) Exjosippus ante medium orationis ejus, qua V. 15. populares suos Josephus hortatur: *Servistis ... Palaestinis: solos Romanos vobis graves putatis?* Mox: *De Palaestinis quid loquar?* Post pauca: *Occiso illo* (Saule) *Palaestinus vobis populus imperitavit*. Nec usquam alio modo id nomen extulit.

(615) *De* Thymiamaterii *vocabulo Ambrosii & Exjosippi peculiari*.

In eo vocabulo MA syllaba non ab amanuensibus est, sed ab utriusque scriptoris calamo, arbitrati opinor, id ex θυμίαμα & τηρέω componi; sicuti veteres existimarunt *Arteriam* ab ἀὴρ & τηρέω compositum esse nomen. Quae tamen falsae sunt originationes; quia tam *Arteria* fit a tertia persona praeteriti passivi verbi ἀίρω [ut in epistola ad Cl. Morgagnium, quam diei II. hujus mensis inseruimus, demonstratum fuit] quam *Thymiaterium* ab eadem tertia persona verbi θυμιάω fluit. At quidquid hujus sit: nihil magis Exjosippi Ambrosiique ταυτότητα prodit, quam quod uterque singulari modo hoc nomen scripsit, novumque adeo vocabulum condidit. Videatur Exjosippus quidem tum alibi, tum in primis V. 9. *Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quod ... sicut incensum dirigatur maximi sacerdotis oratio*. Sic ea vox in editione principe & in omnibus posterioribus legitur. Nec dubitaverim quin eadem prorsus lectio restituenda sit eidem Excidii auctori in I. 17. ubi de Pompejo ingresso interius tabernaculum sic narrat: *Atque intus aspexit lucernam, & thymiamata* [corr. *thymiamateria*] *& tabulas testamenti, superque eas Cherubim, multitudinem aromatum dispersam* &c. Correctio, quam adhibui, non solum ex eo firmatur, quia *thymiamata*, h. e. *suffitus*, nihil heic faciunt, ubi post lucernam & mensam, altare aureum suffimentorum [idque est θυμιατήριον] memorandum supererat; verum quia id etiam ex Josepho in I. de B. J. 7. n. 6. [quem locum heic Noster interpretatur] constat, ubi eadem omnia leguntur, nisi quod pro *thymiamata* est θυμιατήρια, aut ut in Ms. legitur, sing. θυμιατήριον. Sane posterius multo mallem; nam θυμιατήριον unum erat. Itaque Noster [cui syllabam MA inserere ei vocabulo libuit] *Thymiamaterium* scribere ex auctore suo debuit.

Sed & Ambrosius epist. (4) ad Felicem n. 3. sic scripsit: *Quum spiritu adoles aureum illud thymiamaterium* [nec ulla interim diversa lectio a Benedictionis producitur] *nos ne intermiseris; ... de quo ... oratio tua sicut incensum dirigitur ad caelestia*. Vbi & eamdem plane sententiam & eisdem non modo verbis, sed & orthographia, expositam vides; ut prorsus mirer ni idem omnino auctor utrumque scripserit: a quo deinde Ordo Romanus & recentiores quidam eam scribendi hujus vocabuli rationem arripuerunt.

(616) Ex epist. (19) ad Vigilium n. 12. & exinde in historia Samsonis, & ex epist. (45) ad Sabinum num. 2. & ex aliis pluribus Ambrosii locis apparet, eum in Josephi operibus minime hospitem fuisse.

§. II.

Paucula quaedam nova vocabula utrique communia.

Novas dico voces, quae in lexicis minime reperiuntur, etsi non ignorem eas forsitan aevo Ambrosii haud prorsus inusitatas fuisse. Ab iis igitur utrique scriptori communibus, quae sunt numero paucissimae, ordiar.

FVNDIBALVS vox est machinae bellicae utrique scriptori usitata, quam frustra in lexicis requiras. De qua tamen nequis mihi controversiam moveat, interne (617) uberius agimus.

INCENSVM h. e. coctum edulium, etsi lexicis ignotum, dubito an huc afferam; propterea quod referri potest ad neutra, quae cuivis liceat pro substantivis usurpare. Vsus est eo nomine Exjosippus V. 40. ubi Mariae illius, quae fame adacta lactentem filium coxit manducavitque, facinus infandum describit. *Sed*, inquit, *nidor incensi* (h. e. cocti infantis) *pervenit ad principes seditionis*. Vsurpavit & Ambrosius in epistolis.

INVELATVS h. e. non velatus. *Libidines invelatas* Exjosippus lib. I. cap. 37. dixit. Item Ambrosius de exhort. virgin. cap. 12. n. 82. *Vultum aperuit* (S. Sotheris) *soli invelata . . . martyrio*. Et quidem uterq. auctor novis ex IN (618) compositis vocibus delectatur.

PERFVNCTORIVS [quod a lexicis abest, dumtaxat adverbium inde factum recensentibus] in utroque notaveram: sed Exjosippi exempla nunc frustra quae-

(617) FVNDIBALI vocem usurpavit Ambrosius ep. (37) ad Simplicianum num. 40. ubi ex Prov. XXVI. 8. sic de suo (uti quidem assolet) textum Seniorum interpretatur: *Quoniam qui deligat lapidem in fundibalo* (LXX. σφενδόνῃ) *similis est ei, qui dat imprudenti claritatem*. Ibi Vulgatus noster, *In acervum Mercurii*: de quo in loco Deo juvante dicetur.

Exjosippus autem lib. V. ad finem cap. 44. de Jesu filii Ananiae, diu infausta Judaeis vaticinati, interitu sic loquitur: *Et ad postremum addidit: Vae etiam mihi: & FVNDIBALO ictus, in eadem voce amisit spiritum*. Sic editio prima Ascensii habet, sic optimi quique manu scripti. At posteriores editiones FVNDIBVLO exhibuerunt: male, quia est a βάλλω. In Anacephalaeosi, quae ad calcem Exjosippi edita reperitur, *Fundibari* corrupte legitur. At FVNDIBALVS recte dici, tum Glossae antiquae declarant, in quibus *Fundibali* sunt λιθοβόλοι, tum etiam Isidorus XVIII. 10. his verbis: *Inde* (a *Balista* scil. quam *ab emittendo* proxime derivaverat) *& FVNDIBALVS, quasi FVNDENS & EMITTENS*. Quorum posterius ad *Balistam*, uti dixi, refert.

Quod si quaeras, quid Exjosippus *Fundibalum* vocaverit, id ex Josepho, cujus se interpretem gerit, intelliges lib. V. cap. 5. n. 3. ubi de eadem re sic scribitur, λίθος ἐκ τοῦ πετροβόλου σχασθεὶς &c. *Lapis ex balista* (Graeci πετροβόλον a jaculandis saxis appellant) *excussus, eum percutiens statim interficit*.

At Aldhelmus cap. 5. videtur Fundibali nomine vulgarem fundam intellexisse: cum qua scil. caeli vertiginem comparat: *Protoplastus recentis paradisi colonus, & totius terrestris creaturae, quam teres vertigo caeli in modum rotantis fundibali circumgyrat, rudis possessor*.

(618) Veluti apud Exjosippum INEXITIABILIS [ut IV. 14. *Sed qua via inexitiabile id sibi afforet, non reperiebant*.] INEXPRESSVS (ut V. 25. *Quod potuit ministerium, non inexpressum reliquit*) & INTAMINO, ut II. 10. *Ne templum intaminarent*. Vbi aliud hoc est ab illo Horatii, *Intaminatis fulget honoribus*. Nam Flacco est nomen cum IN στερητικῷ (*privativo*) conflatum; Exjosippo autem est verbum, & quidem cum IN ἐντατικῷ compositum.

Ambrosius quoque IRRVTILO nove dixit ep. (18) advers. Symmach. n. 24. *Clari splendore fulgoris irrutilat*: itemq. de Fide Resur. n. 10. Adhaec INEXCEPTVS eod. lib. n. 6. Ibid. n. 12. legitur *IMMADIDENT caput*. De Noe num. 3. *IMPIGRITIA*. Haec quidem ex IN composita nova sunt: nam rara apud utrumque quis enumeret, ac praesertim Virgiliana? Nam Maronis vocabula & locutiones uterque passim venatur. Ad IN ἐντατικὸν illa Virgiliana pertinent, INFRACTVS h. e. valde fractus (quod in Exjosippo juxta atque Ambrosio est perpetuum) item IMMVGIO (quo Ambrosius ep. 63. ad Eccles. Vercell. n. 55. utitur) & IMMVRMVRO, quod & ab Exjosippo non semel, & ab Ambrosio eadem sectione de iis, qui in Mosem murmurabant, bis usurpatur: a quo verbo num. 56. novum nomen finxit IMMVRMVRATIO. Verum haec, uti dixi, prope infinita numero sunt.

quaesivi. At Ambrosius passim (ut de Noe n. 48. & l.1. de Abr.n.2.) at lib. de Paradiso cap.6.num.30.& 31. quater *Perfunctorius* in usum adscivit.

PRAEEMINEO. Reperitur saepe in Exjosippo; ut lib. I. cap.35. *Turris Stratonis . . . gratia loci praeeminens*. Et III. 5. *Mons urbi praeeminet*. Et IV. 2. *Etsi spectata virtus praeeminere soleat in bello*. Et V. 12. *De praeeminentibus loquimur*. Nec rarius in Ambrosio: ut in de virginitate num.29.*Apostoli eam* [castitatem] *ceteris* (studiis) *praeeminere cernentes*. Et ep. (1) ad Gratian.n.9.*In Dei gloria praeeminentem*. In Hexaem. l. III. c.7. n.30. *Clarus honoribus, praeeminens potestatibus*. Lib. de Parad. c. 6. num. 32. *Intelligebat Deum omnibus praeeminere*.

REDOPERIO pro *Retego* reperitur in Exjosippo V. 40. *Haec dicens simul redoperuit ambusta membra*: & in Ambrosio in de virginibus lib.II. num.18.*Cineribus exagitatis Sacerdotis aeterni redopertus manu, vaporem Divini ignis exhalat*. De Noe n. 7. *Partes corporis redoperuit ac retexit*. Item n. 115.

THYMIAMATERIVM pro *Thymiaterium* [ex Gr. θυμιατήριον] singulare utrique huic scriptori fuit: de quo videbis supra in Adnot. 615.

VIRIDESCO videor in Exjosippo reperisse: sed locus excidit. Vtitur autem & Ambrosius in prologo libri de Spiritu Sancto num. 16. *Cordis arva viridescant*.

His adde quae supra in Adnot. 610. *Ablevare* & *Placidare* & *Resragium* nova vocabula Exjosippo & Ambrosio communia inter locutiones a Gronovio notatas recensuimus.

Adhaec autem & nova pluscula in Exjosippo verba memini reperisse, quorum exempla nondum in Ambrosio invenire paria licuit: quae quidem in subjectam (619) adnotationem conjeci. Quod illi tantum

(619) *Exjosippi nova alia vocabula quaedam, ignota lexicis*.

ARCVBALISTA reperitur in Excidio lib. II. ad finem cap.15. *Arcubalistae, arietes, ceteraque instrumenta in excisionem urbis adducta*.

ARIETOR (nam *Arieto* tantum in lexicis extat) legitur IV. 15. *Multi supra pauciores equites arietantur*.

CINERVLENTVS. V. 53. *Cinerulenta canitie*.

CONVLCERATVS. I. 45. *Tot parricidiis CONVLCERATVS*. Sic enim in aliis legitur: at in prima editione *Convulneratus*: quam lectionem secutus, eam vocem §. 3. recensui.

COOPERARIVS. I. 42. *Cooperarium factionum suarum Pheroram*.

DEFVRO. IV. 9. ad finem: *Post ubi defurere* (h. e. evigilare ab furore) *visi*.

EXCIDIALIS. V. 42. *Illum diem esse templo EXCIDIALEM*. Delectatur autem uterque auctor vocibus in ALIS finitis.

MANGANVM h. e. machina: quae vox tantum in Glossis [Μάγγανον, inquiunt, *Manganum*] & in citimae aetatis scriptoribus reperiri putabatur. At Exjosippus IV. 20. *Manganum quoddam sibi de ligno paravit*. Sic enim in principe editione recte legitur: at in posteriore alia, quam ad manus habeo, *MAGNVM quoddam*, prorsus ridicule scribitur. In Josepho nihil quod eo attineat.

PRAERVPTIM. V. 6. *Egrediuntur . . . praeruptim sine ordine*.

PROPITIOR pro *Propior*. De hoc seorsum ad finem hujus adnotationis dicetur.

REFERIO. II. 15. *Si quis referire audebat, patere vulneri*.

SAVCIOSIORA (nam nec comparationis gradus, nec simplex *Sauciosus* affertur a lexicis) IV. 6. *Et cruenta pavimentis SAVCIOSIORA detergens hulcera*. Sic in omnibus editis: nisi quod in prima Ascensiana, *Sautiosiora*.

STIPAMEN. V. 3. *Factionum stipamine circumveniri*.

STOLVS. II. 9. *Vbi est stolus navium vestrarum?* Abest haec vox a lexicis; at reperitur l. 7. Cod. Th. de Navic. *Stolus Alexandrinus*; Vt taceam recentiores. Στόλος est *classis*.

TVTIO pro *Tuitio* videbitur forsan mirificum: tamen III.6. ad finem de Hierosolymis sic legitur: *Ita ut quasi caput in corpore non obumbret sua membra, sed regat, atque eis TVTIONI sit, & pulchritudini*. Et sic quidem tum Ascensiana editio tum omnes posteriores praeferunt: quod & rectum esse non dubito; quum omnino fiat a vetere supino *Tutus* (pro *tuitus sum*) a quo & frequentativum *Tutor* venit, & nomina *Tutus* & *Tutio* pro *Tuitio*.

VICTVM victi pro eo quod Graecis ἧττα,

tantum mirabuntur, siqui alicujus Ambrosiani opusculi nova aut parum usitata quaelibet nomina, nisi eadem in altera ejusdem S. Doctoris lucubratione sint obviam habituri, protinus indignentur.

§. III.

Rariora verba utrique usurpata.

AGGER viarum medium occupabat; quae in dorsum assurgebant, ut aquae utramq. in partem defluerent. Virg. lib. V. v. 273.

ἧττα, Latinis autem *amissa pugna*, aut *belli offensio* dicitur, haud minus mirandum videbitur. Sic autem Exjosippus III. 9. *Tanta erat Romanae virtutis constantia* [melius in Ascensiana & pluribus scriptis *Conscientia*] *ut non cito vincere pars VICTI aestimaretur*. Quid elegantius? Id vero ab Livii dictione non abhorret, apud quem τὸ *Debellatum cum hostibus*, *l' aver debellato i nemici*, & similia vicem nominis implent, & cum verbis, aeque ac nomina, construuntur. Haec quidem in Exjosippo nova vocabula, nondum in Ambrosio observata, reperi, facile eorum partem in eo reperturus, si quidem in his temporis angustiis licuisset totum, quantus est Ambrosius, jam quidem festinanter & carptim a me pervolutatum, accurate denuo percurrere. Ceterum pars harum dictionum historico (quem Exjosippus agit) quam ecclesiastico tractatori convenientior erat.

Quid quod etiam Ambrosio sua sunt nova quaedam verba, quae frustra in Exjosippo requiras? Nam verbi causa ubinam quaeso in Excidio Hieros. aut alibi reperias illud DEVORATORIVM, pro sepulcro scil. quod Graeci σαρκόφαγον vocant? Quo quidem utitur Ambrosius ep. (4) ad Felicem num. 5. de Christo sic scribens: *Vt aculeum mortis hebetaret, devoratorium ejus obstrueret*. Etsi adjectivum *Devoratorius* jam pridem a Tertulliano usurpatum fuerat in de Idololat. cap. 1. *Crimina ... devoratoria salutis*. Est etiam in Ambrosio CRINICVLVS semel in De Parad. n. 11. (*Si Eva ... accensas habuisset* [virginum sapientium] *faces, numquam praevaricationis suae nos criniculis implicasset*) iterum in una ex epistolis. Sed & alia quaedam nova Ambrosii verba in schedis habeo. Verum quid me frustra fatigo? sicuti unus quilibet Ambrosii liber peculiaria habet verba, quae incassum in alio ejus libro quaesiveris; sic plura in Excidio sunt, quae forsitan ab reliquis Ambrosii operibus aberunt, ac vicissim. At interim locutionum minime tritarum copia non illepida utrique communium, quae in hoc Glossarii specimine repraesentabitur, permagno argumento est, Exjosippum haud fuisse ab Ambrosio alium.

Antequam vero hinc abeo: nova verba, quae ex Hieros. Excidio decerpsimus, ea non tum primum ab Exjosippo excogitata, jam praemonuimus, verum antiquitus quidem usitata, deinde ab Nostro [antiquarum ῥήσεων aeque studioso atque Ambrosio] revocata. Rem ita esse, vel vox una PROPITIOR persuadere potest, idem quod *Propior*, significans. Exstat is locus lib. III. Excidii cap. 5. medio, ubi de Antiocheno populo sic scribitur: *Frequens & laetior populus, ut pleraque orientis, facetiorque prope omnibus, sed PROPITIOR lasciviae*. Sic in scriptis omnibus & editis, ipsaque editione prima. Nec dubium est, quin sicuti *Arduius*, *Assiduiores*, *Exiguius*, *Industriior*, *Perpetuior*, & similia antiquis dicebantur (quibus etiam Ambrosium delectatum video, ut qui in *De* obitu Valent. n. 13. scripsit: *Magnum est ... eam* (juventutem) *in ipso juventutis vestibulo derelinquere, atque ad SERIORA* [sic Mss. omnes: estque a positivo *Serium*] *converti*) sic etiam a *Propitius* comparativus *Propitior* descenderet. Et in eo quidem parum lucri fit: at in eo vel maximum, quod PROPITIVS non tantum a *Prope* fiat [de quo tamen a pluribus fuerat dubitatum] verum etiam quod primario significatu eum, qui *prope* est significet; unde comparativo gradu *Propitior* olim *propiorem* notabat. Ceterum ubi deos *propitios* h. e. faventes prisci dicebant, id eadem notione fiebat, qua eosdem *praesentes* (Virg. *Nec tam praesentes alibi cognoscere divos*) nuncupabant. Scitum est antiquis fuisse persuasum, deos adventu praesentiaque sua opitulatos. Sed & verbum *Propitio* primario quidem erat *Admoveo*, vicinum reddo; at deinde ob eamdem causam erat ἱλάσκειν h. e. faventem efficere. Ad priorem notionem referri potest illud Curtii lib. 4. *Jove Minervaque victoriam propitiante* h. e. advocante ac repraesentante. Adhaec Plinius XXVIII. 2. *Quin etiam multas religiones pollere manifestum est. Alius saliva post aurem digito relata, sollicitudinem animi propitiat*. Quo loco *Sollicitudo* non aliud mihi videtur notare, quam ipsum illud quod sollicite ac perdite expetimus: eam vero rem superstitio a Plinio descripta arcessere ac praesentem sistere credebatur. Verum de Exjosippi, Ambrosiique antique dictis nunc satis: nam de iisdem passim opportunus mihi incidet disserendi locus.

v.273. *Viae deprensus in aggere serpens.* Sic & saepe Tacitus. At postea sine *Viae* addito *Agger* viam notabat. Sic certe uterq. Noster usurpat, Exjosippus quidem in V. 3. *In aggere* (h. e. via) *publico*: Ambrosius vero ep. (19) ad Vigilium num. 19. *De aggere deflexit*. Rursus: *Praeter aggerem* [leonem occisum Samson] *dereliquit*. Ceterum haud rarissima ejus rei (620) exempla reperies. Ac poterat hac voce notanda supersederi, si ceterorum paullo frequentiora loca praevidissem.

ATTAMINO. De hoc verbo vide inferne (621) adnotata.

COMPERENDINATIO proprie erat judicii in perendinum aliumve diem dilatio. At uterque Noster extra judicia ea voce abutitur. V. excid. 53. *De comperendinatione vivendi cogitans*. Ambros. de fuga saec. n. 10. *Sine ulla comperendinatione, ... ad arcem properet, ubi Verbum est Dei*. Eadem notione verbum COMPERENDINO est utrique commune. II. excid. 15. *Imminentem belli exitum comperendinavit*. Ambros. epist. VI. *Volenti abire* (genero) *quartum quoque diem comperendinavit*.

COMPETENTER. Excidium I. 46. *Posthaec competenter atque magnifice funus* (Herodis) *curatum*. Ambr. ep. (21) ad Valentin. n. 2. *Cui respondeo, ut arbitror, competenter*.

CONSPIRATI pro conjuratis. Exjosip. II. 18. *Ac si forte conspirati adessent, solus sustentaret aciem*. V. 6. *Conspiratos inter se ... viderat*. V. 10. *Conspirati urgente periculo urbem tuentur*. Ambrosii exemplum, cujus plane commeminisse videor, adhuc quaero.

CONTEXTIO. In V. Excidii 44. de Jesu Ananiae filio: *Eadem denuntiationis perseverantia, & contextione sermonum ... in iisdem manebat.* Ambros. De obitu Valentin. n. 78. *Aliqua precum mearū contextione*.

CONVVLNERO. I. Excid. 45. *Tot parricidiis convulneratus*. Ambr. ep. (43) ad Horont. n. 5. *Omnes spiritales nequitias ... convulnerabat*.

DEFENSO infrequens antiquis verbum, utrique Nostro mirifice arrisit. V. excid. 4. *Vt ... conspirantibus studiis patriam defensarent*. Cap. 14. *Nec lapsa reparare, nec lapsura defensare poterant*. Ibid. *Antoniam defensabat Joannes*. Nec raro alibi. Ambros. de Virginitate initio cap. V. *Me ipsum defensatum venio*. Pluribus supersedeo. Indidem DEFENSABILIS & DEFENSATRIX [ignota lexicis] idem derivavit. Ep. (56) ad Theophil. n. 5. *Eo defensabilior sibi videtur.* Hexaem. lib. VI. n. 69. in pulcherrima humani corporis descriptione. *Manus est totius corporis propugnaculum, capitis Defensatrix*.

DEONERO. I. Excid. 20. *Aristobulus*

(620) Nam & Ammianus usus ea voce fuit lib. 18. [*Ad secundum*, inquit, *lapidem ... puerum in aggeris medio vidimus ejulantem*] & alibi; & Rutilio Numatiano via Aurelia *Aurelius agger* vocatur. Sed & Codex Theodosianus non semel usurpat; nec raro etiam Paulinus junior in vita S. Martini versib. scripta. Adhaec significationem eamdem & Servius ad lib. 12. & post eum Isidorus notarunt.

(621) ATTAMINO, si veteres Glossas audimus (in quibus redditur *μιαίνω, μολύνω, σπιλόω*) est *Contamino*. Nec vulgo aliam quam contaminandi notionem huic verbo tribuunt lexica. At interim uterque Noster pro *Attrecto* usurpavit: quae mihi primitiva significatio fuisse videtur. Ceterum quia quae attrectantur, ea inde contrahunt sordes; secuta est altera *maculandi* significatio. At uterq. Noster primitivam notionem secutus est. Exjosippus I. 44. *Verum ille* (Herodes) *ingerentem sese* (Antipatrum) *repellens ... ne parricidae osculo CONTINGERETVR, exclamavit ... Ne igitur CONTIGERIS, ne ATTAMINAVERIS, quem scelere petisti*. Multa in medio reliqui, quae nihil praeter tactum & amplexum designant. Sed & Ambrosius ep. (42) ad Syricium ex Paulo (ad Coloss. II. 21.) sic de suo vertit: *Ne tetigeritis, ne ATTAMINAVERITIS* (quod respondet Paulino verbo *μὴ θίγῃς, ne adtrectaveris*) *ne gustaveritis*. Et quidem quod in verbo Attamino significatus *inquinandi* non primitivus sit, sed posterior, id ex altero Glossarum Philoxeni loco didici: in quo *Attaminatus* tantumdem est, quod *χαρισθεὶς, μιωθεὶς* (sed corr. *μιανθεὶς*, *Inquinatus*) ubi vides prius esse *Attrectatus* (id enim valet *χειρισθεὶς*) postea *Inquinatus*.

lus . . . deoneravit inermis populi multitudinem, & sola octo millia &c. Ambr. ep.(58) ad Sabin. n.1. de Paulino Nolano: *Tamquam deoneratus gravi sarcina*.

DILORICO. Exjosip. I. 25. *Diloricato amictu*. IV. 24. *quaecumque repererant, diloricabant*. I. 5. *Advenientem Antigonum diloricarent*. Amb. de fide resurr. n. 12. *Diloricata veste*. Affertur ex uno Cicerone in lexicis illud, *Diloricare tunicam*. Ex quibus vides tantumdem esse quod Discindere, Dilacerare.

EXTRAMVRANVS & INTRAMVRANVS. Prioris exemplum ex Lampridio, posterioris ex Asconio exempla singula lexicographi protulerunt. At uterque Noster alia suppeditabit. I. Excid. 17. *Extramurani populi multitudinem*. IV. 25. *Simon extramuranus hostis*. Vtrumque vero simul junxit Ambros. ep. (20) ad sororem n. 1. *Nec jam Portiana, hoc est extramurana basilica petebatur, sed basilica nova, hoc est intramurana*.

INHALO. IV. Excid. 17. *Diversis inhalantes floribus paradisi*. Quod Ambros. totidem verbis l.5. Hexa. n.69. repetit. Et de Myster. n.3. *Aperite igitur aures, & bonum odorem . . . inhalatum vobis munere sacramentorum carpite* &c.

ILLEX. I. Excid. 41. *Popularis quaedam pietatis est gratia, & maxime in suos illex dilectionis*. Ambr. de excessu Satyri n. 10. *Lacrymae pietatis indices, non illices sunt doloris*.

INCENTOR. V. Excid. 16. longe a medio: *Ne seditionum incentor existimarer*. Et V. 17. *Incentores seditionum*. Ambr. ep. (20) ad soror. n. 10. *Si me incentorem* (populi) *putaret*. Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 9. *Incentores vitiorum omnium*. Ep.(70) ad Horontian. *Peccati incentorem*. Hexa. l.1. n.31. *Incentor criminum*. Sed & INCENTIVVM [quo usus est Plinius in Paneg. & post eum saeculi IV. scriptores] in neutro infrequens. V. excid. 29. *Incentivo fuit*, & alibi pluries. Ambros. de Parad. c. 6. n. 34. *Incentivum ad operandum quod malum est*. Mox: *Incentivum peccandi*. Deinde: *Incentiva vitiorum*. Ac passim.

IVVENESCO memini quidem reperisse in Excidio, sed non praesto. At Ambrosius in de Viduis n. 84. *Juvenescentem luxuriam vitis* dixit. Ejusdem est Ambrosii novum IVVENCVLESCO, quo utitur lib. I. de Cain initio cap. 4. *Juvenculescat infirmitate*. Et lib. 2. n. 2. *His . . . juvenculescat adolescentia, senecta canescat*.

MAESTIFICO. Exjosip. I. 36. *Ne in aliquo mulieris animum maestificaret*. Ambr. ep. (39) ad Faustinum n. 4. *Nec maestificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus* [sororis mortuae] *Domino commendandam arbitror*. Vides obiter quid de oblationibus pro defunctis aetas Ambrosii senserit.

NATATORIA non alia in lexicis quam Sidonii auctoritate firmatur, vox ceteroqui vulgato interpreti Jo: IX. 7. 11. usurpata. At poterat citari auctor Excidii, qui certe alicubi utitur, etsi mihi nunc locus exciderit. Vtitur & Ambrosius in I. de Spiritu S. num. 88. ubi illam Joannis V. 4. κολυμβήθραν reddidit non cum Vulgato *Piscinam*, sed *Natatoriam*, ceteroqui & alibi eodem vocabulo usus. In Cyrilli Glossis κολυμβήθρα est *Piscina*, *Natatura*: sed in Mss. *Natatoria*.

PARADISVS h. e. hortus. IV. Excid. 17. *Diversis inhalantes floribus paradisi suaves fundunt odores*. Sic etiam V. 16. & alibi pluries. Item Ambr. sexcentis prope locis, qui notati deperierunt. Sic ep. (71) ad Horont. n.3. *Transivit* (Christus) *in paradisum, ubi se capiendum dedit*. In alia quadam nescio qua epistola usurpavit ad satietatem.

PARRICIDALIS Exjosippo in deliciis fuit: & tamen, deperditis schedis aliquot, paucorum nunc locorum succurrit. In I. excid. 40. *Vbi parricidale illud inveniam caput, ut manibus carpam meis?* Et V. 18. *Frequentiae parricidales* usurpavit. Et cap. 41. de Maria quae filium commanducavit: *Parricidales injecit pignori manus*. Cap. seq. de eodem facto: *Vnusquisque . . . parricidalis convivii ministerium perhorrescebat*. V. 53. *Pompae*

parri-

parricidalis ludibrium. Nec minus Ambrosio placuit. De Cain lib. 1. cap. 2. n. 5. *Per Cain parricidialis* [nam tū sex tum quinque syllabis scribitur] *populus intelligitur Judaeorum*. Ep. (2) ad Constant. n. 10. *Cain dicitur parricidalis facinoris luens poenas*. Ep. (45) ad Sabin. n. 13. de Ada: *Ex terra creatus virgine ... nondum ea parricidali ... concreta sanguine*. Adde lib. de Noe n. 107. Et de fuga saec. n. 39. Item de Cain lib. 2. n. 26. *Contagia parricidalis sanguinis* [a Caino fusi] vocat.

PRAELIARIS. Excidium I. 14. *Venditur summa praeliaris certaminis talentis trecentis*. V. 5. *Praeliari accincti munimine*. V. 7. ad finem: *Praeliares lapsus*. Ambr. de Viduis c. 8. n. 50. *Praeliaribus* (Debbora) *intermixta copiis*.

PROLAPSIO [quo unus Cicero semel utitur] utrique Nostro amicissimum (622) fuit.

VALESCO ceteroqui rariusculum, exstat apud Ambrosium initio lib. de Viduis: *Magisterium virginitatis viduarum valescit exemplis*. De Noe II. 28. *Ex quo* [succo alimentorum] *omne corpus valescit*. Sed ante usurpaverat Exjosippus in III. 24. *Virtus vero patiens, & secundis valescit, nec usque ad finem labitur in adversis*. Idem eodem significatu *Valitudinem* dixit in V. 42. *Valitudinem parietum ... Judaeis in reliquum quoque incentivo futuram*.

VIANS. Excidium II. 9. *Romanis tamen supra nubes* [non modo supra montium claustra] *viantibus ... nihil invium fuit*. IV. 27. de Aegyptiis: *Isti circumvehuntur per sua rura navigiis ... viantes sine carpento*. Et cap. 33. *Secunda mansio viantibus civitas Heraclea*. Ambros. de Tobia num. 5. *Si viantes ad longiora deducere solemus*. Epistola (6) ad Syagrium: *Agmine viantum repleri*. Ep. (26) ad Iren. num. 11. *Comitantur viantem*. Ab eodem Ambrosio in Hymno *Nocturna lux viantibus* luna dicitur.

§. IV.

Pluscula, non trita loquendi genera utrique non modo peculiaria, sed plane perpetua.

Nolo equidem in hunc censum eas referre voces, quae etsi in Exjosippo aeque & Ambrosio supra modum frequentes sint, non sunt tamen eorum peculiares, sed cum aliis quoque auctoribus communes. Ejusmodi sunt ARBITER [idque varie admodum usurpatum], DEFERRE [praesertim cum dandi casu dumtaxat, ut *alicui deferre*] DENIQUE [pro (623) *Itaque*] DERELINQUO [non tam pro *Desero*, quam pro *Relinquo*] PRAE-

(622) PROLAPSIO apud utrumque Nostrum in bello sive vero sive metaphorico est *Offensio*, & ferme *Correctioni* sive *emendationi* opponitur. IV. Excid. 2. *Seque reparare, & CORRIGERE proprias quaerit prolapsiones*. Et IV. 30. *Conferre coeperunt, quomodo erratum EMENDARENT; evaginatisque gladiis insiluerunt super Caecinnam, volentes ultum ire injuriam suae PROLAPSIONIS*. Sic quidem in re bellica. Extra quam Ambrosius ep. (37) ad Simplicianum (in qua disputat, tantum sapientem esse liberum) num. 20. sic posuit: *Aut a virtute CORRECTIONES sunt, aut a malitia PROLAPSIONES*. Atqui debuerat *Prolapsiones* prius nominare, mox *Correctiones*, per quas illae priores reparantur. Ita sane. Verum heic *Correctiones* non aliud meo judicio vocavit, quam quod Graeci κατορθώματα appellant, h. e. praeclare facta sive in militia sive extra. Etenim in verbis modo adscriptis hanc summam actuum humanorum partitionem ponit: *In omnibus autem factis aut a* (sive *ex*) *virtute correctiones* (h. e. κατορθώματα, praeclara facinora) *sunt, aut a malitia prolapsiones, aut media aut* (pro *seu*: nam hoc ultimum *Aut* est mere ἐξηγητικὸν, non disjunctivum) *indifferentia*. Haec de hujus loci intelligentia. Idem Ambr. ep. (40) ad Theodos. num. 5. sine antitheto usurpavit: *Quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionem non evitaveris*. De Noe n. 49. *Diversorum criminum prolapsiones*. At ibid. num. 51. in re propria utitur. *Ingentium prolapsio fluentorum*. Adhaec in De bono mortis: *Pudore se prolapsionis* (Adam) *abscondit*. Hexaem. l. 1. n. 30. *Mutabilitatis vitium, & errorem prolapsionis*. Ac passim.

[623] DENIQUE pro *Quare* quarto saeculo & sequentibus haud rarum erat. De eo hujus particulae usu memini me alicubi in hoc Com-

PRAEROGATIVA, PRAETENDO, TENTAMENTVM, & alia ψαμμακόσια, ita utrique huic Nostro amica, ut tamen aliis minime inimica fuerint. Ea igitur dumtaxat hoc loco in medium producam, quae quum minime trita sint, tamen in utroque auctore, quem habemus prae manibus, sunt ferme perpetua. Ejus vero generis sunt potissimum quae sequuntur; quae κατὰ στοιχεῖον disposita pro more nostro procedent.

ACERBARE utrique Nostro plus nimio frequens est. Exjosippus II. 9. *Ne alterum acerbes, alterum arcessas*. IV. 13. *Bellum acerbabant sine venia deditionis* &c. Et pluries in eodem Excidio. At Ambros. epist. [2] ad Constantium n. 23. *Quod ipsam servitii vilitatem acerbat*. Et epist. [5] ad Syagr. n. 4. *Sparsis rumoribus ... acerbare invidiam delationis*. Ep. [37] ad Simplic. n. 40. *Acerbatur & geminatur malum*. Ep. [58] ad Sabin. n. 11. *Potuit quidem hoc & sermone exprimere, sed exemplo acerbare maluit, ut ... plus incuteret horroris*. Ep. [63] ad Vercell. Eccl. num. 60. *Nec acerbare familiare jurgium*. Lib. 2. de Cain n. 26. *Auget insolentiam, acerbat flagitium*. Et n. 38. *Aut poenam acerbaret*. Et alibi passim. Hoc vero ut & alia plura ex Virgilio pro more suo arripuit.

DEVOTIO est unum ex perpetuis Exjosippi & Ambrosii vocibus. Sed de eo opportunius §. 7. dicam, ubi de vocabulorum novis notionibus.

EXCLVDO amicissimum utrique, & quidem vario usu fuit. Exjosip. V. 2. *David exasperantem spiritum citharae suavitate solitus excludere*. Et alibi saepissime. Nec rarius (624) Ambrosius.

FORET, ceteroqui obviam vocem, in hunc censum non retulissem, nisi in utriusque auctoris scriptis perpetuum plane reperissem. Itaque τὸ ESSET in utroque tam rarum est, ut iniri numerus, quoties id sit usurpatum, possit; quum contra τῷ *Foret* usurpationes numerari nullo modo possint. Sed nolo his leviusculis lectorem (625) morari.

IN-

Commentario, quum ad Acta quaedam commentarer, locutum, & nonnulla ex veteribus JCtis loca attulisse. Quamvis autem quarto potissimum saeculo id frequenti in usu fuerit, ut *Denique* transitioni serviret, nec tam pro *Postremo*, quam pro *Itaque* usurparetur; tamen hoc etiam fatendum est, qui saepius isto modo abusus ea particula fuerit, prae Exjosippo & Ambrosio repertum iri neminem. Nulla ferme est utriusque auctoris pagella, in qua non id μόριον inculcetur; nec raro duae tresve continua serie periodi ab illo familiari *Denique* incipiunt. Etsi multo id crebrius in Ambrosio, quam in Excidio, quantum animadvertere licuit, legitur. Omnino haec una particula, vel si cetera desint indicia, amborum scriptorum ταυτότητα satis demonstraverit.

(624) Ambros. ep. (12) ad Imperatores n. 6. *Exclusa perfidia est*. Ep. (53) ad Theodos. n. 2. *Vt matris persuasionem excluderet* Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 103. *Qua* (oratione) *contumelia excluditur*. De myster. n. 41. *Quam* (caritatem) *multa aqua excludere* (in Vulgata nostra *Extinguere*) *flumina undare non possint*. De excessu Satyri: *Acerbitatem proprii maeroris* (communis dolor) *excludat*. De fide resurr. n. 3. *Resurrectionis gratia quem non excludat maerorem?* & n. 14. *Sedandi magis, quam excludendi doloris*. Et n. 21. *Excludit dolorem*. Vix quidquam in utroque frequentius.

(625) Nequis tamen queratur, non debuisse exemplis in totum supersederi, paucis contentus ero. Exjosippus I. 40. *Quidquid locuti forent apud Alexandrum, continuo apud Antipatrum erat*. II. 10. *Quod ea res praesumptae causa foret discessionis*. V. 4. *De specula ... demonstrat* (Titus) *suis cum qua urbe sibi bellum foret; impigros .. esse oportere, quod innumerabilis populus sibi expugnandus foret*. Et cap. 17. *Siquis deprehensus foret, graves poenas dabat*. Initio cap. 18. *Non repertis frugibus, quasi diligentius absconditae forent, tormenta exercebantur*. Et cap. 44. ubi de porta orientali sponte reserata: *Consultiores ajebant, custodiam templi resolutam .. ut quaecumque intus forent, ab hostibus diriperentur*. Nec ferme alio modo. Item Ambros. ep. (19) ad Vigil. n. 13. *Vt ... negantibus infestior foret*. Num. 28. *Ligatum se septem funibus, qui adhuc sine usu forent*. Ep [25] ad Studium n. 2. *Etsi cognitum tibi foret*. Ep. [45] n. 16. *Cui totus mundus patria foret*. Ep. [51] ad Theodos. n. 2. *Quod ad me pervenissent*

 aliqua,

INFRACTVS unum ex frequentibus utrique vocibus est, semper tamen pro *Valde fractus* ab *Infringo*; numquam pro *Non fractus*, uti barbare nunc vulgo usurpant. Id quoque a Virgilio suo didicit. Exemplis poteram supersedere. Aut certe pauca e multis ora (626) libri, nec nisi notabiliora dabit.

INFVNDO etiam ex perennibus est. Dixeris, ne aliis quoque inimicum id verbum esse. At Noster non tantum vulgari notione usurpat, sed & alia elegantiore ubi cum SE jungitur. Nam utrique scriptori INFVNDERE SE est *se inserre*. Paucis exemplis, quũ sint ὅσα κόνις, imus (627) margo contentus erit.

INTENTIO utramque facit apud utrumque scriptorem paginam: sed vario (628) admodum significatu.

MVLIER apud utrumque chartis omnibus sic ponitur, ut non sexus nomen sed instituti sit, nec mari, sed virgini opponatur. De quo in antique usurpatis loquar.

NECESSITVDINES pro quibuslibet propinquis ubi quaeso non apud utrumque legitur? Ac de eo quoque imum (629) marginem consules.

PI-

aliqua, quae in consistorio tuo statuta forent. Mox n. 3. *Sed, quod miserrimum foret omnium*. Ep. [66] ad Romul. *Quidquid a virtute devium foret*. Et ubi non? aut vero ubinam ESSET, nisi forte post CVM [ep. 44. ad Horont. *Cum aliud impossibile esset, aliud* &c.] aut raro alibi.

Quin & composita τοῦ Foret utrique amica fuerunt. IV. Excid. 14. *Sed qua via inexitiabile id sibi AFFORET* [pro simplici *Foret*] *non reperiebant*. Et V. 44. *Tamquam tempus afforet* [pro *adesset*] *libertatis*. Ambros. ep. [11] n. 4. *Etiam si deforet*. quae composita Virgiliana sunt, cui poetae plurima ubique Noster debet.

[626] I. Excid. 26. *Nisi a fratre infractus* [ubi vim participii habet] *& patre, impetus ejus consenuisset*. Ambros. de Viduis n. 88. *Haec est vera servitus* [viduae nubentis] *in qua infractior amor* &c. Ep. [63] ad Vercell. Eccl. n. 97. *Nihil molliculum, nihil infractum*.

[627] V. Excidii 4. *Infundunt se de muris Judaei*. Ibid. *Sed ex aliis partib. Judaei magis magisque infundebantur*. Et cap. 10. *Qua ex parte facilius se posset urbi infundere*. Et cap. 21. *Clausisque* [Judaeis] *se infuderat fames, atque in ipsas populi medullas descenderat*. Cap. 40. *Saeva fames intimis se infudit medullis*. Lib. IV. 7. *Vbi se vino infuderint*. Sed piget totum huc Excidium adscribere. Nunc Ambrosiana pauca de plurimis delibemus. De Myster. n. 2. *Quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis praecucurrisset*. Ep. [22] ad Soror. num. 9. *Se per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat*. Ep. [24] num. 8. *Barbarorum stipatus agminibus Italiae te infunderes*. De excessu Satyri num. 37. *Se utrique nostrum germanitatis succus infuderat*. Lib. 10. in Lucam. *Mirum quo modo se natura corporea* (Christi) *per impenetrabile corpus* (ostii clausi) *infuderit*.

[628] *INTENTIO* unum est ex verbis utrique frequentioribus, quamut oporteat huc exempla congerere. Nec tantum pro contentissima vi usurpavit, verum etiam pro *Scopo*, ac *proposito*, qua notione & Plin. junior olim, & hodie Itali quoque usurpant. Vt I. Excid. 35. *Nec minor tuendi quam ornandi intentio*. Ambr. ep. [60] ad Patern. n. 11. *Vnde oportet ab ea discedas intentione*. De Cain lib. 2. num. 8. *Animus ... Deo deditus, nihil de tramite directae intentionis imminuens*. Exempla sunt in utroque obvia, ac facile in aliis quoque Ambrosii aequalibus.

(629) Parce admodum antiqui id usurparunt, nec enim aliud quam ex Svetonio in Aug. c. 17. illud affertur: *Remisit tamen hosti judicato necessitudines amicosque omnes*. At scriptor Excidii eo ad satietatem utitur: quo factum, ut loca seponere supersederim. Nec facti poenitet; nam exempla cupienti objecta quaevis pagella dabit. Nec abstinuit, ubi episcopus Mediolanensis est factus. Epist. (70) ad Horont. n. 22. *Aut filiorum amissio, vel ceterarum necessitudinum*. De excessu Sat. n. 8. *Ita* [o frater] *in unius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia impendebas*. Heic fratrem signat. Similiter sorores notat in de obitu Valent. n. 37. *Etsi circa sanctas necessitudines suas* (Justam & Gratam designat, quas *Sanctas* vocat, quia perpetuam virginitatem voverant) *caritate propenderet, tamen pietatem suam justitia temperaret*. De Noe n. 56. *In auctore & praesule domus necessitudines ejus reliquas* [Deus] *comprehendit*. *Simul exprimi videtur reliquarum consensus necessitudinum*.

PIGNVS num. sing. pro *filio* non memini apud antiquos [ceteroqui pluratiive *Pignora* pro *filiis* passim usurpantes] reperisse: quod tamen sexcentis Excidii locis legitur, a quibus seponendis prae copia abstinueram, nondum suspicatus usui futura. Cujusmodi illud est I. 41. *Atque ob ea pignori* [h. e. filio, de quo ibi loquitur] *carus*. Et V. 41. ubi de Maria, quae filium sibi coxit: *Parricidales injecit pignori manus*. Plura loca qui volet, nullo labore inveniet. Neque id minus fuisse Ambrosio assiduum, ima [630] ora docebit.

PRAESVL pro *Praeses* [ut *Praesul pacis*, *praesules provinciarum* &c.] fuit quoque supra quam credi possit utrique in deliciis. Sed exempla, praeter Gronoviana, alia innumera parte 2. producemus, ubi ad SS. Petri & Pauli passionem commentabimur.

QVEMADMODVM interrogative usurpatum ita assiduum utrique est, ut vix alio evidentiore argumento amborum ταυτότητα colligi posse putem. Sed exempla quum sint innumera, aliquot inferne [631] subjeci.

QVI eleganter pro *Vt qui*, utrique caIiiii 2 rissi-

(630) PIGNVS singulariter pro *filio* his maxime locis Ambrosius usurpavit. Ep. (5) ad Syagr. n. 19. *Jactasse partum virginis & necem pignoris* Ep. (19) ad Vigil. n. 13. *Flectere animum pignoris*. Ep. (44) n. 4. *Periculum pariter generantis* [octavo mense] *properetur & pignoris*. Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 110. de Maria ad crucem stante: *Exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem*. De obitu Valentiniani n. 1. *Ne oblitterasse silentio bene meriti de nobis pignoris* (h. e. ipsius Valentiniani: sicut & Gratianum Ambrosius *filium* vocat) *memoriam videremur*. Ibid. n. 6. *Flet igitur Ecclesia pignus suum* h. e. Valentinianum. Ibid. n. 26. *Quod* [Valentinianus] *dulce pignus meum ... occidisset*. Ibid. n. 79. Valentinianum alloquens: *Deciderat amor tuus in me sicut amor pignoris*. De Abrah l. 1. n. 35. *Elisaeus quoque defuncti pignoris resuscitatione, solvit hospitii pensionem*. Et ubi non isto modo loquitur?

(631) QVEMADMODVM interrogative Plautus & Cicero adhibuerant. At Noster, utpote veterum notionum aemulator, id tametsi rarum, libenter in Excidio I. 40. est imitatus. *Aut quemadmodum*, inquit, *tantis muneribus ingratus foret*? Item II. 9. *Vnde in nos venit Aegyptius? quemadmodum captivi facti sumus Assyriorum*? Nec plura in meis collectaneis ex Excidio decerpta reperi: nec enim cui bono aliquando futura essent, praevideram.

Quum vero juvenis ei locutioni Noster insuevisset, ubi episcopus Mediolanensis evasit, immodice id chartis omnibus inculcavit. De fide lib. 2. extremo: *Quemadmodum res Romana tali tuta poterat esse custodia*? Et lib. 5. n. 32. *Quemadmodum ... potest a ceteris separari*? Adde de Spiritu S. lib. I. n. 6. Et de Incarn. num. 63. Adhaec ep. 19. n. 4. *Qui simplum non habuit ... quemadmodum duplum solveret*? Ep. 46. n. 5. *Quemadmodum quisquam dubitabit dicere* &c.? De fide resurr. n. 7. *Quemadmodum potes in te non refugere, quod ... aliis* doleas accidisse? Et num. 31. *Quem non latuerunt caelestia, quemadmodum laterent mortalia*? Num. 87. *Quemadmodum interibit caro justorum*? Et num. 130. contra metempsychosin disputans: *Quemadmodum homo ... in subjectum sibi animal meliore sui parte demigret*? In Luc. lib. 3. n. 43. *Quemadmodum solvitur, quod dictum est* &c.? In II. de Virgin. n. 23. semel: mox ter, ubi n. 24. virgo Antiochena ait: *Nam quemadmodum virgo, si meretricem colas? quemadmodum virgo, si adulteros diligas? quemadmodum virgo, si amorem petas*? Mox n. 28. *Quemadmodum eum virgo tremuit, cui populus tremens cessit*? Hexa. lib. 1. n. 26. *Quemadmodum invisibilia visibilibus copulabantur*? Et lib. 3. n. 9. *Quemadmodum non deficit*? Et n. 65. His adde de Parad. n. 47. Adde & ibidem n. 14. ubi tamen omissa interrogationis nota restituenda est: *Sed*, inquit, *quemadmodum fons dicitur Sapientia Dei*? Vide locum, ac statim pronuntiabis ex neglecta a librariis & editoribus interrogationis nota sententiam menti S. Doctoris contrariam expressam fuisse.

Interdum etiam admirationi servit. Ambros. de obitu Valentin. num. 54. *Quemadmodum sibi eum non patitur avelli*! Et n. 63. *Quemadmodum fili* (Valentiniane) *desideraris a populis*! Sic Hexa. l. 3. n. 62. & l. 4 n. 26.

Saepe etiam notionem, quam grammatici *infinitam* vocant, apud utrumque obtinet. Exjosip. I. 30. *Rex incerto haesit, non reperiens quemadmodum naturam vinceret*. Ambros. l. 1. de Abraham n. 2. *Quemadmodum remp. regerent, institui possent*. Et n. 93. *Discite* .. *quemadmodum servetis verecundiam*. Et de Parad.

rissimum fuit. Verum de eo infra ad SS. Apostolor. Passionem exempla promam.

REFVNDO pro *Reddo* jam ante Ambrosium alii usurpaverant, sed parce admodum. At Ambrosius id nusquam non [632] adamavit.

VINDICARE *in aliquem* [h. e. poenas de eo sumere] est quoque ex indesinentibus Exjosippi Ambrosiique verbis. Sed de eo ad SS. Apostolor. Passionem exempla pauca ex innumeris congeram.

At quo lethaeo sumpto poculo accidit, ut & ALLEGO pro *Causor*, & CIRCVMSCRIBO pro *Circumvenio*, & τῷ CONTEMPLATIONE pro ἕνεκα, & LECTIO pro *Testimonium*, quae tertio quoque versu in utroque leguntur, praeterirem? Verum de his in legalibus locutionibus opportunius dicam. Alibi quoque syntaxes quasdam utrique non modo peculiares verum etiam percaras dabimus. Nunc porro ad alia est properandum.

§. V.

Vtriusque scriptoris antique dicta.

Vterque auctor quantus veterum scriptorum (633) imitator fuerit, dicere supersedeo. Hinc tot Linguae Latinae veneres, tot antiquae dictiones, tot inusitata verborum tempora, atque id generis alia in utroque deprehenduntur, quae sic vulgus accipit, quasi si antiquorum auctoritate destituantur. Itaque, si me audis, quod in Excidio I. 40. scribitur, *Promissa . . tegere NEQVEVNTES*, id exemplo (634) non caruisse necesse est. Nec

Parad. n. 58. *Quemadmodum tangerent, debuerant perscrutari.* Pluries quoque in lib. 2. Hexa.: at saepius ejusd. operis lib. 3. nempe num. 26. 34. 35. 36. 54. 57. 68. Et ubi non? Qua notione etiam antiqui utebantur.

Numquam ne, inquis, pro *Sicut* id μόριον usurpavit? Perraro, quantum potui animadvertere. Itaque miraculo mihi fuit, quod lib. de Paradiso, quasi ex diuturna oblivione ejus notionis recordatus, ter pro *Sicut* adhibuerit. Sic num. 30. *Si sic intelligant, quemadmodum oportet.* Rursus num. 36. ac tertio num. 46. Adde l. 1. de Abraham num. 3. & 76. & 77. Lib. 1. Hexa. n. 26. & 32. & alibi. Quae quia rara in Ambrosio sunt, idcirco notavi.

(632) Paucis locis contentus ero, qui centena dare possim. V. Excid. 27. *Natura nobis ideo vitalem infudit spiritum, ut eum pro gloria libenter refundamus.* Et c. 46. *Nos ipsi vobis refudimus.* Ambros. ep. (12) ad imperatores n. 2. *Quod per vos nobis pax . . . sit refusa.* Et n. 5. *Sequestres & arbitri refundendae . . . pacis.* Ep. (84) ad Cyneg. n. 2. *Libenter tua in me onera suscepi, & avo neptem . . . refudi.* De Noe n. 42. *Cum adverterit veram animae refusam esse virtutem.* Et n. 59. *Inoffensus vigor animae se refundit.* Hexa. l. 3. n. 9. *Refusa tranquillitas.* Sed frustra exempla corrado, quae sunt in utroque Nostro perennia.

(633) Mediolanensem Antistitem in iis operibus, quae sacerdotio initiatus scripsit, chartis omnibus Virgilium, cujus lectione adolescens tenebatur, expressisse, jam pridem eruditus Nannius passim adnotavit, & post Nannium Benedictini editores. Vt creberrima ejus imitationis specimina missa faciam: vide in V. Hexaem. c. 21. pulchram apicularum reipublicae descriptionem ex Maronis sententiis verbisque contextam. De Cicerone minus est mirandum, quem passim imitatur. Exemplo sit epistola (39) ad Faustinum, in qua num. 3. pulcherrima legitur de tot Civitatum Italicarum cadaveribus ὑποτύπωσις, quae tota ex Ciceronianis epistolis manavit, h. e. ex Ser. Sulpicii consolatoria, quae inter Ciceronianas ambulat. Jam vero quid magis Ciceronianum quam ille contra Auxentium sermo, qui ejus epistolis inseritur? Ex Seneca, & Horatii sermonibus & Epistolis & aliis haud dubie plurima transtulit in epistolam (37) ad Simplicianum, in qua quod *solus sapiens liber sit*, egregie disputat. Postremo quod Livio, Sallustio, Tacito plurima debeat, non miror, qui sciam ab eodem Ambrosio adhuc juvene Excidium fuisse compositum; in quod opus omnia illorum historicorum μυροθήκια & arculas non mediocri sollertia exhausit. Si qui sunt, qui mihi parum accredent, Excidii historiam accurate legant, talemque antiquorum imitatorem Ambrosium reperient, qualis vix alius eo saeculo fuerit.

(634) Non carebat id, inquam exemplo; nam & simplex QVEVNTE legitur l. 46. §. ult. Cod. *de Episc. & Cler. Nulla retinentibus praescriptione convenire queunte*, idque ducentis ferme post Exjosippum annis. Itaque si quis hodie *Nequeuntes* usurpare aveat, ei id libens indulserim; id vero non tam Exjosippi anti-

Nec minus alia plura antique dicta, ab vetere (635) Latio hausisse auctorem excidii, non est dubium: sicuti & in Ambrosio antiquae sunt ῥήσεις (636) plurimae:

antiquitate [nam ceteroqui id saeculum parum idoneum Latinitatis auctorem, satis scio] quam auctoritate ac testimonio fretus; ut qui participium istud haud dubie in antiquis repererit. Sicuti & quod II. Excidii 4. idem scripsit, *Quod abs te magno pretio impetrari NEQVITVM EST*, id verbum sine dubio in eo historico, unde Paullinae narrationem decerpsit, olim legebatur; nam & Festus ex Pacuvio affert: *Cum contendi NEQVITVM*.

Quocirca sicubi alias temporum voces insitatas lector in eo reperiet, ne continuo barbariei scriptorem damnet; sed, si sapit, eas olim in usu fuisse discat. Verbi causa quod I. Excid. 30. scribitur, *Ni sibi ACQVIETVM foret*, id ostendit, eo supino vetus Latium minime caruisse. Sicuti & REQVIETVM usurpat Ambrosius de Fide resurr. n. 3. *Vbi ab istius mundi labore requietum sit*.

(635) Antiquas ῥήσεις aliquot Excidii afferam, quarum tamen nondum vetera exempla deperierunt. V. Excidii 24. *Gravis inolevit .. quaerendi cupido ... VAENO & EMPTO vivitur*. Ex quo intelligimus *Vaenum* per casus fuisse olim inclinatum. Ac revera eodem auferendi casu bis Tacitus usus fuit, sicuti & dativum *Vaenui* bis Appulejus adhibuit.

Τῷ MEDIVS pro *Sequester* [quod IV. 6. al. 5. occurrit: *Pacis medius* (Joannes sicariorum princeps) *bellum accendit*] Flaccus antea usus fuerat: *Sed idem Pacis erat mediusque belli*. Nec illud exemplis olim caruerit necesse est, quod idem V. Excid. 18. *Media* pro intestinis aut visceribus posuit, ut τοῖς ἐντέροις, aut Latinorum *Interaneis* respondeat. *Vrentes*, inquit, *corpore, turgescentibus MEDIIS, intimorum dolore viscerum quatiebantur*. Eadem Ambros. de Noe in pulchra imi ventris descriptione & l. 1. de Abrah. *Interna* vocavit.

MVLCTO sive potius *Mulco* pro *Saucio* III. 20. *Lateribusque illisa* [navium fragmenta] *miseros artus foede mulctabant*. Sed quoties *verberandi* aut male habendi notionem habet, pro *Multo* rescribendum esse *Mulco*, Lipsius ad Tacitum, aliique critici demonstrarunt, ut & Pareus in Plautino lexico critico.

INTERNATVS ab *Internascor* in V. 18. legitur: *Sicubi internata parietibus visa fuerat herba, rapientes, succo infelici miseram solantur famem*. Sed eodem sensu usitatum Livio fuerat.

INQVIES ANIMVS IV. 4. *Huic igitur animus inquietus* [sed Gronovius in Monobiblo p. 176. ex suis membranis *Inquies* reponit] *prompta audacia, quam successus alebant*. Sallustio Tacitoque summis antiquitatis affectatoribus id loquendi genus amicum fuit,

ARCHITECTON. I. 40. *Totius scaenae architecton* [etsi in editione prima *Architectus*] *exponebatur*. Vsus fuerat Plautus, postea Solinus.

(636) *Ambrosii pluscula antique dicta referuntur, veluti* Abstemius, Cespes, Caedere sermonem, Rogare *convivali notione* &c. *Praesertim singulare illud CALVI RATVS exponitur. Eidem AVSERIM asseritur; sicuti & Firmiano AVSERIS. Digressio, qua Lactantii de Passione carmen vere Firmiani esse contra liberiores criticos, demonstratur.*

Plurimos Ambrosii scriptis ἀρχαϊσμοὺς ubivis adspersos reperire licuit. Sed paucis contentus ero. ABSTEMIVS, pro *Abstinens* cujuscumque rei, usurpatur de Fide resurr. n. 96. Et CESPES poetice pro praediolo ep. (58) ad Sabin. n. 2. Et *CAEDERE* [invicem] *sermonem* legitur epist. (36) ad Horont. initio, & ep. (37) ad Simplic. initio, & ep. (49) ad Sabin. n. 1. Phrasis ea est Terentiana: pro qua Noster ep. (66) ad Romul. n. 1. etiam *Alloquia caedere* usurpavit. FAXIT occurrit ep. [2] ad Constant. n. 10. In de excess. Satyri n. 26. SENTINOSVM NAVIGIVM usurpavit: quae vox ex uno Catone nota erat. VERVM pro *Justo* ep. (19) n. 19. dixit, Ciceronem imitatus. Haec, missis aliis, conglobatim infarsisse sufficiat. At imperare mihi nequeo, quin duas prae ceteris prorsus miras sanctissimi doctoris locutiones huc adportem.

CALVI RATVS apud Ambros. ep. (19) ad Vigil. num. 30. legitur, h. e. *decipi se ratus*: quod totidem verbis scripserat Sallustius apud Priscianum: *Contra, ille calvi ratus*. At in Ambrosianis editionibus illa vocum biga in *Calvatus* foede coaluerat; nisi ex Mss. consensu Benedictini distinctas voces restituissent. Locum paullo obscuriorem huc adscribere non poenitebit. *Itaque* (Samson) *reputans secum, quod improvide se mulieribus credidisset, & calvi ratus, tentare* (h. e. τὸ *Tentare*, vel potius, *Si tentaret*) *ulterius aliquid, damnatum infirmitatis* (i. e. postquam damnatus esset infirmitatis) *caecitati oculos, vinculis manus praebuit*. Hoc ad id refer, quod

niae: quas haud dubie ex veteris aevi scriptis, quae junior assidue triverat, provectior contraxit incogitans. Et ea tamen loquendi genera est ubi frau- di

quod proxime praecesserat: *Ex somno expergitus* (h. e. per alios expergefactus ad experiundas vires: nam Festus ab *Experrecto* ita distinguit *Expergitum*, ut prior sit qui per se vigilare coepit, hic qui ab alio excitatur: quam differentiam heic sedulo servavit Antistes, quia ad experiundam infirmitatem semper ab aliis Samson excitabatur, adesse hostes clamantibus) *Ex somno*, ait, *expergitus*, *Faciam*, *inquit*, *sicut soleo*, & *excutiam me super adversarios*. *Sed nec animi sui alacritatem*, *nec virtutem agnovit* ... *Itaque reputans secum quod improvide*, & quae cetera supra recitavi. Calvi se igitur rebatur, si tentaret aliquid, qui damnatus esset infirmitatis. Ex his vides, quantum operae in legendis antiquis olim ab adolescente Ambrosio impensum fuerit.

AUSERIM epist. (43) ad Horont. n. 1. occurrit: *Quam* (rationem) & *Moyses siluerit*, & *ego non auserim attingere*. Sic omnes scripti & editi habent. Porro ejusdem temporis persona secunda AUSERIS legitur & in Carmine de Passione Domini, quod sub Lactantii nomine circumfertur. Et tamen fuere, qui hoc (uti vocant) *barbarismo* offensi, carmen illud Firmiano abjudicarent. At Gallaeus, Cellarius aliique contra Mss. & veterum editionum fidem pro *Auseris* edidere *Ausis*. Verum quam perverse tum hi tum illi de Firmiano judicarint, Ambrosii loco docemur. Quid quod ipsum AUSIM (quod nim. unice adprobant) non loco τῶ *Audeam* (quod grammatici somniant) usurpatur*, sed loco antiqui AUSERIM, a quo, dempta media, τὸ *Ausim* συγκόπτεται? At vero *Auserim* fiebat ab inusitato indicativi praeterito AUSI; pro quo posteritas maluit *Ausus fui*.

Sed redeo jam ad vere lacteum illud Lactantii carmen: quod cur Firmiano dignum negaverint, quoad vivam, mirabor: nisi illud est, quod Ligni Crucis adoratio in eo diserte a Christo ipso suadetur sic adhortante:

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis.

Sane enim uti praevideram, ita comperi. Nam egregius ille Lactantii enarrator Gallaeus hoc uno argumento (ab crucis adoratione petito) antiquitatem hujus carminis impetit. Etsi de Gallaeo, Caveo & similibus, quos studia partium abripuerunt, minus miror. Dupino autem & Tillemontio pene subirascor: Dupino quidem, quod parum Lactantianae elegantiae eo in poemate repererit, quam tamen in eo summam jure demiratur Tillemontius: utrique vero id in commune succenseo, quod Crucis adorationem tam antiquam videri negent. Addit Tillemontius, posse id carmen Firmiano tribui, *S' il y avoit quelque apparence que l' on mist de ce temps la un Crucifix au milieu des eglises, comme nous faisons aujourd' hui*. Verum ut cetera taceam; non ibi de *Signi Crucis* [cujus nomine meram Crucis Dominicae imaginem intelligo] verum de *Ligni* ipsius, cui affixus Servator fuit, adoratione agitur. *Lignumque Crucis venerabile adora*. Quae verba ad Constantiniana tempora referuntur, quando Ligni illius vivifici particulae per universum orbem dispersae adorabantur; quando etiam die Exaltationis S. Crucis idem lignum Hierosolymis adorandum ostentabatur: quod Deo dante ex Cyrilli Hierosol. Catechesi XIII. & aliis monumentis ostendetur ad XIV. Septembris.

Quia vero hic locus permagni est ad vetustatem σαυρολατρείας momenti; proderit huc Barthii, carmen hoc Lactantio adserentis, verba adscribere, qui XXXII. Advers. 2. sic posuit. *Lactantio OLIM* [*Olim* ait; quia jam suo tempore scriptori tanto abjudicari ab heterodoxis coeperat] *adscribebatur*; *nec sine ratione*. *Est enim grave & eruditum*. *Sane quid vetet ejus esse auctoris*, *cui tot CASCI CODICES adscribant* [quod tamen quo ore Dupinus, & ex eo Tillemontius negat?] *licet unus et alter contra sentiat*? Et poeticis Firmianum studiis floruisse, Hieronymus adprobat, in cujus Catalogo Itinerarium ab eo hexametris scriptum recensetur.

Sed recte est, quod coepere, qui nobiscum de summa Fidei non consentiunt, hoc poemation auctori suo restituere. Testis Cellarius, qui in limine suarum ad hoc carmen adnotationum recitata Barthii verba praescripsit. At is tamen versum unum, quo vivifici Ligni adoratio praecipitur, tamquam sero intrusum expungit. Nam Fabricio auctore sic illud *Flecte genu* cū sequenti versu nectit. *Flecte genu*, *innocuo terramque cruore madentem Ore petens humili* &c. Nec tamen viri eruditi vident, dum σαυρολατρείαν evertunt, se nihilo minorem terrae illi, quam Christus suo sanguine madefecerat, cultum impertiri. Nam *Flecte genu*, & *Ore petens* [quo oscula impressa significantur] adorantis habitum haud dubie complectuntur. Quanto sincerius est cum *cascis codicibus* nihilo minus primorem versum, quam ceteros, ad eumdem auctorem referre.

di imperitis fuerint. Verum his omissis [nec enim id nunc agimus, quid privatim singuli, sed quid uterque in commune usurpaverint] si minus omnes, at aliquot saltem antiqui Latii locutiones proferamus utrique ex aequo usitatas.

Mirificum illud VOLENTIA *alicui* agmen aget, quod in Ambrosio Epist. (24) ad Valentinianum n. 1. legitur: *Satis enim claruit eo ipso quod aliquot dies retentus sum intra Gallias, me VOLENTIA MAXIMO non recepisse* [supple, *me facturum*] *neque iis adstipulatum, quae ad voluntatem ejus . . . propenderent*. Sic maxima scriptorum pars, aliquot exceptis, in quibus vel *Violenti a Maximo*, vel *volente a Max.* aut *volenti a Max.* Verum quid moror? *Volentia Maximo* rectissimum est: quod quidem & Sallustio & Tacito debet Ambrosius: quorum ille, *Volentia plebi facere* dixit; alter, *Plebi volentia fuere*, & alibi, *Muciano volentia rescripsere*. At quod Ambrosio jam Sacerdoti semel excidit, id, quum historiam Excidii scriberet, bis usurpaverat. Semel quidem I. 41. *Volumnius autem funesta immurmurat; & post eum omnes volente rege* [ubi alii ex Ms. *Volentiam regis*: at Gronovius Monobib. p. 115. ex membranis suis optime restituit, *Volentia regi*] *tali auctore pensantes, mortis sententiam, diverso quidem adfectu, sed pari sorte, promunt*. Iterum cap. 44. *Credidit itaque magis volentia* [sic rectissime eaedem Gronovii membranae: at editio prima cum sequentibus *Volenda*; quod margo editionum mutat in *Violentia*, ut sit a recto *Violens*: at nullus heic violentiae locus erat] *quae necessaria suadentibus*. Annon vel hoc uno exquisitioris φράσεως indicio satis certo Hierosolymitanum excidium Mediolanensi praesuli adjudicabimus? Praesertim quum centenae aliae non tritae locutiones utrique familiares auspicantibus nobis addicant. Sed pergo jam veneres prisci aevi in utroque obvias referre.

PVMICARE ad formae lenocinium olim pertinebat: quo utitur Lucillius: *Scabor, subvellor, desquamor, pumicor, ornor*. Vtitur etiam Plinius, & Appulejus. Jam vero in IV. Excid. 25. *Pascere comam, vultum dealbare, pumicare genas, vellicare barbulam*. At Ambrosius de metaphorico scabendi genere usurpavit Ep. (43) ad Horont. n. 12. *Nullis adsentantium pumicetur sermonibus*. Vtraque hac recondita locutione praegustata, quae porro restant, κατὰ στοιχεῖον pertexentur.

ANTE EXSPECTATVM, supple (*) *tempus*, Virgilianum est; cujus celebris est hexameter III. Georg. v. 348.

. . . . . . Et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

Ambrosius autem in suo Exjosippo lib. III. cap. 17. In oratione Josephi mortem voluntariam dissuadentis: *Si lucrum est mori; furtum est usurpare* (mortem) *ante exspectatum*. Item in confessis Mediolanensis operibus. Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 44. *Bellator quoque strenuus ante exspectatum stat in agmine* (ex laudato Virgilii versiculo) *qui vult adversarii consilia praevenire*. De fuga saeculi num. 47. ad Hebraearum partus alludens, de anima sic loquitur: *Paritura ante exspectatum ingenii celeritate partus, facta sapientiae*. Ordo est, *Ingenii celeritate ante exspectatum*

(*) Istud *Ante-exspectatum* Servius & Philargyrius ad praecedens *Hosti* referunt, quasi dixisset *Ante exspectatum hostem*. Imo Vegetius lib. 1. cap. 19. hoc loco *Hostem* quarto casu legebat, sic enim ex Virgilio affert, in Mss. saltem: *Et hostem Ante exspectatum*: si Pierio Valer. credimus; nam in Vegetii editis *Et hosti*, legitur. At quae attuli Excidii & Ambrosii loca monent, ut potius *Tempus* subaudiri debeat. Nisi si Servio accedimus; cui hoc totum *Anteexspectatum* junctim legendum videtur instar adverbii. *Est*, inquit, *una pars orationis: hoc est, adverbium*. Nec aliter Servii aequalis Ambrosius accepit, ut qui ad hostem (cujus in adscriptis locis non meminit) referre non potuit. Quod tamen adverbium si porro in suas resolvas origines, erit *Ante exspectatum*, supple *tempus*. Sicuti eidem Virgilio, *Ex illo*, supple *tempore*, usurpatur: de quo mox dicam.

tum paritura partus (quos partus ?) *facta sapientiae*.

Simile est illud quoque Virgilianum EX ILLO, supple *tempore* : quod in Excidio legi lib.V. cap.53. prope ab initio, *Ex illo* (supple *tempore*, quo Abel occisus fuit) *in eamdem sortem successimus*, *ut vivere miserrimum fieret*, *mori beatum*. Quod legi & in Ambrosio pluries.

COMMENTOR Plautus pro eo, quod est dolum componere dixerat. Quod utrique nostro se probavit. Ambrosius Epist. (26) ad Studium sive Iren. ubi de adulterae historia num.2. *Id enim Judaeorum commentata est tergiversatio*. Nec dubium est, quin Exjosippus plus vice simplici sic fuerit locutus. Verum ab locis describendis abstinueram, contentus excerpsisse ejus derivatum COMMENTATOR, quod I. Excid. circa finem eodem significatu occurrit : *Quem commentatorem* [h. e. architectum, totiusque facinoris contexendi auctorem] *arguis parricidii*.

DEPONO pulchre Plautus pro *Sterno* aut *Dejicio* posuit. *Vt me*, inquit, *deponat vino*. Et id quoque ab eo sustulit uterque Noster. In III. Excid.18. *Paullatim itaque deponebantur manus* (Josepho mortem intentantium) *recondebantur gladii : tamen intentio perseverabat*. Et V.36. initio : *Septem dierum spatio depositis omnibus* (turris Antoniae munitionibus) *usque ad fundamenta terrae*. Ambrosius in V. de Fide n. 127. de Jesu Nave sic narrat : *Tubarum septem sacerdotalium sono murorum hostilium septa deposuit*. Ab eodem lib. de Myster. Elias dicitur *Ignem de caelo deponere* h. e. demittere. De bono mort. n. 22. *Ad altiora tendentes quaerunt deponere & ad terrena revocare*. Mox n. 24. *His ergo anima quae cupit evolare*, *deponitur*. Ibid. num. 37. *Depositus aevo*. In V. Hexa. n. 55. *Depositi patris artus per longaevum senectutis*.. *circumstans soboles* (ciconiarum) *pennis propriis fovet*. Quod expressum est ex Virg. XII.Aen.*Vt depositi proferret fata parentis*.

DESTITVO pro *cassum reddo* : qua notione apud antiquos quis *spem* aut *preces destituere* dicebatur. Exjosip. V. 29. *Quid destituimus divina beneficia* ? Ambr. contra Symmachi relation. n. 17. *Destituit spem*. In Hexa. lib. 3. n. 35. *Quando proventus spem destituit agricolae* ? Et n. 43. *Nec cultoris desidia terrarum destituere poterat ubertatem*. Idque in utroque frequens, sed in Excidio frequentius.

FVNVS pro cadavere translate interdum dixere prisci, ut quum *Inhumatum funus* in Lucano legitur. Id vero neuter horum scriptorum, qui nunc sunt ad manus, neglexit. In Excidio paullo ante finem libri 2. *Omni itaque perempta familia*, *stetit* [Simon juvenis acerrimus] *in medio funerum suorum*. *Et tamquam triumphatis domesticis passionibus* . . . *elevavit dexteram*, seque ultimum transfixit.Simile est illud V.25.initio: *Per unam portam sibi creditam CXV. millia mortuorum elata*, *additis adhuc DCCCLXXX. funeribus*. Jam vero Ambrosius Ep. [4] ad Felicem n. 5. Stetisse Aaronem dicit in medio extinctorum atque superstitum, *ne mors transiret ad viventium agmina a funeribus* (h.e.cadaveribus) *mortuorum*, quae funera mox *cadavera* appellat. Ep. [39] ad Faustinum n.3. in elegantissima Ser. Sulpicii de urbium cadaveribus imitatione : *Tot igitur semirutarum urbium cadavera*, *terrarumque sub eodem conspectu posita funera*. Lib. V. in Lucam c. 7. *Steterunt acerbi illi funeris portitores*. Non autem exsequiae sed cadaver portatur. Hexaem. l.1.n.27. de Lazaro : *Vt ipsi vincula funeris solverent*.

MALVM ! ubi interjectionis vim habet, nusquam alibi apud Patres memini legisse, quam apud Ambrosium tum ante episcopatum in I. Excid. 44. (*Sed*, inquit, *quae* [*malum* !] *infelicitas me*, *aut adversum me eos faciat insurgere*, *quos plus dilexerim* ?) tum etiam inito sacerdotio : ut qui Ep.(18) ad Valentin.num. 15. sic interjecerit : *Sed quae* [*malum* !] *ratio*,

ratio, ut eorum munera petant, quorum gesta condemnant?

MVLIER pro *Vxore* ubi non uterque usurpavit? Exempla e plurimis aliquot infimus [637] margo dabit.

NVNCINE DEMVM tantum in Terentii Andria legeramus. Id quia Noster est admiratus; & in Ep. [18] ad Valent. n. 15. adhibuit [*Nunccine demum*, inquit, *justitia praetenditur*, *aequitas postulatur?*] & in Excidii historia V. 16. initio: *Temerarii, nunccine demum vobis divinum auxilium affuturum speratis?*

MINIME GENTIVM ex eodem Terentio arripuit tum auctor Excidii (cujus tamen certissimum locum mihi intercidisse doleo) tum Ambrosius: qui de Virginitate n.6. *Hoc*, inquit, *probamus? minime gentium*.

RITV apud antiquos tantumdem quod MORE erat. At id & catechumeno Ambrosio placuit [in III. excid. 26. scribenti, *Haudquaquam a nivis ritu distare*, aquam scil. Genesareth, si aestivis noctibus ad auras suspendatur] & episcopo in De fide Resurr. *Ritu luporum patiatur ululare*. Et alibi non raro.

STATVO pro *Sisto* tam mire utrique placuit, ut quod semel in Plauto legebatur, id in ambobus nostris pluries mira cum gratia reperiatur. III. Excid. 24. Titus sic suos increpat: *Currebatis bene: quis statuit vestros orbe toto currentes triumphos? Quos non Hasdrubal Poenus, non Pyrrhus . . non Brennus . . . statuere potuerunt, hos statuit rebellis Judaea, ineruditam praeferens bellandi temeritatem.* V.21. *Hortando pariter ac praeliando Titus statuit suos, avertit Judaeos*. Et cap. 41. in pulcherrima Titi oratione: *Agnosco itaque cum his nobis esse praelium . . . . quibus . . stringuntur liquentia, amara dulcescunt, sol statuitur, tenebrae illuminantur* &c. Ambrosii, ne longus sim, uno loco contentus ero. *Cum dira mors . . . in plebem serperet* [Aaron] *medium se inter viventes morientesque objecit, ut mortem statueret, ne plures perirent*. Haec Ambros. ep. [63] ad Vercell. eccl. n.51.

Piget jam plura persequi. Verum & siqua postea succurrent, ea quoque, ne cupidi sibi quid eripi conquerantur, in imam [638] oram conjicientur.

§. VI.

(637) De hac celeberrima *Mulieris* acceptione, per quam innuptae opponitur, lepidum est Tullii acumen apud Quintilianum VI. 3. & Vlpiani in l. *Quaeritur* 14. §. 7. D. *de aedil. edicto*. De eadem Servius ad II. Aen. *Vsus obtinuit, ut innuptas, Virgines: nuptas Mulieres vocemus*. Ceteroqui & *Virgo* ea olim dici poterat, cui vitium oblatum, & *Mulier* quaevis femina. Etiam Ambrosius in epistolis *Mulier sexus nomen* esse non diffitetur; & tamen idem plerumque *Mulierem* pro Italico *Moglie* (quod inde fluxit) venustati sermonis litaturus usurpat. I. excid. 36. *Ne in aliquo mulieris* (h. e. uxoris) *animum maestificaret*. Et V. 18. *Siquis cui mulier esset aut filii*; & alibi millies. Ambrosius ep. (63) ad Vercell. eccl. n. 33. *Per virum autem & mulierem caro ejecta de paradiso, per VIRGINEM juncta est Deo*. Ep. [5] ad Syagrium 2. de Indicia virgine stupri falso accusata: *Visebatur frequenter a virginibus & mulieribus*: quae sic ἀντιτίθενται, ut innuptae & nuptae. Eadem *Mulieris* notio & in II. de offic. occurrit, itemque in de Virginitate n. 3. *Propositum est nobis . . . non tractare de mulieribus*: & alibi singulis ferme paginis.

(638) *Quaedam alia utriusque antique usurpata.*

AMBIO vetere significatu in Exjosippo III. 3. *Sed* (Eleazarus) *paullatim ambiendo singulos, dando & largiendo efficit, ut rerum omnium summa ejus arbitrio committeretur*. Itidem Ambros. in re dispari Ep. (2) ad Constant. n. 21. *Cum ambiret* (Josephum ejus domina) *mulier*.

DEBERE alicui apud antiquos interdum erat esse obnoxium, aut aliquid cum eo commune habere. Eo intellectu Maro lib. XI. dixit, *Nos juvenem exanimum, & nil caelestibus* (h. e. caelestes auras carpentibus) *ullis Debentem* [quia nim. mortui nihil cum vivis commune habent] *vano maesti comitamur honore*. Frustra sunt qui *Caelestes* hicic deos superos interpretantur; a quorum potestate in alteram inferorum deorum transire mortuos docent. Nunc non erat his locus. Nam Poetae scopus & συνέχεια fateri cogit *caelestes* non aliud esse quam vivos, quibuscum nihil commune mortui habent. Hujus vero notionis

 verbi

§. VI.

Legales locutiones utrique communes.

Celeberrima est illa Ambrosii querela, qua se *abstractum a tribunalibus*, ita demum sine praevio tirocinio coactum munus sacerdotii capessere expostulat. Quod eo memoravi, quo minus mirandum sit, si plures in S. Antistitis scriptis legales locutiones occurrant. Sed eas potissimum depromere est animus, quas cum Exjosippo [h.e. cum semet nondum avulso ab forensi strepitu] communes habet.

ALLEGO judiciali notione etiam in aliis ejusdem aevi scriptoribus non dubito repertum iri [utitur alicubi certe Optatus Afer, cujus aetati succrevit Ambrosius] sed perraro apud alios, nec nisi sicubi opportunitas ferret. At Ambrosio id tribunalia sua ita infixerunt animo, ut perpetuum (639) ei ferme redderent.

CEDO legale verbum est maxime si cum quarto casu [nim. legali constructione]

verbi *Debeo* non alius locupletior interpres Ambrosio erit; qui quum eam ex Marone suo, ex quo plurima transtulit, didicisset, eodem passim significatu eo verbo usus fuit, tum ante, tum post initum sacerdotium. Illud certe V. Excid. 2. ante finem (*Crudelitatem*, inquit, *circa defunctum exercebat, ut nihil jam DEBENTEM* (h. e. obnoxium) *odio ... spoliaret supremo naturae debito*) ex Virgiliano loco haud dubie expressit. Adde illud V. 15. *Tremit hos* (Romanos) *Scotia, quae* (quia mari circumflua) *terris nihil debet*, h. e. nihil cum continente commune habet. Et sic pluries adhuc laicus. Inito autem episcopatu passim id quoque chartis illevit. Exempla legentibus occurrent: nam nunc quidem festinanti mihi non aliud suppetit, quam quod Ep. (37) ad Simplic. n. 38. S. Pelagia martyr eloquens inducitur. *Quod servum est* (corpus scil.) *heic manebit, nullos in usus debitum*, sive obnoxium. Et de Noe n. 86. *Qui ita generatus est, ut nihil terreno deberet contagio*, h. e. non esset obnoxius, uti mox ipsemet explicat. Sed alibi pulchriora habet.

VTRVMNAM Livianum erat: quod continuo Exjosippus & Ambrosius in usus suos adhibuit. Vtriusque loca in Gronovio reperies in Monob. p. 114. Quid enim in actum agendo operae pretium fuerit? Dies me deficiet, si singula persequar. Taceo quod verborum compositiones uterque nostrum pulcherrimas affert, ex Livio, & optimo quoque scriptore arreptas. Verbi caussa quis neget, *Proturbo* (amicum huic Nostro verbum) acrius & elegantius esse quam *Turbo*, aut quibus paullo languidioribus incana devexae Latinitatis aetas contenta erat? Interim Noster exquisitiora sibi & vehementiora, ubicumque res posceret, arripiebat.

(639) *De Ambrosii forensi notione verbi* Allego.

ALLEGO olim erat *Mittere*. At Ambrosius tum in Excidio, tum in confessis operibus suis hodierna notione passim ad caussarum defensionem id verbum refert. Sic I. Excid. 28. *Cognitis itaque allegationibus partium, interrogavit Hyrcanum Antonius*. Et cap. 44. *Quos ipse exasperavi, & justas adversus hunc allegationes eorum respui*. Mox cap. 45. initio: *Successit orationi Antipatri Nicolaus ... allegando quod ... eorum misereri deceret, qui ejus perempti fraudibus, ultionem requirerent*. III. 18. initio: *Haec Josephus allegabat, quo evacuaret* &c. IV. 4. *Haec sine dolo Titus* [ab se] *allegata arbitratus, receptui cecinit*. Et alibi passim. Nec aliter Ambrosius Ep. (14) ad Theodos. n. 6. *Sane allegata texuimus, non definiendi, sed instruendi gratia*. Epist. [13] ad eumdem n. 5. *Cujus allegationem praesentibus partibus putavimus esse pendendam*. Sic etiam contra Symmachum, & millies alibi. Haec autem notio haud dubie ab veteribus JCtis manavit, apud quos legitur: *Allegare quae pro causa sunt* [nec voce modo, sed & libello: unde in rescriptis illa, *Cum allegas, Vt allegas*] *Allegationes partium*, *Allegatio dicentium* & sexcenta hujusmodi. Hinc *Allego* gerebat accusativum rei, in qua defensionis caput erat; ut *Allegare ignorantiam, mandatum, privilegia, aetatem, valetudinem*, & sexcenta ejusdem modi [pro quo veteres *caussari* dicebant] quo etiam loquendi genere Ambrosius utitur. Ep. 24. n. 10. *Hoc enim allegas*. Ibid. *Et quomodo allegabas, quod eum non mandaveras occidi?* Vide recitata Exjosippi loca. Postremo ab defensionibus partium ad quamlibet rem, quae affirmari aut confirmari dicitur, id verbum transiit. IV. excid. 18. ubi de lacu Asphaltite: *Cujus* [bituminis] *attactu vel urina* [*ut allegant, quibus experiendi usus fuit*] *interrumpi proditur*. Ambr. ep. [21] ad Valen in. n. 1. *Me .. mandato, ut allegavit, clementiae convenit tuae*. Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 13. *Hujus allegat Stoicos esse auctores sententiae*.

ne] jungatur: cujusmodi apud JCtos eae locutiones leguntur, *Cedere auxilium in integrum restitutionis*, *Cedere possessionem*, *Actum*, *Aquaeductum*, *Iter*, *Viam*, *Vsumfructum*. Servius ad illud 3. Aen. *Cessisse marito* notat: *Verbum de jure est, cedi enim hereditas dicitur*. Adde, *Cessus in jure servus*, *Cessa aquae servitus*, *Cessae actiones*, *Cessum jus*, *Cessicia tutela*, syntaxes mere legales. Atqui & Noster uterque eamdem constructionem ex foro traxit. In III. excid. 22. fine: *Delicti gratiam volens cessit*. IV. 30. *Haud incruentam.. victoriam cessere*. V. 4. *Victoriam cedere*. Nec aliter Ambrosius in V. Hexa. n. 51. ubi de gruibus per vices agmen ducentibus: *Deinde.. sequenti sortem ducendi agminis cedit*. Et num. 52. *Quem invenias hominum, qui sponte deponat imperium, & ducatus sui cedat insigne?* Semper scil. cum quarto casu more veterum JCtorum.

De CIRCVMSCRIBO & CONTEMPLATIONE idem prorsus esto judicium: de quibus [utrique Nostro quotidianis] liberius ora (640) libri alloquetur harum rerum cupidiores.

DISPO-

(640) *De forensibus scriptoris utriusque verbis CIRCVMSCRIBO, & CONTEMPLATIONE*.

CIRCVMSCRIBO pro *Circumvenio* usi sunt quidem Cicero, Seneca in controversiis, Quintilianus in Declamat. & Juvenalis; sed raro, & ubi id usurparunt, de foro certe id verbum arcessivere. Apud JCtos autem, quorum peculiare id verbum erat, sexcenties reperitur. Pauca de innumeris loca dabunt Brissonii de verb. signif. libri. At utrique scriptori nostro id perpetuum. I. excid. 14. *Circumscripto, cui primitiva regni competerent*. Et cap. 40. *Plerumque tamen & senum prudentia circumscribentium versutiis insidiis irretitur*. Et IV. 6. *Sed illis ludibrio erat circumscriptio veteris sollemnitatis* [summum sacerdotium intelligit rustico delatum] *sacerdotibus dolori*. Ibid. *Simulabat* (Joannes) *se plebi favere, ut circumscriberet*. Et pluries alibi in ead. historia. At ex Ambrosii aliquot libris pleniore manu exempla decerpseram; quae lectori adnumerabo. Ep. [21] ad Valentin. n. 15. *Vt circumscriptionibus illa episcoporum judicia mutarentur*. Ep. [24] ad eumd. num. 7. *In quo ego te circumscripsi?* Ep. [45] ad Sabin. n. 17. *Ne hominem istum.. & ipsa decepta.. circumscriptum.. in leges suas.. trahat*. De Parad. n. 54. Serpens sic apud se reputat: *In quo videor.. sapientior, nisi circumscribam hominem? Itaque machinatus est ut ... Adam per mulierem circumscribere conaretur*. Mox n. 56. *Qui aliquem circumscribere conantur*. De Tobia num. 49. *Fraus.. & circumscriptio legis est, non custodia*. Ep. [2] ad Constant. n. 11. *Nec quisquam.. circumscribat pupillum, fraudet proximum*. Mox num. 12. incipit: *Quid igitur circumscribitur frater, quid fraudatur mercenarius?* Ep. [70] ad Horont. n. 20. *Plena circumscriptionis, fraudum, fallaciae*. In III. de Offic. n. 68. *Si circumscribitur ab aliquo*. Mox n. 59. *Circumscriptum sese indignari coepit*. De Abrah. l. 1. n. 11. *Nec in divisione circumscribatur*. In I. de Virg. n. 64. *Foenerare Christo ... Non fallit veritas, non circumscribit justitia, non decipit virtus*. Hexa. lib. 5. n. 21. *Vt quem vi obtinere non potest, circumscribat dolo*. Et n. 23. *Ad salutem tuendam, non ad alienam circumscribendam innocentiam*. De Jacob l. 2. n. 42. fratres Machabaei ajunt: *Quid nos* (Antioche) *circumscribis ut pueros?* Ecquodnam vero est S. Doctoris opusculum, in quo id non saepiuscule legatur?

Jam vero CONTEMPLATIONE apud veteres JCtos tantumdem erat quod Graecum ἕνεκα aut Latiale *Causa* aut *Gratia*. Vbinam vero in Jure nostro non illae locutiones occurrunt: *Contemplatione utilitatis, personarum, hereditatis, venditoris, domini, mortis, donationis, dotis, hostilis incursionis, ventris, salutis*: item *Hac contemplatione*, *In contemplationem venire* &c. Earum locutionum non modo patronus aut judex Ambrosius, dum scriberet Excidium, sed ne sacerdos quidem oblitterare memoriam aut assuetudinem valuit. Itali nostri id imitati, crebro in ore habent, *A contemplazione di* ... eodem quo JCti sensu. Sed ad Nostrum venio. In I. Excid. 40. *Herodem Archelaus deprecabatur, ut naturae contemplatione molliret iram, fratrique* [Pherorae] *ignosceret*. III. 8. *Omnes necari jussit, nulla aetatis contemplatione* (i. e. *ratione habita*: quod & interdum notat) *nulla infirmitatis misericordia*. Ambrosius de Virginitate n. 114. *Temperantia.. mysteriorum contemplatione caelestium negligit corporis voluptates*. Contra Auxentium n. 13. *Contemplatione populi precantis*. Ibid. n. 29. *Quasi vero ... ego tunc aulae contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim sacerdotalem*. In Lucam:

DISPOSITIO pro *teſtamento* [Gr. διαθήκη , quod idem ſonat] paſſim reperitur in Codice : & DISPONERE pro *Teſtari* l. 114. §. *Divi* D. *de legat.* 1. Jamvero in I. excid. 46. *Ei arbitrium & firmamentum omnium diſpoſitionum ſuarum reſervarent . Ac tum demum ratum eſſet teſtamentum* [Herodis] *ſi Caeſar probaſſet .* Ambroſ. de exceſſu Sat. n. 6. *Quod enim nulla ordinavit diſpoſitio .*

LECTIONIS vocem quod Ambroſius in Excidio & reliquis operibus uſurpaverit pro auctoritatibus ac teſtimoniis, praeſertim S. Scripturae ; id ſi non primus ex foro in Eccleſiam transtulit , at plus certe ceteris frequentavit . De quo vide inferne (641) adnotata .

REDHIBEO verbum eſt ex ſola fere juriſpru-

cam : *Suarum contemplatione lacrymarum* . Ep. [43] ad Horont. n. 13. *Nos tamquam jumenta contemplatione Domini* . Ep. [58] ad Sabinum n. 6. ait quaedam in ſpeciem turpia , *ſacroſanctae religionis contemplatione reverenda* evadere . Ep. [63] ad Vercel. Eccl. n. 112. *Et vos ergo* (ſervi) *contemplatione Domini Jeſu, etiamſi difficilibus ſerviatis Dominis cum patientia, mercedem habebitis* . Ep. (66) ad Romulum n. 7. *Ut contemplatione atque amore reverentiae divinae perimeretur omnis affectus neceſſitudinis* . De exceſſu Sat. n. 62. *Mei contemplatione muneris* . Mox n. 65. *Numquid conſtitutio Dei contemplatione ſolvenda eſt tui* ? Lib. 1. de Abrah. n. 19. *Transfundendae hereditatis contemplatione* . Et num. 66. *Nec paternae pietatis contemplatione* [Abraham] *vim devotionis inflecteret* . Hexa. lib. V. n. 19. *Debes temperare eum* [rigorem] *contemplatione conjugii, & reverentia conjunctionis* . Et n. 41. *Avis minuſculae contemplatione* . Lib. 1. de Jacob. n. 5. *Contemplatione praecepti* . Et lib. 2. num. 27. *Ejus contemplatione* . Lib. de Joſeph num. 32. *Officii tui contemplatione* .

(641) *De forenſi LECTIONIS notione.*

Auctor excidii lib. V. cap. 44. aliter 45. Orientalem templi portam ſponte reſeratam narrans , id prodigium ab aliquibus meliorem in partem acceptum dicit , mox addens : *Conſultiores autem ajebant , cuſtodiam templi reſolutam videri , ut quaecumque intus forent , ab hoſtibus diriperentur , exiret cultus, introiret vaſtitas , evacuaretur celebritas , ſacrificium deſtrueretur* . Poſtremo & hoc de ſuo appendit : *Quod etiam antequam crucifixiſſent Chriſtum Jeſum , liquido ſignificatum , LECTIO docet* . Quibus verbis ad illa Evangelii verba digitum intendit , *Velum templi ſciſſum eſt* : quem textum LECTIONEM vocat . Nec alia Excidii loca , quam hunc qui ſe mihi nunc ſponte obtulit, proferre nunc quidem poſſum ; quandoquidem de eo vocabulo nulladum mihi cura ſubierat .

At Ambroſius chartis omnibus hoc nomen illevit : idque ita , ut prae ſe aperte ferat, nullam aliam ei voci ſe notionem ſubjectam velle, quam *teſtimonii, auctoritatis* , aut loci alicujus qui ad fidem faciendam afferatur . Et quidem in Concilio Aquilejenſi [cujus prora & puppis Ambroſius fuit] num. 12. & pluries alibi *Lectiones* pro locis , quae ex epiſtolis Arii recitata fuerant , liquido accipiuntur . At in Ambroſii Epiſt. V. num. 16. & VI. n. 2. & aliis locis omnibus *Lectio* eſt aliquis Scripturae locus ſive teſtimonium quod ad tractandum proponitur . Vide prae ceteris lib. de Paradiſo n. 56. *Praeſens LECTIO* (nim. Dei verba ab Eva interpolata) *docet .. nihil .. jungere nos debere mandato ... Pura enim .. TESTIMONII* [*teſtimonium* vocat, quod *lectionem* proxime appellaverat] *ſeries intimanda* . Et bis iterum eod. num. 66. & ſuperius n. 11. Item l. 1. de Cain n. 7. *Sicut lectio docet* (quae tandem ? illa nempe quam ſtatim ſubjicit) *Abrahae dictae ſunt promiſſiones* . Jam vero in Lucam l. 3. n. 9. *Ut Regnorum lectionibus demonſtratur* . Mox : *Salomonem erraſſe ... Divinarum ſerie cognovimus lectionum* . De obitu Theodoſii n. 3. *Quid doceat lectio* h. e. Scripturae locus quem ſubjicit , *conſideremus* . Et recitato loco addit ; *Sollemnitas , quam praeſcribit lectio* . Et n. 53. *In ſinu Abrahae* (Lazarus) *requieſcit Divinae teſtimonio lectionis* . Ep. (26) ad Studium n. 15. *Sequebantur* (Judaei litterae affixi) *Divinarum lectionum quaedam velut arborum folia , non fructum* . Adde ep. (67) ad Simplician. n. 1. Item ep. (70) ad Horont. n. 12. *Lectio Geneſis* . Et n. 15. *Docet lectio in Judicum libro* . Sed & verbum LEGO eodem intellectu uſurpat ; ut epiſt. (40) ... ad Theodoſium : *Scis enim lectum* (pro *Scriptum*): *Cum ſteteritis* &c. Ep. (65) ad Simplician. incipit : *Motum te cum legeres* [h. e. cum ſcrutarere Scripturas] *ſignificaſti mihi , quid ſibi velit* &c. Mitto plura , quae locis omnibus reperire quivis poterit .

Ac ſane videbatur initio Ambroſius ejus notionis primus auctor fuiſſe , eamque ex foro , cui inſueverat , tranſtuliſſe in Eccleſiam . Nam quae

risprudentia notum. Et tamen in III. excid. 3. legitur: *Omitto quid seditionis excitatum, quia latrocinio erepta reddere his, qui amiserant, suspectabatur; ac maxime Agrippae ac Beronicae, quibus redhibenda juste forent, ne regem facerent infestiorem.* Ac pluries in ea historia. Ambrosius de Tobia num. 79. *Vt redhibitio creditori non lingua respondeat*. Sed pudet levioribus immorari, qui superioribus illis [*Allego, Circumscribo, Contemplatio, Lectio*] contentus esse possim: quae vix est quin ex tribunalium pulvere Noster contraxerit. Jam ad ea, quae restant, pergamus.

§. VII.

Trita verba novis notionibus ab utroque usurpata.

Novas notiones non eam in partem voco, quasi tum primum eas Mediolanensis in usum induxerit [nec enim id praestare possum, nec debeo] sed quod aevo meliore haud facile exempla earum significationum reperiamus. Incipiam a miro *Aetatis* significatu, qui unus facile Excidii historiam non alii quam Ambrosio vindicaverit.

AETAS pro *statura* singulare utrique Nostro est. Verum quum id nec paucis expediri queat, & eam notionem nosse non tantum ad id quod agimus, verum etiam ad N. T. intelligentiam permagni intersit; rogo lectorem ne heic saltem inferne (642) adnotata negligat. Quibus lectis spero nullam amplius de excidii historia, sitne re vera Ambrosio tribuenda, controversiam fore.

CON-

quae jurisconsultorum auctoritates in judiciis allegabantur, eas *Lectiones* fuisse aevo Ambrosii nuncupatas, reperio. Atque id quidem satis lex unica Cod. Th. *de Respons. prud.* [in quam egregia plura congerit Gothofredus] docet. Sed ea lex, utpote Ambrosio recentior, parum ad vocis originem detegendam facit. Magis adeo huc pertinent plura Symmachi, Macrobii, Ammianique aequalium Ambrosii loca. Quorum ultimus lib. 30. de causidicorum rapinis ita conqueritur: *Vtque provulgati juris proferatur LECTIO una, septem vendibiles introitus praeparant, dilationum examina longissima contexentes*. Et paullo ante: *Si voluntate matrem finxeris occidisse, multas tibi suffragantes absolutionem lectiones & reconditas pollicentur, si te nummatum senserint*. Hoc ipsum & ex Optato Afro colligi potest. Nam etiam in Ecclesiasticis judiciis ea vox valebat, uti ex Aquileiensi supra laudato concilio intelligitur. Ita quidem inibam antea rationes.

Verum diu ante Ambrosium Graeci Patres Scripturarum textus, quos sive ad explanandum sive ad fidem faciendam proponebant, ἀναγνώσεις & ἀναγνώσματα h. e. *lectiones* nuncupabant. Vide Suiceri Thesaurum in dictis vocibus, ubi plura affert Cyrilli Hieros. Athanasii, Epiphanii, Nysseni loca, in quibus *Lectionis* vox pro peculiari aliquo Scripturae textu sumitur. His omnibus praeivit Origenes, in cujus ad sacras Scripturas commentariis tertio quoque verbo ἀναγνώσεις & ἀναγνώσματα (*lectiones*) notione qua dixi usurpatum animadverti. Potuit igitur a Graeca in Latinam Ecclesiam id nomen manasse.

Potuit quidem: non eo inficias. At sive Graeci sive Latini id nomen primi in Ecclesiam invexerint; ab forensi certe usu id sustulerunt, a quo in Ecclesiam quamplurima manarunt vocabula, ut *Basilicae*, *Tribunalis* (βήματος) & ut alia sexcenta taceam, ipsum ἐκκλησίας nomen. Quum igitur Demosthenes ceterique oratores saepe orationes suas recitationibus decretorum, testimoniorum, legum, epistolarum, rerumque aliarum, quibus fidem facturi essent, interciderent, iidemque sollemne illud λέγε aut ἀνάγνωθι [*lege*] praemitterent; quumque tantumdem & Latini facerent; ab eo fluxisse puto, ut ea omnia documenta, quae ad causam firmandam adsciscebantur, Graecis ἀναγνώσεις aut ἀναγνώσματα, Latinis *Lectiones* nuncuparentur: quae deinde vocabula Graeci aeque ac Latini Patres in Ecclesiae usum transtulerunt. Ex Latinis autem nemo largius Ambrosio id loquendi genus adhibuit.

(642) *AETAS interdum staturam tam in Excidio & Ambrosio, quam in N. T. significat. Hinc Lucae II. 52. eximia lux affunditur.*

AETATIS vocabulum tam late apud Latinos patuisse, quam apud Graecos ἡλικίαν, nescirem, nisi me id Exjosippus Ambrosiusque, qui unus idemque sunt, docuissent. Sicut ergo Graecum ἡλικία non tantum vitae decursae summam, sed & staturam designat, ita etiam, si me audis, vox *Aetas* apud Latinos. In I. excidii cap. 8. sive 9. *Regem constituit Alexandrum, cui PROCERA AETAS & moderatio*

suffra-

CONVERTI absolute apud utrumque est mutare factum, & resipiscere; sicuti & *converti ad aliquem* is dicitur, qui ei studere incipiat, antea aversatus. Ea quidem notio apud Christianos in justificationis mysterio tritissima est: at Ambrosius utrobique promiscue in rebus ceteris usurpavit. III. excid. 22. *Si converterentur*: sive absolute, sive subaudiendo, *Ad Vespasianum*. Totidem verbis IV. 28. extremo. Et V. 14. *Quod Judaei, si sibi consulerent, converterentur*, supple *ad Titum*, aut absolute. At Ambrosius ep. (53) ad Theodos. n. 3. de Valentiniano antea adversario, postea studiosissimo, sic loquitur: *Quas ego Domino deferebam gratias, quod ita IN ME* [notabis heic praepositionem adhibitam] *conversus esset*. Ep. (18) qua relationi Symmachi respondet, n. 7. Roma loquens inducitur: *Non erubesco cum toto orbe longaeva converti*, abjecto scil. idolorum cultu, Christianismum amplecti.

DESPUO & EXSPUO utroque in auctore translate pro *Expello* sumitur. In III. excid. 20. de mari usurpavit: *Quatuor itaq. milia quingentaque defunctorum numerata corpora, quae despuerat mare*. Eadem prorsus locutio in Ambros. de fide resurr. n. 58. *Mare . . . quaecumque corpora humana demerserit, vicinis exspuit unda plerumq. littoribus*. Item de obitu Theodos. n. 26. *Quos* [parvulos] *naufragos in hanc vitam quidam velut naturae fluctus exspuerit*. Item sequentibus duobus locis DESPUO est *excludo*. De Jacob lib. 1. n. 4. *Potest igitur mens sobria . . . rectae rationis tractatione despuere passiones*. Et num. 32. *Qui id habet* (puta possessionem veri & boni) *despuit cetera, nec requirit*. Ep. (63) ad Verc. Eccl.

suffragari aestimabatur. Heic quid *aetatem* vocaverit auctor, *proceritas* aetati tributa declarat. Quo loco Josephus, nequid dissimulem, ita ἡλικίας vocem adhibuit, ut ignores, pro statura ne, an potius pro annorum summa acceperit; sic enim I. de B. J. 4. initio scripsit: καθ' ἡλικίαν προὔχειν δοκοῦντα, *aetate* [h. e. sive *statura*, sive potius *annis*] *praestare visum*. At heic non id quaerimus, recte an secus Josephum Noster verterit: verum id potius nunc primum animadvertimus, AETATEM apud Latinos etiam *staturam* designasse. Neque hanc ipsam notionem verus Ambrosius respuit: qui de Fide resurrect. n. 55. sic scripsit: *Deinde* (frumenti herba) *paullatim teneram spicae adolescentis AETATEM culmo erigit, & vaginis . . . includit*. Quis heic *aetatem* aliud quam staturam interpretabitur? Videbis de hoc plura ad Luc. II. 52. adnotata, quae Deo juvante edituri sumus. Nam illud προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ non dubitabam quin verti deberet, *Proficiebat* (Jesus) *sapientia & statura*, pro eo quod in Vulgata posterius redditur *Aetate*. De eo inquam non ambigebam: nam & *staturae* notionem saepius Graeca vox ἡλικία subjectam habet; nec porro aliud hic locus quam staturam requirit: sed tamen verebar ne Vulgati interpretis periclitaretur existimatio. Sed satis salvae res sunt. Vertamus licet cum Vulgato, *Proficiebat . . . aetate*, sed ita ut *Aetas* heic *staturam* designet. Quid quod hoc ipso Evangelistae loco Ambrosius ipse non aliud *Aetatis* nomine, quam μῆκος sive proceritatem intellexit? Legatur Doctor egregius in De Incarnat. num. 71. 72. ubi in eadem Lucae verba commentans, *Profectus*, inquit, *est aetatis, & profectus est sapientiae, sed humanae* [h. e. usu acquisitae, quam experimentalem vocant] *est. Ideo aetatem ante praemisit, ut secundum hominem crederes dictum; AETAS enim non divinitatis, sed corporis est*. Rectissime *aetatem* soli corpori tribuit, siquidem [ut certe apud Lucam] *aetas* ad staturam sit referenda. Quod si *aetatis* nomine annorum summam intellexisset Ambrosius, nae is dixisset potius, *Aetas non divinitatis sed HOMINIS est*.

Postremo cave putes, novam esse hanc *Aetatis* notionem, nec IV. saeculo antiquiorem; nam praeterquam quod Ambrosius vetustarum locutionum auceps mirificus fuit; etiam etymologia id suadet. *Aetas* teste Varrone fit ab *Aevitas*; haec vero ab *Aevum* ducitur. Atqui *Aevum* pro proceritate ab Horatio usurpatum sine ulla ambiguitate video versu illo:

Crescit occulto velut arbor aevo.

Pulchre arboris in altum προκοπήν vocavit *occultam*; quis enim tam lynceus, qui horae unius incrementulum dignoscere in arbore queat?

Haec idcirco fusius aliquanto exposui, ut mirari desinant homines delicatuli, si tam sedulo in antiquis scriptoribus voces earumque notiones aucupamur. Nam quanta rerum momenta in voculis saepe vertantur, ii satis intelligunt, qui norunt, quid demum sit in antiquorum lectione cum fructu judicioque versari.

Eccl. n. 19. *Pane vel aqua qui libenter utitur, despuit deliciarum epulas*. Eadem notione & RESPUO pro *Extinguo* usurpavit de Paradiso n.41. *Cum Deus nostri misericors respuendi erroris* [Adae peccantis] remedia reservaverit.

DEVOTIO apud utrumque auctorem quid sit, paucis expediri nequit. De quo vide subjectam (643) Diatribam, si tanti duxeris.

IN-

(643) DIATRIBA *de Ambrosianae DEVOTIONIS notione*.

DEVOTIONIS mentio usque adeo perpetua Ambrosio est, ut ejus virtutis nomen is potissimum ut in Ecclesia tam tritum evaderet, fecisse mihi videatur; ut proinde Mediolanensis antistes non immerito primus *Devotionis* Doctor haberi possit. Etenim Judaeorum vox illa Act. XXIII. 14. *Devotione devovimus nos* (*ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτοὺς*) *nihil gustaturos, donec occidamus Paulum*, res est alterius generis. Adhaec apud Graecos Patres nulla vox sollemnis erat, quae *Devotioni* Ambrosianae responderet. Καθοσίωσις vero & Ἀφοσίωσις [quae quidem in Vet. Glossis *Devotioni* respondent] ad paganicam devotionem pertinent, non item ad Ambrosianam. Quinimo a Graecis Patribus *ἀφοσίωσις* deteriorem in partem accipi solet: apud quos *ἀφοσιώσασθαι* plerumque est officio remissius ac dicis causa defungi. Jam vero Latinos Patres si consulas; de Christiana devotione nihil apud Tertullianum, atque Minucium, nihil apud Cyprianum, nihil apud Optatum Afrum, quod nunc sciam, reperies. In Hilario tantum ad illud, *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*... sic invenio: *Omnia inter contemptum Saeculi & contumeliam laedendi Caesaris temperavit, ut curis omnibus & officiis humanis DEVOTAS Deo mentes absolveret*. Et ad Ps. CXL. *Quantulamcumque animi nostri constantiam a DEVOTIONIS officio repentinus exiguae difficultatis motus avertit*. Quae prima videntur doctrinae *Devotionis* apud Latinos rudimenta. Ceteros Latinorum non moror, ut qui sive aequales Ambrosii, sive posteriores fuerunt.

Ambrosius autem quid ejus virtutis nomine, quam locis omnibus buccis crepantibus personabat, intellexerit, volupe erit ex ipsomet cognovisse; productis scil. ejus locis, tum ex Excidio, tum ex confessis operibus Ambrosianis: id vero nec confertim nec indiscriminatim, sed prout suaserit usus & opportunitas.

Ac primum an, quia Nostrum hunc non segnem locutionum veterum aucupem fuisse docuimus; notionem illam huic voci subjecit, qua apud profanos sive *Devovere* tantumdem erat quod mala hostibus imprecari (cujusmodi formulam Macrobius in III. Sat. 9. scriptam reliquit) sive ubi se aliquis pro patria prove salute legionum devovebat? Plenae sunt alterius hujusmodi *devotionis* Romanorum historiae. Et hanc veterem quidem notionem spectavit Ambrosius in de Virginitate ad finem cap. 2. *Se ipse* (Isaac) *non distulerat immolandum, nec de Dei miseratione ambiguus, nec de sui devotione* (qua scil. morti devotus erat) *sollicitus*: etsi ibid. paucis ante verbis *Devotio* Christiana in eod. facto laudatur. Alibi quoque Noster veterem notionem ob oculos habuit, ac praesertim in III. Excidii 16. in ea oratione, qua Josepho voluntariam mortem Judaei suadent: *Ubi est regis Saulis & Jonathae DEVOTUS patriae animus, & mors illa pro civibus suscepta, & fortiter & gloriose expetita*? Adde & illud III. Excid. cap. 2. medio: *Ubi est illa DEVOTIO patrum, pulcherrima passionum omnium, qua se non pro liberis, non pro conjugibus magis, quam pro TEMPLO DEI, morti offerebant*? Qui quidem locus aperte referendus videtur ad I. excid. 45. ubi confidentissimum plenumque roboris illud Judaeorum, qui aquilam auream de fastigio portae Templi detraxerant, responsum refertur. *Ad regem*, inquit, *perducti, quum interrogarentur, cui obedire cupientes, tantum facinus adorsi forent; responderunt: Legi paternae. Iterum quaerenti, quo freti, laetiores adessent, quum ad mortis vocarentur periculum; responderunt: Pietatis & DEVOTIONIS* [pro Templo scil.] *praemiis, quorum remuneratio pro ritu patrio mortem expetentibus persolveretur*. Quibus quidem locis apud Josephum nihil quod ad devotionem attineat respondet: quae tamen ita admensus de suo est Ambrosius, non ut Christianam devotionem doceret, sed (nimirum ut argumento serviret) illam alteram antiquorum.

Ad Christianam vero devotionem ubi serio digitum intendit, est ubi videatur pro *Fide* accepisse. Nec immerito. Nam si *Devovere* est consecrare; *Fides* (sive hanc pro fidei virtute, sive pro Baptismo accipias) una nos Deo consecrat. Itaque olim Baptismus, ut alibi observavimus, & *Fides* & *Consecratio* dicebatur. Jam vero Ambrosius lib de Abraham scripsit: *Ea enim virtus* (devotionem intelligit) *ordine prima est, quae est fundamentum ceterarum*: quod Fidei peculiare est.

est. Atque innumera plane sunt Ambrosii loca, in quibus *Devotio* & *Fides* ita copulantur, ut magis duo ejusdem rei synonyma, quam ut duae distinctae virtutes ab eo intelligi videantur. Sic epist.(61) ad Theod.n.4. *Et hoc quantae devotionis & fidei est*. Ep. (63) ad Verc. Eccl. n. 4. *Nos illum* (Christum) *devotione conspicimus, fide cernimus*. Et alibi pluries. Tamen quid moror? plura sunt alia S. Doctoris loca, in quibus Devotio & Fides ita junctim nominantur, ut simul aperte inter eas distinguatur. Sic lib.2. de Cain n. 6. *Castitas, Pietas, Fides atque Devotio* tamquam discretae virtutes recensentur. Ibid. n. 22. *Pubescens adolescat Fides, quae defectum senescentis devotionis ableget*. Adhaec de obitu Valent.num. 55. *Imitatus est alterum fide, alterum devotione pariter atque pietate in templorum privilegiis denegandis*. Quis deinde ambiget quin Devotio aliud prorsus a Fide sit? Postremo ubi *Devotionem* primam & fundamentum virtutum vocat, id siquid probat, magis est ut ibi *Devotionis* nomine obedientiam Divinis mandatis acceperit: de quo jam dicendum.

Etenim locus ille modo indicatus lib. 1. de Abraham (qui quidem liber totus in virtute Devotionis perdocenda expenditur) proxime ab initio cap.2. sic totus habet: *Itaque cujusmodi fuerit in eo viro devotio, consideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quae est fundamentum ceterarum; meritoque hanc ab eo primam exegit Deus, dicens: Exi de terra tua* &c. Qui locus tam aperte ostendit Devotionem nihil esse aliud quam obsequium sive obedientiam, ut non immerito Benedictini editores in Praefat. ad lib. de Abr. post medium de ea παντως tamquam minime dubia loquantur his verbis: *Propositaque illius* (Abrahae) *DEVOTIONE, hoc est in exsequendis divinis mandatis obedientia, reliquas ejusdem virtutes prosequitur*. Ac passim eod. libro eamdem Noster ingerit notionem. Ut num.5. *Quod devotionem suam sanctus Abraham non solum studio, sed etiam efficacia* [h.e. alacritate] *probaverit*. Adde ibid. num. 9. initio, iterumque post medium, ubi ait: *Erat justo viro cura conjugalis pudicitiae: sed majus erat studium maturandae DEVOTIONIS, ne praetulisse custodiam tori mandatis videretur caelestibus*. Et num.66. fine: *Tentabat* [Deus, quando filium mactari jussit] *affectum patris, si Dei praecepta praeferret filio, nec paternae pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret*. Et num.74. *Inflexibilis a studio devotionis minister ... hoc sibi in perenne mansurum judicabat filium, si eum immolaret Deo*. His adde lib. de Parad. num. 9. *Quod* (Abraham) *a devotionis obsequio nec dilecti filii miseratione revocatus sit*. De fide resurr. n. 97. *Sensit* [Abraham filium immolaturus] *pietatis affectum, sed non omisit devotionis negotium, & properabat obsequium*. De virginitate num.9. *Pro qua devotionis exsultatione ovis pro illo jussa est immolari, quia se ipse* [Isaac scil. cujus heic devotionem commendat] *non distulerat immolandum*. Quibus locis animadversis, ecquis imperare sibi poterit, quo minus *Devotionem* interpretetur obsequium ac dicto audientiam, quae jussis Divinis praestanda est?

Nec aliorsum accepisse mihi Ambrosii discipulus, postea Praesul Hipponensis, videtur, ubi ad Ps. 143. laudat *Devotos ad audiendum* (h. e. obtemperandum, ut equidem accipio) *fideles ad credendum*. Idem quaest.70.in Exod. *Laudandus est*, inquit, *non attractus ad opus serviliter animus, sed liberaliter & sponte devotus*, i. e. dicto audiens. Hinc ab Aquinate [in 2.2. quaest. 82.] *Devotio* definitur, ut sit *Voluntas quaedam PROMPTE* (quae promptitudo etiam ex pluribus recitatis Ambrosii locis elicitur) *tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum*. Accurate quidem Angelicus & accommodate ad mentem Ambrosii.

At contra sunt alia multa hujus Nostri loca, in quibus *Devotio* videtur pro Religione sumi. Nec aliorsum ea vox, quam quorsum modo dixi, accipienda est in I. excid. cap. 16. fine, alibi 17. initio. Nam expugnante Pompeio per duces suos Templum Hierosolymitanum, inter irruentium hostium gladios, *Nullum*, inquit, *intermissum est officii genus. Quidquid ad purificationis sollemnitatem, quidquid ad cultus sacri observantiam spectare poterat, impletum est: tanta erat cura ministerii. Atque utinam pro VERITATE DEVOTIONIS & FIDEI fuisset*. Haec tamen non ex Josepho, sed de suo adnumerat Ambrosius, eoque *Devotionem* Christianam intelligit, quam cum *Fide* copulat. At vero quod Devotioni tribuat *veritatem*, id plane suadet, hoc loco *Devotionem* pro Religione (quae scil. vera aut falsa esse possit) ab eo acceptam fuisse. Nam obedientiam quis umquam veram aut falsam dixit? Quin nec aliorsum accipi debet, quod idem Exjosippus lib. II. cap. 12. de suo adnumerat: *Plerique tamen Judaeorum & gentilium plurimi crediderunt in eum* [Jesum adhuc in terris agentem] .. *quibus ne mors quidem ejus vel fidei vel gratiae finem imposuit, imo etiam cumulavit DEVOTIONEM*. Nec potest non eodem referri ille Ambrosii locus Epist. (40) ad Theodos.num.11. *Sed disciplinae* [publicae

seu

INTERPOLO quid apud antiquos sit, quivis puer expediet. At uterque scriptor pro *Interrumpo* usurpavit. In I. excid. 8. aliter 9. *Hos bellandi successus domestica seditio interpolavit*. Ambr. ep. (49) ad Sabin. n. 1. solitudinem laudans: *Nemo interpellat, nemo interpolat*. De Cain. l. 1. n. 38. *Vt non turbetur, non interpoletur oratio tua*. Et lib. 2. n. 21. *Vt oratio nullo interpoletur metu*. In Hexa. lib. 1. n. 37. *Sine interpolatione noctium & successione tenebrarum dies perpetuus ille, remunerationis aeternae.* In Hexa. lib. 4. n. 22. *Magna lux Divinitatis, quam nulla umbra mortis interpolat*. Et lib. 5. n. 28. *Mare norunt* (cete), *quod nullae interpolant insulae, nec terra aliqua interjacet*. Eadem notione Curtius VI. 2. *Interpolabat satietatem epularum ludis*.

REFELLO pro *Repello*, *Resisto*, *Retundo*. Ambr. ep. [63] ad Verc. Eccl. n. 83. *Nec improbitatem improbitate refellere*. Dictum, ut Vim vi repellere. Sic in I. excid. 14. *Jussis quidem paruit, quae non audebat refellere*. Et III. 11. *Commenta refelle-*

seu civilis] *te ratio, Imperator movet* [ut synagogam reaedificari jubeas]. *Quid igitur est amplius, Disciplinae species, an causa Religionis? Cedat oportet CENSVRA* [quam modo *Disciplinam* vocaverat] *DEVOTIONI* (quam proxime dixerat *Religionem*). Ex quo intelligitur, non tantum Devotionem tantumdem esse quod Religionem, verum etiam *Censuram* [Cypriano amicissimum nomen] idem esse quod disciplinam: obiter vero Disciplinam ecclesiasticam ab saeculi disciplina sive civili, sive militari [de qua uterque Codex saepe loquitur] nomen suum accepisse. Eodem quoque & illud pertinet, quod lib. 2. de Cain n. 23. scripsit: *Oblatio insigne devotionis* (h. e. Religionis) *est*. Adde in de obitu Theodos. num. 47. *Vt persecutio cessaret, Devotio* [persecutoribus scil. amplexis Religionem] *succederet*. Et n. 51. *Susceperunt* [imperatores post Constantinum] *frena devotionis & fidei*. Postremo ecquaenam afferri causa potest, cur ab ineunte quarto saeculo virgines Deo sacrae tum *Religiosae*, tum etiam *Deo devotae*, aut absolute *Devotae* (quod non semel in hoc ipso Commentario observavimus) vocarentur, nisi ea est, quod *Religio* & *Devotio* duo sunt unius ejusdemque rei nomina? Illud nescio quo modo mihi exciderat, quod etiam Lactantius id nomen pro Religione haud dubie accepit lib. II. c. 12. *Vt.. Deo Patri summa devotione serviret*. Et VI. 9. *Huic* (Deo) *devotissime serviamus*.

Sed recte est quod allatae duae notiones [tum alacris scil. obedientiae, tum etiam Religionis] adeo non inter se pugnant, ut potius conspirent amice: nisi quod Religio, utpote genus summum latissime patet, Prompta vero obedientia [quippe εἶδος, sive generis summi pars] artiore ambitu continetur. Hinc nihil secum pugnat Ambrosius, dum Devotionis nomine modo Religionem (quae quidem propria est ejus vocabuli notio) modo fervidissimum Religionis gradum, nim. obedientiae alacritatem intelligit, utpote Religionis speciem eximiam. Ac scitum est, speciem sub quoque genere excellentissimam haud raro sibi generis summi nomen peculiare facere. Etiam S. Thomas, quum Artic. 1. supra scriptam Devotionis definitionem attulisset, mox articulo sequente eam *Actum Religionis* esse docet. Hec de notione Ambrosianae Devotionis.

Nam illud nunc libens omitto, undenam id nomen propagatum fuerit in Ecclesiam. Aut si adeo id paucis sit expediendum verbis, vetabo quemquam de vetere *Devotionis* sive Judaica sive ethnica notione cogitare. A Devotione in imperatores ea locutio prorsus, si me audis, manavit in Ecclesiam, vel ipso, si placet, Ambrosio judice. Qui lib. de Elia & jejunio initio capitis 17. compotantium adprecationes irridens, ait: *Bibamus, inquiunt: Opto salutem* [sed mutato *Opto* in *Pro*, satius est legere, *Bibamus pro salute*: idque firmatur ex sequentibus, *Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute* &c.] *imperatorum, ut qui non biberit, fiat reus INDEVOTIONIS.. O piae DEVOTIONIS obsequium!* Hinc plenae sunt lapidum inscriptiones ea formula, qua quisquis titulum Imperatori posuit, *Devotus numini majestatique ejus* dicitur. Ac passim in utriusque Codicis legibus *Devotio* principibus debita commendatur. In primis autem ea laus militiae est, non tantum castrensis, verum & palatinae. Vide prae ceteris l. 10. Cod. Theod. *de re militari*. Et l. 6. eod. Cod. *De tyron.* Et l. 6. & 8. eod. *De domest. & protect.* Et l. 17. eod. *De erog. mil. ann.* Ac passim alibi. Exstat de devotione militari pulcher Ambrosii locus in Hexa. V. n. 50. ubi de gruum disciplina militari agit: *Ideo nulla desertio* (excubiarum) *quia DEVOTIO naturalis: ideo tuta custodia, quia voluntas libera*. Hoc intellecto, quum illud etiam sciamus, plura ab re militari illata in Ecclesiam fuisse vocabula; nihil facilius dictu est, quam Devotionem Christianam, in qua tam multus est magnus Ambrosius, instar militaris devotionis fuisse appellatam.

fellerent [h. e. inutilia redderent] *Judaeorum*; quibus scil. commentis Judaei arietis impetum obtundebant. Cetera hujus generis margo (644) imus dabit.

§. VIII.

(644) *Alia novae notionis verba utrique scriptori usitata*.

ADSTIPVLOR antiquis erat *Assentior*. At Excidii auctor pro *Faveo* aut *Velificor* usurpavit. Itaque I. excid. 10. scribitur: *Astipulantibus ad misericordiam rebus adversis*. Item V. 18. *Idumaei . . Simonis partibus adstipulabantur*. Nec secus Ambrosius lib. 2. de interpellat. Dav. num. 21. *Vt* (aquila) *teneat atque enutriat* (eos fetus) *quibus veri indolem partus, & incorruptae gratiam naturae adstipulari adverterit*.

COACERVO. Vide infra in TEXO.

COMPONO pro eo quod est insidiari aut per fraudem aliquid nectere frequentius est in Excidio, quam ut de excerpendis exemplis laborare debuerim. Sed & eodem significatu Ambrosium delectatum reperi. In de Virginitate num. 2. narrato Salomonis judicio, sic concludit: *Vt intelligamus, prodi omnia posse, quae ficta sunt, & omnia composita* [fraudem falsae matris intelligit] *revelari*. Ep. (5) ad Syagrium n. 19. *Istud fraude compositum nequaquam sibi congruere*. Ep. (19) ad Vigil. n. 25. *Ne fugam in nocte componeret*. *Itaque Samson . . . compositas insidias . . . praevertens*. Lib. de Joseph. n. 26. *Vt composito crimine* (domina) *laederet innocentem* (Josephum).

CONTAGIVM pro *piaculo* in vet. Glossario Cyrilli reperitur, in quo tum *μολυσμὸς* tum etiam *μίασμα* respondent voci *Contagium*: qua etiam notione Tertullianus in de Idololat. cap. 8. scripsit, cavendum esse nequid scientes in usum idolorum commodemus; alioqui, *Non puto*, inquit, *nos a contagio idololatriae vacare*. Eadem notione in Excidio IV. 5. initio legitur: *Hactenus circumvagari licuerit, dum Templi sancti a majoribus conditi, & sacrae legis CONTAGIA* (h. e. piacula & profanationes) *REFVGIENTES, circa alias urbes stylum occupamus*. *Sed tempus est ut* &c. Itidem Ambrosius l. 2. de Jacob n. 24. ubi Jacob Labano ait: *Omnia tua tamquam piaculum refugi*. Et ep. (19) ad Vigilium n. 20. ubi Samson Israelitis se prodituris ait: *Non mortem abnuo, sed vestrum FVGIO* [pro *refugio*] *CONTAGIVM*, h. e. vestrum piaculum, si quidem me occideritis. Nec raro alibi. Vt lib. de Joseph num. 25. ubi Joseph a domina sollicitatus, statim profugit, quia *CONTAGIVM* [h. e. piaculum] *judicavit, si diutius moraretur*. Vide Apol. Dav. I. in qua id legitur passim, praesertim num. 56. & 57. pluries; ex fine autem n. 57. satis liquet, *Contagium* esse inquinamentum & maculam. Cui nomini quod additur saepe REFVGIO, id eo pertinet, quod aliquo polluti piaculo ab ipsis etiam a gentilibus vitabantur. Horatius: *Vetabo, qui Cereris sacrum Vulgarit arcanae sub iisdem Sit trabibus, fragilemque mecum Solvat phaselum*.

EXINANIO pro *effundo* (nempe pro antecedente consequens) uterq. usurpavit. In I. excid. 43. *Detuli venenum, & in conspectu ejus exinanivi*: pro quo paullo ante *effundere* dixerat. Itidem Ambrosius de Virginitate num. 64. *Exinanivit* (Christus) *unguentum, quando virtus exibat de eo*. *Hoc unguentum exinanitum est super Judaeos, & collectum est a gentibus: exinanitum in Judaea, & redoluit in omnibus terris*: pro quo mox *unguentum effusum* non semel usurpavit. In Hexaem. l. 2. n. 12. *Prolixum est singulorum prosequi fluviorum nomina, qui vel in nostrum mare derivantur, vel exinaniuntur* (h. e. *effunduntur*: nam re vera exinaniuntur nunquam) *Oceano*.

IMPRIMO. Quod Ambrosius *Impressionem* pro vi atque impetu usurpaverit ep. (63) ad Verc. Eccl. n. 65. [ubi de se per vim ordinato sic conqueritur: *Quam resistebam ne ordinarer . . . Sed . . praevaluit impressio*; sicuti & lib. I. de Jacob n. 4. initio; & Exjosippus V. 18. *Moriebantur majore suorum quam hostium impressione*] in eo inquam utrumque Nostrum antiquos fuisse imitatum, palam est. At vero *Imprimo* pro *Impressionem facio* nunc primum ex Excidii historia discimus IV. 26. ubi de Vespasiano scribitur: *Cessit potius imprimentibus, quam recepit* (imperium) *voluntarius*. Quod Nostrum ab antiquis arripuisse, non est dubium.

INCOMMODVM & INCOMMODITAS pro valetudine incommoda. I. excid. 42. *Rex . . ubi incommodum depulit*. Et cap. 45. *Quam* [aegritudinem] *imbecilla senectus suis incommoditatibus acerbabat quotidie*. Ambros. in Ps. 43. *Omni aegritudine & inaequalitate incommoditatis absolveret*. In Hexa. lib. V. n. 88. *Istius* (galli) *cantu . . aegris levatur incommodum* [i. e. morbus: nam respondet hic totus locus iis quae dixerat in Hymno de gallicinio, *Aegris salus refunditur* &c.] *febrium flagrantia mitigatur*.

NEPOS pro fratris filio ab antiquis non reperitur dictum. At aevo Ambrosii jam usurpari coepisse, documento est Hieronymus epist. ad Heliodorum, & ipse Ambrosius, qui pluries utitur:

tur: ut ep. (39) ad Faustinum, in qua n. 2. bis eo significatu usurpat, ut & lib. de Myster. n.45. Item l.1. de Abrah. n. 10. *Mulcebatur*, inquit, *sanctus Abraham nepotis* (Lothi) *praesentia .. Incidit rixa inter servulos nepotis* (Lothi) *& patrui* [Abrahae]. Et n.15. bis, & num. 4. & alibi pluries. Nec alia notione in Excidio I.31. prope initium: *Plurimi ad eum* (Sabinum) *nobilium per diem confluxere: inter quos etiam Domitianus* [qui post Titum regnavit] *Vespasiani germano editus: qui metuens, ne in se, quasi Vespasiani NEPOTEM, Vitelliana ultio derivaretur* &c. Haec ideo pluribus recitavi, nequis Nostro insultet, quod Domitianum non Vespasiani Aug. sed alterius, qui germanus imperatoris fuerit, filium crediderit. Danda est nimirum haec tum Ambrosii nimiae, dum hanc interpretationem funderet, adolescentiae venia, tum etiam quod episcopus postea factus ad eam corrigendam incumbere tum heic, tum aliis locis aliquot, nequiverit. Ceterum hic naevus ex secus intellecto Josephi loco in IV. B. J. cap.11. §. 4. fluxit, ubi prope initium legitur: μεθ' ἡμέραν δὲ αὐτῷ πολλοὶ προσεγένοντο, καὶ Δομετιανὸς ὁ τοῦ ἀδελφοῦ παῖς. *Prima luce multi ad eum* (Sabinum) *nobilium confluxere, inter quos Domitianus fratris filius*, h. e. Vespasiani [cui Sabinus frater fuit, teste Suetonio in Vitellio cap. 2. ipsoque Josepho cap. superiore §. 3. ubi *Vespasiani frater* haud alius ab hoc Sabino est] mox imperatoris salutati filius. At Noster, cui Vespasiani ac Sabini germanitas inaudita esset, haec aliorsum accepit.

PEDES non tam is est qui pedibus suis ingreditur, quam qui terra non mari iter facit. III. excid. 3. *Pedes* (h. e. terrestri itinere) *in Syriam* (Vespasianus) *contendit*. Ambr. ep. (63) ad Verc. eccl. n.34. *Pedes* [Maria Mosis soror] *transmisit pelagi freta*, vel si forsitan jumento vehebatur. In Apologia Dav. I. *Rubrum pedes mare transivit* populus Hebraeorum.

REFORMO olim de incorporalibus [puta moribus, doctrinis etc.] usurpabatur. At de corporalibus eo utitur uterque Noster, antiquorum ne exemplo fultus, praestare non queo. I. Excidii 17. *Reformavit* [h. e. reaedificavit] *etiam* (Pompeius) *Gadaram, quam Judaei everterant*. Nec aliter Ambrosius in I. de Spir. S. n.19. *Basilicam ... praeceperis reformari*. Ep. (54) ad Euseb. *Opus portus reformandi*, h. e. reficiendi. De fide resurr. n.53. *Quod mortuum est resurgit, & in eadem genera & in easdem species reformatur*. Hex. l. 3. n. 36. *Siquis* (lilium) *sua solvat in folia, quae tanti est artificis manus quae possit lilii speciem* [h.e. substantiam: Gr. τὸ εἶδος, ex usu philosophor.] *reformare? ... ut florem hunc redintegrare praesumat*? Et n.57. *Salubribus* (sanitas) *reformatur alimentis*.

REFVTO pro *Recuso*: unde ad Italos fluxit verbum *Risiutare*. Atque haec quidem notio aevo posteriore non insolens fuit: sed ea uterque Noster mire est delectatus, forsitan non sine majorum exemplo. In II. excid. 10. *Vt nec pro se* (Judaei) *sacrificarent, qui sacrificium Caesaris refutavissent*. Quem locum in Barrensis editione mutilum ex Ascensiana supplevi. Nec raro alibi. Ambrosius ep. 13. n. 2. *Refutare gratiam*. Ep. 18. qua Symmacho respondet, n.31. *Si refutet* opponitur τῷ *Si adquiescat*. Ep. (63) ad Vercel. Eccl. *Noli inopem refutare*. Alibi: *Angelorum more nuptias refutamus*. De Cain l.2. n.21. *Sacrificium refutet*. De Parad. n. 52. *Poenam pravi judicii refutare non debes*. Hexa. l.5. n.35. *Exceperunt* (Jonam) *pisces, quem homines refutarunt*. Et l. 6. n. 5. *Nec Elisaeum amici quasi malum convivam* [i. e. convivatorem] *agrestia apponentem olera refutarunt*.

RESIDEO pro eo quod est superesse ac restare, necesse est antiquis fuisse dictum; quia *Residuus* & pluratívum *Residua* ab eo prorsus verbo proficiscuntur. At propriae hujus notionis exempla, quae in lexicis desiderantur, Noster uterq. suppeditat. In III. excid. c.16. Judaei mortem Josepho suadentes concionantur: *Quam excusationem habebis, quod tamdiu resederis*? h. e. tamdiu restiteris, quem ad mortem festinato convolare oportebat? Et cap.21. *Supremi excidii fama, quia nullus index supererat, adstruebat periisse omnia, nihilque RESEDISSE, vel ad indicium rerum gestarum*. Itidem Ambros. ep. (55) ad Eusebium, quam sic orditur: *Faustinus uterque tibi redditus est: nobis utrumque Ambrosium pignus resedit*, h.e. remansit. Lib.1. de Abrah. n.11. hoc familiae ercíscundae praeceptum ab Abrahae a Lotho digredientis exemplo petit: *Firmior* (familiae) *dividat, infirmior eligat, ne habeat quod queratur ... Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi*. Lib. 2. de Jac. n. 21. ubi de Jacob a socero digrediente: *Melius est sine lite abire, quam residere cum jurgio*. Atqui Noster eam notionem ab JCtis imbiberat. Sic *Residere apud maritum ex administratione* legitur in l. 95. D. *ad leg. Falcid.* Item *Residere peculium*. Et *Residet pecunia publica*. Et quae de genere hoc plura ex jure nostro afferri possent.

RESVRRECTIO apud utrumque auctorem est status ille gloriosus qui resurrectionem sequitur, plane ut in Evangelio ubi legitur, *In resurrectione neque nubent neque nubentur*, &c.

Eo refer illud III. excid. 6. *Ut secundum elementorum gratiam aestimaverint Judaei eam promissam patribus terram fluentem lac & mel: quum* [re vera] *spoponderit illis RESURRECTIONIS praerogativam. Et utrumque .. contulerat, si fidem servassent: sed infidelibus animis utrumq. ereptum.* Sed & Ambrosius millies sic accipit. Legatur prae ceteris liber de fide Resurrectionis: in quo etsi interdum *Resurrectio* mere pro revivifcentia sumitur, at pluries diserte pro gloria, quae resurrectionem consequitur. Vel vide quod legitur ad finem n. 28. ubi rationem reddit, cur David Abessalomum & Ammonem fleverit, infantem non item: *Illos enim* (inquit) *sibi periisse credebat, hunc resurrecturum* [ad gloriam scil. nam satis alibi tradit, etiam impios ad sua corpora redituros] *sperabat.* Eadem cautione legendum & quod ibidem ad finem n. 36. legitur. De Jacob lib. I. n. 38. *Quando* [Moyses & Helias] *cum Domino J... in resurrectionis gloria* [h. e. gloriosa illa transfiguratione, de qua Matth. XVII. 3.] *refulserunt.* Nolo alteram hujus vocis notionem dissimulare, qua notatur gloria animarum adhuc corpore solutarum, sive liberatio a poenis purgatorii. Sic accipitur in fine orat. de obitu Valentiniani: *Te quaeso, summe Deus, ut carissimos juvenes* (Gratianum & Valentinianum morte immatura praereptos) *matura RESURRECTIONE suscites* [nempe ut eorum animas a poenis expiatoriis absolutas ad gloriam beatorum cito transferas, ante scil. generalem revivifcentiam] *ut immaturum hunc vitae istius cursum maturiore suscitatione compenses.*

SEQUESTRARE pluries est *Deponere*, tamquam apud sequestrem scil. Sic I. excid. 32. *Sequestravi regni insignia.* Et cap. 40. *Pater sequestra pietatem* in filium. V. 4. *Sequestrata civilium bellorum certamina.* Ambros. de Parad. n. 44. *Sequestrato usu communi.* De Noe n. 78. *Quod imperiale est sequestravit: quod beneficii, nominavit.* At interdum est *Secludo*, aut *Dirimo* (ut Italis *Sequestrato da ogni* ...) Ambros. de Abrah. l. 1. n. 10. *Tolerabilius putavit, ut copula* [inter Abraham & Loth] *sequestraretur, quam gratia dirimeretur.* Ubi posterius verbum prioris est interpretatio. Alibi est *Immunem facio.* Ambr. ep. (37) ad Simplic. n. 22. *Sequestrat* (Paulus) *a lege Christianum, ne invitus videatur legi succumbere.*

SOBRIETAS ab utroque interdum insaniae opponitur. I. excid. 37. in fine: *Mentis sobrietatem recepit.* I. 40. *Turbato mentis sobriae statu.* III. 21. *Debuerat ergo Hierosolymitanis causa sobrietatis esse vicinorum periculum: sed* &c. Ambrosius Hexa. l. 1. n. 3. *Infirmitas quoque corporis, sobrietas* (h. e. *sanitas*, quia *infirmitati* opponitur) *mentis est.* De Viduis n. 88. *Consilium sobriis, non ebriis* (amore scil.) *datur.* Ep. (19) ad Vigil. n. 27. *Ille* (Samson) *adhuc sobrius ... adversus delinimenta meretricia*, quae eum postea dementarunt. De Noe n. 118. sic illud Gen. IX. 24. reddidit: *Et sobrius* (h. e. sui compos) *factus est Noe a vino.* Ad quae sic incipit: *Manifestum est ex ebrietate, intercedente somno, sobrios fieri homines: mens autem sobria est quando & praeterita & futura cognoscit. Sobria ergo erat mens Justi, etiam quando ebria putabatur.* Ibid. pluries *Ebrio* opponit *Sobrium*: quod est ἰδιόλεκτον. Charisius lib. 1. *Unde Ebrius & Ebria dicitur ... cui contrarium est Sobrius.*

SUBRIGERE SE saepe Mediolanensis usurpat, nec aliter quam sequente *In superiora.* Hexa. l. 1. n. 23. *Ut .. levia in superiora se subrigant.* Eisd. verbis lib. 3. n. tum 5. tum 9. *In superiora se subrigat.* Et lib. V. n. 33. *Emergat atque ad superiora se subrigat.* Et eisd. verbis n. 45. Sic quoque De obitu Theodos. n. 18. *Quum sese ad sublimia & superna subrigeret.* Et ep. (64) ad Iren. n. 4. *Se ad superna subrigat.* De fide resurr. n. 21. *Ad altiora subrigunt.* Et certo certius est, eamdem locutionem in Excidio pluries recurrere; sed loca notare haud pensi duxeram. Interim huc quoque pertinet quod III. excid. 20. scribitur: *Quum in adversum mare violenter subrigerentur.* Recte: nam id aliter in re nautica *ALTUM petere* dicitur: Graecis autem ἀνάγειν eadem notione; cujus contrarium κατάγειν.

SUSPENDO pro *Differo.* Ambrosius ep. (63) ad Vercel. Eccl. n. 25. *Canes ... interdicto cibo temperare solitos, ut jejuna fame ora suspendant, si imperetur abstinentia.* In V. excidii 46. sic Titus seditiosos increpans inducitur: *Parcere volebam, vos non sinebatis: suspendebam praelia, vos irruebatis.* Latinus Pacatus, qui Ambrosii aevo succrevit. *Cum induciae bella suspenderent.*

TEXO & RETEXO pro *Dico* aut *Narro.* Excidium II. 9. ante medium: *Nam de Hannibale quid retexam, qui tot regionum victor, Romanis & ipse militavit triumphis, quibus Alpes aperuit* &c. Ambrosius ep. (5) ad Syagr. sic incipit: *Prospiciendum esse ne de nostro obloquantur judicio .., propriis texuisti litteris.* Ep. (18) adv. Symmach. n. 39. *Quum de superioribus principibus texuisset.* Ep. (56) ad Theoph. n. 6. *Propriis texuisti litteris, posse* &c.

Sic etiam COACERVO eadem notione usurpatur in I. excid. 25. prope ab initio: *Ut Hyrca-*

§. VIII.

Conjunctae locutiones in utroque obviae.

CLAVES REMITTERE aut reddere dicebatur uxor, si a viro diverteret. Hoc eo pertinet, quod auctore Festo, nuptae domum ingredienti claves tradebantur, haud dubie in signum domesticae administrationis. Hinc maritus divortium faciens eas adimebat. Cicero in II. Philip. 28. *Mimam suas res sibi habere jussit ex XII. Tabulis: claves ademit, exegit.* At uxorem digredientem eas vicissim sponte reddidisse, ex proverbiali locutione Ambrosii discimus. Apud quem Ep.[6]ad Syagr. n.*6. Quo mulier offensa, claves remisit, domum revertit*. Nec secus Exjosippus [nisi quod de viris usurpat] V.53. in fine exhortationis ad mortem consciscendam: *Mulieres* [sic enim semper, ut alibi dictum, uxores vocat] *nostrae .. quasi dotale recipiant* [sanguinis] *patrimonium. Has illis claves refundimus novo sanguinis testamento, ut sint nostrae heredes libertatis*. Alias, inquit, claves illis loco priorum damus.

COMAM PASCERE, pro quo ceteri Comam nutrire dicebant. In loco excidii quem §.5. in PVMICO attulimus: *Pascere comam, vultum dealbare*. Item Ambros. de jejunio cap. 7. *Itaut eorum nullus capillus capitis exureretur, quia illam quoque jejunia comam paverant*.

CVRARE CORPORA *cibo potuque* φράσις est militaris, qua milites ante commissionem reficere corpora dicebantur. Ea exemplo antiquorum saepe utitur Exiosippus. At etiam Ambrosius extra militiam usurpavit in fine lib.2.Hexaem. ubi tempore Quadragesimae auditores suos his verbis de domumitione admonet. *Sed jam etiam secundus nobis claudatur* (divini opificii) *dies .. dum in noctem sermo producitur ... simul ut CIBO POTVQVE CVRENTVR CORPORA* (hactenus jejuna) *ne animis epulantibus, fragilitas carnis de nocturno quoque jejunio conqueratur*.

DVLCIS MEVS pulcherrima est materna allocutio ὑποκοριστική, qua scelesta illa Maria parvulum sibi mactatura in V. Excid. 40. utitur: *Potes tamen DVLCIS MEVS, & sic matrem pascere ... O mihi suavia viscera tua, artus jucundi*, &c. At in Ambrosio non eisdem quidem verbis, sed pari indole, ὑποκορίσματα concepta reperio in de Exhort. Virgin. ubi n. 52. sic Samueli parvulo adblanditur mater: *Tu autem fili ... POSTVLATVS MEVS, PETITVS MEVS ... tu inquam IMPETRATVS MEVS, & VOTIVVS MEVS ... agnosce a quo donatus sis mihi*. Mox n.53. *Pia mater ... ABLACTATVM SVVM ... in templum Domini deducens*.

FVRENS ANIMI & EXPERTVS BELLI uterque usurpavit: de quo vide §. seq. in Adnot. *646*.

FVRTA BELLI fraude administratum bellum significant apud Sallustium & Virgilium. Quod Exjosippus imitatur tum alibi, tum in Herodis oratione I. 32. *Nulla congressio fuit, qua non statim Arabes ... in fugam conversi ... ut se habent furta belli, fraude atque insidiis remedia captaverint*. Itemque Ambrosius ep. [37] ad Simplicianum n.30. *Dux cautior novit excursus cavere latrocinantium, & quaedam furta belli, quae iniquissimi animae nostrae adversarii ignitis saepe pertentant spiculis*.

GENITALE SECRETVM uterque honeste dixit. III. excid.12. in Jotapatae expugnatione: *Tanta autem erat hujus tormenti vis, quo saxa .. jaciebantur, ut ... mulier alvo gravis percussa uterum* [frustra in margine corrigunt *Vtero*, quum his locutionibus Noster gaudeat] *supra dimidium stadii de intima sede secreti genitalis*

Hyrcanum & Antipatrum incubare alienis, quae sibi .. erepta forent, questu gravissimo (Antigonus) *coacerbaret* [sic etiam in edit. prima: sed corr. *Coacervaret*] *extorrem se factum habitationis paternae* &c.

VADARI translate positum. I. excid. 32. in Herodis oratione: *Nunc mihi trepidatio vestra vadatur praerogativam victoriam*. Ambros. ep. (2) ad Constantium n. 23. *Vadatur hunc sermonem meum sanctus Joseph*.

lis excuteret infantem. Ac passim Ambrosius. In Luc. II. 2. *Quod solus S. Ecclesiae virginis ad generandos populos Dei immaculatae secunditatis aperiret genitale secretum*. Ep. (5) ad Syagr. *Genitalium secretorum inspectionem* ad probationem virginitatis improbat. De Parad. num. 63. *Folia foliis assuentes, quibus obumbrarent genitale secretum*. In fine lib. I. de Cain. *Est quaedam virtus animae, quae velut quodam vulvae genitalis* [an *genitali?*] *secreto, cogitationum suscipere semina, conceptus fovere, partus solet edere*.

INFORMIS LAQVEI NODVS in Excidio pulchre usurpatur IV. 9. *Ipsi sese illaqueabant miserabiliore ... exitu, quam si ab hoste perimerentur: quia voluntaria mors immanitati adscribitur; informis laquei nodus etiam probro datur*. III. 17.circa medium: *Informem leti laqueum homines invenerunt.* Hoc autem ex Virgilio, ut alia plura, sustulit XII. 603. *Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.*

Mirabar autem si auctor Excidii inito sacerdotio id elegantiae fastidivisset, vel tum certe, siquando de Juda obstrangulante sese meminisse debuisset. Nec vana fides. Ecce Enarrat. in Ps. XL. n. 24. sic posuit: *Sed caput Christi* (Judas) *ferire non potuit ... Suum sane caput informis laquei nodo ligavit, ut remedium sibi salutis auferret*. Sed & lib. de Tobia, dum foeneratores insequitur, sic num. 11. definit: *Libertatem obsecrat, servitutem irrogatis: absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis*. Ibidem num. 46. declarans Exodi legem de paupere non *suffocando* usuris, ait: *Strangulat enim .. laqueus creditoris: quo sermone .. deformis* (*) *nodum mortis expressit*. Et adhuc tamen in eo se critici obfirmaverint, ut Ambrosio excidii historiam abjudicent? Sane mirificam severitatem!

INHALANTES HORTI FLORIBVS Ambrosius dixit lib. V. Hexaem. n. 69. At idem antea in Excidio scripserat: *Inhalantes floribus paradisi*: de quibus vide supra §. 3. pag.799. in INHALO.

ORBIS ROMANVS frequentior utriusque scriptoris ῥῆσις est, quam ut in depromendis locis, quae millena utrinque excerpi potuissent, fuerit laborandum. Tamen non queo imperare mihi, quin unum illum afferam ex epist. (10) ad imperatores de Aquileiensi concilio num.2. *Propter quos* [Palladium & Secundianum Arianos] *congregari concilium postulabant de extrema orbis parte Romani*. Non haec adscripsissem, nisi non nemini venisset in mentem, *Romani* recto casu plurali accipere; nec enim Romani id flagitabant, sed haeretici. Ergo consuetum illud *Orbis Romani* per familiarem sancto Praesuli trajectionem distractum fuit. Par traductio occurrit in eadem, ne longe abeam, epistola num. 9. *Qui ... more indutus gentilium ausus sit in conspectu exercitus prodire Romani*.

NEC OTIOSE, aut *Non otiosum est quod* &c. aliove non absimili modo (pro *Non temere*, *Non de nihilo* &c.) tertio quoque versu Ambrosius in explicandis allegoriarum sensibus sublimioribus praemittit, sic semper ordiens, quoties ex aliqua sacrae historiae circumstantia arcanas significationes eruit. Nec opus est ex Ambrosio exempla depromere, quum ubivis ejus aperiantur commentarii, statim haec ἀλληγοροῦντος praefatio in oculos incurrat. Magis est, ut ne ab Exjosippo quidem, quamvis mero historico, id absuisse demonstrem. Qui lib. V. cap. 9. ubi dixisset Templi peripetasma ex cocco, hyacintho, bysso, & purpura in-

(*) Fortassis pro *Deformis* scribendum sit *Informis*; nam Virgilius, uti dixi, *Nodum informis leti* usurpavit. Sed nihil est mutandum; quia heic Ambrosius Virgilii locum, ne obscuritate laboret, παραφράζει, dum pro LETI & INFORMIS synonyma clariora substituit *Mortis* ac *Deformis*. Ac scite *Informem* interpretatur *Deformem*: nam cur Virgilius id letum *informe* vocaverit, exponit ibi Servius his verbis: *Informis leti, quasi mortis infamissimae*: quod & priori excidii loco congruit: *Informis laquei nodus .. probro datur*. Hinc, pro *Informis* heic τὸ *Deformis* h.e. *turpis* interpretamenti loco subrogavit.

intextum fuisse; sic subjicit. *NON OTIOSA materia tantae diversitatis, sed cujus species materiam rerum latentium significaret*. Reliqua hujus loci depromam infra cap. VI. ubi de mysticis significatibus cocci, hyacinthi, byssi, ac purpurae eadem Ambrosium episcopum sensisse, quae antea ipsemet Josephi interpres scripserat, demonstrabitur.

PLVVIAM ALTRICEM manna vocat Ambrosius ep. (41) ad Sororem n. 24. ubi Deus sic cum Israele expostulat: *Nonne, cum tibi per desertum venienti alimenta deessent, altricem tibi pluviam & commeatus, quocumque pergeres, circumfluos ministravi?* Nec ferme aliter, quoties de eo sermo recurrit. Ac ne in Excidio quidem V.15. aliter: *Quando caelestis escae pluviis alimoniam servitutis extremae* [quā impenderatis Aegyptiis] *praeferebatis*.

REFVGERE CONTAGIVM. De hoc vide supra §. 7. in Adnot. 644. in CONTAGIVM, ubi utriusque scriptoris exempla posui.

RESVMERE SPIRITVM aut SENSVM leviusculum est, sed tamen utrique commune. In I. excid. 45. ubi de morbo Herodis: *Sed excitatus strepitu conclamantium sensum* [hanc ultimam vocem ex Ms. Gronovius p. 119. restituit sententiae necessariam] *resumpsit*. Ambr. ep. (19) ad Vigil. *Bibit Samson & resumpsit spiritum*. Rursus I. excid. 42. *Vbi se resumpsit paullulum*.

ROGARE AD CONVIVIVM aut CENAM elegans priscorum locutio est. Haud longe ab initio historiae Excidii de Simone sic narratur: *Ptolemaei dolo generi sui rogatus ad convivium .. neci traditur*. Ambrosius lib. de bono mortis n. 53. *Quoniam rogati ad cenam non se excusaverunt*. Jam vero lib. de jejunio n. 51. *Rogare ad jucunditatem* dixit pro eo quod est *Invitare ad prandium*: ubi contra convivatores, qui vino supplantant convivas, sic invehitur: *Rogas ad jucunditatem? cogis ad mortem: invitas ad prandium? efferre vis ad sepulchrum*. Pulchre alibi *Rogare* absolute dixit. Sic in De excess. Sat. n. 56. *Non umquam accuratioribus epulis .. delectatus est* (Satyrus) *nisi quum amicos rogaret*. Et Hexa. lib. VI. n. 5. *Ne quis me pauperis convivae* (h. e. convivatoris) *praesumptioni conferendum putet, qui studio humanitatis complures roget, nec his nisi viles .. apponat cibos*. Nam sic quoque absolute id antiqui usurpabant.

SCRVPEA RVPES. Ambros. ep. (6) ad Syagrium n. 13. *Qui* [viri Benjamin] *arrepto scrupeae rupis munimento, partim loci ingenio .. partim desperatione, victoribus terrori fuere*. Item I. excid. 30. *Erant autem in praerupto montium, concavis saxorum lateribus inhorrentes specus inter scrupeas rupes invio undique & impossibili, nisi locorum incolis, accessu*.

SPIRAMINA AVRARVM aliis rara locutio, utrique Nostro amica fuit. In V. Excidii 39. *Aurarum captantes spiramina*. Et cap. 41. *Ne maculentur aurarum spiramina*. Cap. 42. *In superiora quoque se aurarum spiramine ignis attollens*. Ambrosius de Virginitate n. 94. *Quae* (aura) *fructiferas arbores non turbare vento gravi, sed leni spiramine flatuque molli consuevit agitare*. Lib. 2. de Cain n. 5. *Paleae ceteraque purgamenta messis in diversum levis aurae spiramine dissipantur*.

Nec tantum cum generali *Aurarum*, sed & cum hujus illiusve venti nomine ab Nostro jungitur. In V. Excid. 52. *Qui* (flammae fragor) *primum Boreae spiramine a munitionis partibus repellebatur, & Romanorum magis vineas exurebat. Deinde exorto Noti spiramine in castellum sese retorsit*. Sic etiam *Ventorum spiramen* in Hexa. lib. V. n. 34. *Quae* (navigia) *non verbere* (ut quadrigae) *aguntur, sed ventorum spiramine*. Adde & metaphoricum illud *Gratiarum spiramina* Ambrosii in de Bono mortis n. 19. fine: *Diversarum flagrant* (645) *longe lateque redolentia gratiarum spiramina*.

§. IX.

(645) Non heic tantum, sed & alibi pluries FLAGRO pro *Fragro* scripsit Ambrosius, idque

§. IX.

Rariores syntaxes utrique ex aequo peculiares.

Paucis haud tritae syntaxeos capitibus in Excidio juxta & Ambrosio usitatis contentus ero. Ac primum sunt quaedam apud utrumque verba, quae quum apud alios IN aut AD post se gerant, tamen uterque Noster ea cum quarto casu, spreta praepositione [veluti *Incidere offensam*, *Accedere aliquem*] junxit, Taciti exemplo: quem plerumque ducem in verborum structura Noster secutus fuit. Ejus rei exempla libri (646) ora, nequem ingratiis detineam, suppeditabit.

His succedant nomina, quibus patrius casus praeter solitum adnectitur. In eo etiā Tacitus praeter ceteros multus fuit: cujus

idque in accuratissima Benedictinor. editione. De virginitate n. 63. *Descendit Filius: repleta sunt omnia novo odore Verbi. Eructavit cor Patris Verbum bonum: FLAGRAVIT Filius: Spiritus Sanctus exhalavit* &c. Alius quidam Ambrosii locus longe pulcherrimus nunc quaerenti excidit. Ejus tamen loco habebis haec quae sequuntur. Hexa. lib. V. n. 6. *Quid odore* [thymalli piscis] *flagrantius? quod mella flagrant, hoc tu* (o thymalle) *corpore tuo spiras*. Et lib. VI. n. 63. *Ideo diutius odor flagrat acceptus*. Lib. 2. de Jacob n. 54. *Flore flagrantior*. Alicubi tamen & FRAGRO usurpavit.

Necesse est igitur apud antiquos [quorum imitator Ambrosius] in ejus verbi primore syllaba liquidas L & R alternasse.

(646) *Ellipsis praepositionis in verbis ACCEDO, INCIDO & aliquot aliis.*

ACCEDO. II. Excid. 6. *Percutiebant quoscumque propius accesserant*. V. 4. *Cedebant igitur, quos* [Titus] *accesserat*. Et id quoque in Ambrosio legisse memini. Et affertur quidem ex Plinio illud XVI. 40. *Cytisus proxime accedere ebenum videtur*: at nihil impedit quominus accusativus ille sit praepositionis *Proxime*. Sed verius est id Nostrum debere suo Tacito, in quo II. hist. 27. scribitur: *Ut cujusque legionis tentoria accessissent*.

INCIDO sine praepositione usurpaverat idem Tacitus in III. hist. 29. *Quae* [balista] .. *disjecit obruitque quos inciderat*. Quod protinus uterque est imitatus. Ex Excidio quidem haec loca nunc ad manus habeo. I. 18. *Pene incidisset facinus miserabile*. Et cap. 29. in fine: *Circa Pamphyliam periculum* (Herodes) *incidit*. IV. 1. *Multi Romanorum* ... *in victoria pestem incidere*. At ex Ambrosio & multa habeo, & plura possem. Lib. de Tobia initio cap. 2. *Caecitatem incidit*. In II. de Virgin. n. 23. *Ne incideret insidiatores pudoris*. Ep. (19) ad Vigil. n. 29. *Ut aerumnam* (Samson) *incideret*. Ep. (22) ad Soror. n. 17. *Postquam inciderat* [oculorum] *impedimentum*. Ep. (58) ad Sabin. n. 11. *Tantam* .. *aerumnam incidit*. Ep. (66) ad Romulum n. 9. *Ne multiloquio peccatum incidamus*. De fide resurr. n. 11. *Contrarium voto incidunt*. Et num. 95. *Non escis inducti, saeculi laqueos incidamus*. De Parad. n. 52. *Periculum incerti judicii incidere*. Et n. 59. *Priusque culpam incidisse*. De Cain. l. 2. n. 18. *Quia non recte divisit* .. *culpam incidit*. De Noe n. 112. *Quae cum inciderimus, imo cum peccata plura inciderimus*. De Abr. l. 1. n. 26. *Ut hoc vitium nullus incidat*. Et n. 91. *Siqua* ... *laqueum timet incidere* .. *nubat*. De jejunio n. 22. *Nemo cruditatem jejunando incidit*.

Similis est verbi INCURRO usus. In de fide resurr. n. 27. *Tentationem* .. *incurrit*. De Abrah. l. 1. n. 14. *Cito praedonum oculos incurrit*. Et n. 75. *Ne* .. *peccatum incurreret*. De bono mort. n. 24. *Laqueos incurris*. Hexaem. l. 1. n. 30. *Non ut praecipitii discrimen incurras*. Lib. 5. n. 14. *Aut nexus vinculi validioris incurrit*. Quod item ex Tacito sumptum, apud quem in II. Ann. 17. *Incurrere latus*, & I. 51. *Incurrere vi novissimos* legitur. Apud quem etiam *Irrumpere convivium, Armeniam, contubernia, curiam* &c. usurpatur. Cujus imitatione IV. excid. 1. *Urbem irrupere* legitur. Quibus addatur quod eâdem ellipsi V. excid. 10. scribitur: *Progressi quoque tumulos*. Postremo quod *Succedere murum* Sallustius apud Servium, & postea Tacitus usurparunt, id protinus sibi sustulit Noster in IV. excid. 2. *Successistis*, inquit, *hospitia*.

Haud vero certus animi sum, an huc referam IMPATIENS & INEXPERTUS cum quarto casu: quorum posterius IV. excid. 18. legitur: *Quae* [fabulosa de Asphaltite] *nobis inexpertis veritatem rei, promere numquam consilium fuit*: prius autem usurpavit Tertullianus Scorpiace: *Populus tam necessariam absentiam ejus* (Mosis) *impatiens*. Obsequunturne tamquam participia regimini verborum primitivorum *Experior* & *Patior*? an sunt quarti casus illi poetis & historicis [ut & utrique Nostro] familiares, uti *ictus terga sagittae vulnere* & alia in utroque plurima?

jus in hoc quoque egregium se imitatorem tum Excidii auctor, tum Ambrosius praestitit. Ex utroque decerpta loca ima (647) in pagella reperies.

Nihil autem in antiquis & inprimis in eod. Tacito frequentius, quam adjectiva neutra utrovis numero usurpata, cum quibus casu patrio substantiva nectuntur. Id quod ab eodem summo historico tum verus tum controversus [si superis placet] Ambrosius est chartis omnibus imitatus. Ea qui nosse cupit, seorsum neutra (648) singularia, seorsum

(647) *Haud passim usitata genitivi regimina.*

Ab illis exemplis ordiar, quae eisdem ferme verbis in utroque concipiuntur.

ABSOLVTIONIS INGRATVS legitur I. Excid. 26. & alibi eod. libro. At Ambros. ep. (2) ad Constant. n. 20. *Ebrius turpis intemperantiae, INGRATVS herilis indulgentiae.*

EXPERTOS BELLI *juvenes* dixit Virg. At auctor excid. III. 3. *Expertum belli virum* Vespasianum vocat. Ambros. ep. (6) n. 11. *Expertos belli*. Et ep. (19) n. 32. *Expertis belli viris*.

FVRENS ANIMI est in I. Excidii 38. itemque I. 40. Item Ambr. ep. (2) ad Constant. n. 30. *Animi furens*.

Non dissimilia sunt illa Excidii I. 41. *Turbatus animi*. IV. 2. *Animi immodicus*. Et Ambros. ep. 6. n. 5. *Laetus animi*. Et ibid. *Animi promptus*. Ep. 19. n. 29. *Saucius animi*. In II. de virginib. sub initium: *Animi prudens*.

Jam vero cetera permiste ex Excidio prius, mox alia similis syntaxeos ex Ambrosio proferamus. I. Exc. 37. *Aliena veri* [at Ambros. ep. 24. n. 1. *Veri vana* h. e. vacua] I. excid. 38. *Alienum sceleris*. I. 40. *Aliena contagii*. Ibid. *Praesentium* [h. e. propter praesentia] *insolens*. III. 11. *Conspicuus tantae praesumptionis*, supple ἕνεκα aut *gratia*. III. 18. *Vitae naufragum, exsulem spei, incertum salutis*. IV. 26. *Aevi maturum* Vespasianum. I. 25. *Nudus vestimentorum* IV. 16. *Mons nudus gignentium*, h. e. plantarum, quas etiam Ambrosius in Hexaemero & alibi millies *Gignentia* vocat. Adhaec I. 41. *Negligentem calumniarum*. Vltimo loco illud afferam, quod I. 15. reperitur, *Vir militiae vetus*. Quapropter etiam quod cap. 44. nunc legitur, *Veteris militiae vir, Tyro nomine*, pro eo reponit Gronovius, *Vetus militiae vir*: sicuti & quod in editis V. 26. occurrit, *Conferre secum veteris militiae viri coepere* &c. haud immerito idem corrigit, *Veteres militiae*. Est enim a Tacito sumptum, in cujus IV. hist. 20. scribitur: *Illi veteres militiae in cuneos congregantur*. Vbi *veteris militiae* antea edebatur: at *Veteres* ex praestantissimo cod. Florentino Pichena restituit; quod plaudente eruditorum cavea exceptum fuit. Amat enim, ut initio dicebam, haec Tacitus. In I. Annal. 20. *Vetus operis ac laboris*. VI. Ann. 12. *Scientiae caerimoniarumque vetus*. Ibid. cap. 44. *Vetus regnandi*. A quo haud dubie suprascripta loquendi genera Noster est imitatus.

In Ambrosio vero paris syntaxeos illa sunt: Ep. 18. contra Symmachum num. 2. *Non fidei tuae ambiguus, sed providus cautionis, & pii certus examinis*. Lib. VIII. in Luc. ante finem: *Fastidiosi pauperum*. De Spir. S. l. I. n. 4. *Doctus futuri*. Ep. (4) ad Felicem: *Promissi audax*, i. e. quod promiserim. Ep. (19) ad Vigil. n. 16. *Ea* [uxor] *animi territa*; sicut & n. 18. In II. de offic. n. 35. *Superborum fugitans*. Et in II. de virgin. n. 22. *Antiochiae virgo quaedam fuit fugitans publici visus*. Et alibi. Rursus ep. (19, n. 27. *Haud degenerem* [Samsonem] *solitae fortitudinis*. Et n. 28. *Validus consilii*. Mox n. 30. *Fessum amoris*. Ep. 53. Valentinianum Juniorem dum moreretur, *Aevi integrum* vocat. Ep. (37) ad Simplician. n. 19. *Eligens operationis, liber est*. De Cain l. 2. n. 37. *Immaturus adhuc aevi sublatus est* Abel. De Noe n. 115. *Devius disciplinae*. Lib. VI. ad Lucae cap. 9. *Maculosos vitae prioris .. dignetur mundare*.

Sed & loco genitivi gerundia succedunt. I. Excid. 38. *Ille* [Antipater] *versutus adulandi*. II. 1. *Dicendi validus*: quod Graecor. locutioni δεινὸς λέγειν respondet. Et cap. 9. *Improvidus consulendi, moderandique impatiens*. Item Ambrosius l. 1. de Abrah. n. 45. vocat sanctum Patriarcham *Standi patientissimum, deducendi studiosissimum*. Et in I. de Fide n. 4. *Excusandi* [h. e. ab excusando] *liber*. Haec pauca de multis sufficiant.

(648) *Adjectiva neutra singularia apud utrumq. cum genitivo sequenti juncta.*

Ex Excidio pauca e plurimis ad manus habeo, ut quae decerpere curae non fuit, parum scil. in historico singularia. Tamen I. excid. 16. sic posuit: *Haesit animi dubio, sententiaeque incerto aliquantum temporis*. Sic

 enim

ſum (649) pluralia inferne propoſita inveniet.

HIC & ILLE quum ad res duas proxime nominatas referuntur; saepiſſime [non tamen perpetuo] ita ab utroque ponuntur, ut HIC ad remotiorem, ILLE ad viciniorem pertineant. Sic etiam ISTE & ILLE & adverbia HIC & ILLIC. Horum omnium loca indicaſſe, tantum aliquot (650) inferne ſufficiat. Infi-

enim e membranis Gronovius Monob. p. 67. reſtituit. Eodem lib. cap. 36. *Ille propter ſenectutis infirmum* [ſic enim in editione prima legimus: pro quo male poſtea *Infirmitatem* ſubſtituerunt] *ſervari debuerit*. Nec dubitat Gronovius loco cit. pro eo quod II. 16. legitur, *Haerebat Ceſtius conſilii incertus*, arbitratu ſuo reponere *Incerto*. At heic quidem nihil injuſſu membranarum moveri eſt opus; praeſertim quum & princeps editio τὸ *Incertus* adprobet.

At haec loquendi genera ex ceteris Ambroſii ſcriptis(in quibus admirabiliora quam in opere hiſtorico videbantur) plura decerpſi. Ep. 6. n. 5. *Obſcuro noctis*. Ep. 36. n. 4. *Videns infirmum carnis meae*. De Parad. n. 12. *Infirmum naturae*. Ep. (50) ad Chromatium: *Eſt .. & aliud infirmum Dei .. & ſtultum Dei*: quorum illud ait eſſe potentiſſimum, hoc ſapientiſſimum: quae videntur expreſſa ex Apoſtolo. De obitu Theod. n. 30. *In hoc ſaeculi iſtius lubrico*. De exceſ. Sat. *Quum ad ſaeculi lubricum vitae accedat ambiguum*. Quod *Lubricum* etiam ſine adjuncto genitivo in Excidio lib. V. cap. 1. uſurpatur: qui tamen locus jamdiu affectus, medicina eget. Sic enim vulgo editur: *In circuitu omnia cruore tumeſcere; ut plerique, dum invicem* [corr. ex editione prima, *Dum SE invicem*] *propugnatores partium petunt, LVBRICO offenſi, quaſſati furore*[in margine id refingitur, *Quaſi ſatiati furore*: at in eadem prima edit. ſic optime, *Quaſi ſe ſatiaturi furore*: alluditur autem fortitan ad illud Cyro exprobratum, *Satia te ſanguine*] *in ſanguine demergerentur*. Sed redeo ad Ambroſium. De exceſſu Sat. n. 3. *In utroque fidei ambiguum*. De Cain l. 2. n. 9. *Futuri judicii ambiguo ſuſpenditur*. In III. de virginib. *Eventus belli conſtictatus ambiguo*. Ep. (64) ad Iren. n. 2. *Reſplendens veritatis coruſco*. De fide reſurr. n. 43. *Qui enim* (Balaam) *vidit ortum Chriſti, vidit ejus triumphale*.

(649) *Neutra adjectiva pluralia ſequente caſu patrio ſcriptori utrique familiaria.*

Vtriuſque exempla e plurimis pauca proferam. I. Excid. 21. *Sed ſuſpecta partium Ptolemaei regis revocaverunt profectum*. Initio lib. V. *Bellorum ſaeva*. Ibid. ad finem cap. 1. *Ruebant ambuſta materiarum*. Cap. 10. *Valida murorum*. Cap. 11. *Altiſſima murorum*. Cap. 26. *Quaſſata murorum repetitis arietum ictibus reſolverentur*. Ibid. *Sed ubi dubia murorum ceſſura repetitis ictibus Joannes ... circumſpexit*. Finis non ſit ſi omnia ſim producturus. Sed haec, inquis, ut & ſuperiora ſyntaxeon genera quis in Excidio mirabitur, quum ſic loqui ament hiſtorici? At haec eadem adeo non faſtidivit Ambroſius, ut etiam in deliciis habuerit: certe quod iis, dum juvenile ſuum Excidium luderet, inſueverat. Hexa. l. 3. n. 14. *Diffuſae aquae per valleſtria* [notabis novam vocem, ut *Campeſtria*] *agrorum; concava montium*. Mox n. 15. *Potuit locorum humilia, & camporum aperta diffundere*. Eod. lib. 3. n. 57. *Humorum aſpera pomorum dulcibus* temperari ait. Et n. 69. *Dubia morum atque inſincera*, n. 70. *Dura ſaxorum*, n. 51. *Cana nivium*. Lib. 4. n. 13. *Ad paradiſi aeterna* (Latro pius) *tranſivit*. Lib. V. n. 30. *Hiemis aſpera .. & ſeptentrionalis plagae ſaeva fugientes*. Et n. 43. *Ad littorum tuta*. Num. 86. *Dum daemoniorum tenebroſa rimantur, & caeli alta ſe videre credunt*. De virginitate cap. 2. initio: *Praeliorumque veritus incerta*. De Fide l. III. n. 37. *Judaei perierunt, dum ſenſuum profunda deſpiciunt, & ſequuntur nuda verborum*. Et lib. IV. n. 3. *De caeli altiſſimis inferna penetrantem*. Mox n. 5. *Quem .. reſurgentem ab inferis caeli alta ſuſtinere non poſſent, haeſerunt etiam caeleſtia opinionis incerto*. Et lib. V. n. 235. *Alta Dei*. Epiſt. (6) ad Syagr. n. 5. *Tenebrarum ambigua*. Ep. (63) ad Verc. eccl. n. 67. *In ſolitudinibus errabant inter alta & condenſa montium, invia rupium, ſpeluncarum horrida, fovearum vadoſa*. Num. 69. *Glacialis plagae horrida*. Num. 68. *Exſilii dura*. De obitu Theodoſ. n. 1. *Per quem dura mundi iſtius temperari ſolerent*. De Fide Reſurr. n. 74. *Dura ſaxorum*. Num. 64. *Dura ſaxorum, nemoroſa ſylvarum*.

(650) *HIC & ILLE in Exjoſippo & Ambroſio, imo & apud antiquos, ita relata, ut HIC priori, ILLE poſteriori reſpondeat. Quare id factum.*

HIC & ILLE ita plerumque ab antiquis ad praecedentia ſubſtantiva referebantur, ut ad proximius HIC, ad remotius ILLE pertineret. Sic illi plerumque, uti dixi. At interdum tamen ILLE ad vicinius, HIC ad longinquius aperte refertur. Ac memini equidem non illepidam

Infinita historica in Excidio sunt tritiora, quam ut afferri exempla necesse sit. Nec minus Ambrosius utitur, ubi narrare aliquid stylo historico aggreditur: cujus generis exempla aliquot in adnotatis ad SS. Petri, & Pauli certamen Par. 2. depromentur.

QVAMVIS antiqui cum conjunctivo nectere moris habuerunt. At contra tum Excidii auctor, tum Ambrosius passim id μόριον cum indicativo modo junxit. Ex utroque loca in parte 2. ad SS. Petri & Pauli certamen cumulate depromam; simulque ubinam ea syntaxi uti liceat, inquiram.

Adhaec syntaxin illam *Fractus membra*, perjucundam poetis, nec historicis inimicam, non tantum Exjosippus, sed & cetera Mediolanensis opera habuere(651) in deliciis.

Ne

pidam antiquorum locorum Latinorum Graecorumque copiam me alicubi collegisse, in quo HIC & Οὗτος remotiori, ILLE & ἐκεῖνος propiori responderet. Posteriorem hunc morem haud raro sequior aetas secuta est, in primis autem scriptor uterque noster. Sic II. Excid. 15. *Munitior semper est, qui sequitur, quam qui praecedit: quia hic* (qui sequitur) *pectus tegit, ille hosti terga sua detegit.* V. 29. *Hi* [nim. remotiores Romani] *sumptu gloriae virtutem alebant, illi* (proximiores Judaei) *desperatione salutis omne effundebant virtutis viaticum.* IV. 27. haud longe ab initio: *Nilus est ... nautis & agricolis juxta usui: hi navigant, illi serunt: isti circumvehuntur per sua rura navigiis, illi excolunt sine aratro serentes.* Vbi vides ISTE pari ratione atque HIC ad prius, ad nautas scil. referri. Nec rara sunt de ISTE loca. III. 9. *Peritia a Romanis cum virtute, furor a Judaeis cum temeritate certabat. Fessis itaque .. illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus, nox praelium solvit.* Et eod. lib. cap. 17. *Nec apud cives nec apud hostes cepi quod delectaret: isti mihi pacem negarunt, illi patriam eripuerunt.*

Nec secus in Ambrosio tum HIC tum ISTE plerumque ad longinquius pertinet. De Virginitate n. 33. *Petrus vulnerat, Judas osculatur: illum oscula condemnant, hunc vulnus emendat: illius osculis proditionis venena funduntur, istius lacrymis culpa lavatur.* Item Ep. (63) ad Vercell. Eccl. num. 71. *Praestantiora esse quis ambigat clericorum officia & monachorum instituta? Ista* (clericorum scil.) *ad commoditatem* [h. e. uti se commodos aliis praebeant] *& moralitatem* (quod Itali verterent, *All' esser costumati*, ut *Moralitas* sit idem quod *Civilitas*) *disciplina: illa* (monachorum) *ad abstinentiam.* Deinde *Haec* & *Illa*, aut *Ista* & *Illa* longissime, etiam per sequentes sectiones 72. & 74. continuantur, sed ita ut ILLA semper monachorum disciplinae h. e. propinquiori membro respondeat. His adde Ep. 22. num. 13. & De fide resurr. n. 28. & de Myster. n. 25. ubi etiam adverbia HIC & ILLIC eodem modo referunrur: ut alia millena missa faciam.

Fatendum est tamen, complura esse in Ambrosio loca, in quibus HIC sive ISTE ad posterius, ILLE ad anterius pertinet: quae quidem, utpote minime rara, haud decerpenda curavi. In Excidio id rarius: cujusmodi illud est lib. III. cap. 13. *Receptus itaque hostis* (intra portas) *est, socius exclusus: receptus ille, ne percussor deesset: exclusus iste, ne periturus evaderet.* Et cap. 16. Judaei dum Josephum hortantur ad consciscendam mortem, ajunt: *Atrociora sunt dona* (Romanorum securitatem Josepho pollicentium) *quam vulnera: illa captivitatem minantur, haec libertatem reservant.*

Et his quidem aliisque antiquorum in utramque partem exemplis consideratis, possumus tuto colligere, apud antiquos HIC & ILLE, ut & Οὗτος & Ἐκεῖνος, quandoquidem utroque modo ad superiora referebantur, non aliud valuisse quam VNVS & ALTER aut geminatum ALTER; in quibus scil. referendis prisci de ordine haud laborabant.

(651) In III. excid. 12. *Mulier.. percussa uterum*: de quo vide §. superiore in *Genitale secretum*. Item in V. 10. *Ictus terga sagittae vulnere*. Eod. lib. cap. 2. *Membra laceri & tota dispersi urbe*. Cap. 3. *Revinctus manus & captivae cervicis jugo subditus*. Lib. I. cap. 8. aliter 7. *Cujus accepto indicio, suffusos* (sic in prima & in ceteris editionibus, sed omnino mendose, uti sequentia declarant: at optime in Gronovii membranis *Suffusus*) *oculos lacrymis, & quantum erat in eo virtutis, ingemiscens.* Similia autem sunt illa Ambrosii in I. de Virginib. *Pudor sanctus verecunda suffusus ora.* De excessu Satyri: *Quadam virginali verecundia suffusus ora*. Lib. de jejunio num. 35. *Nullus rubor circumfusus genas*. Ibid. num. 43. *Videas ora saucium*. Ep. (6) ad Syagrium sic in-

 ho-

Ne illud quidem, quamvis leviuſculum, hic omiſerim, quod antiqui ADMINICVLARE aut *Adminiculari* cum caſu quarto jungebant, tum in re propria [ut *Adminiculare vitem*] tum etiam translate, ut quum Varro apud Nonium ait, *Adminiculavi tuam voluntatem*: at contra Exjoſippus aeque atque Ambroſius cum dandi caſu nectunt. Vt in I. Excid. 28. *Adminiculante ſibi Ptolemaeo ſocero.* Ambroſius Hexa. lib. III. num. 55. prope finem: *Si adminiculetur ei attentio ſobrietatis*. At lib. VI. n. 55. abſolute uſurpavit, ubi nihil cetera membra valitura ait, *Niſi capitis veluti principis ſui adminiculetur poteſtas*; ſed ita ut τὸ EIS ſubaudiatur.

Sed & id etiam ad Ambroſianas ſyntaxes ab uſu protrito devias pertinet, quod alicubi apud eum legitur *Exigere aliquem pecuniam* &c.: quod cujuſmodi ſit, in ſubjectam (652) animadverſionem rejicimus.

Poſtremo ad verborum ſtructuram Am-

hoſpiti Gabaonitae dicuntur fuiſſe, ut eſſent *OMNIA tolerabiliores, quam ſi aliquem hoſpitio recepiſſent*. De obitu Theodoſii num. 52. *Non purpureum habitum, ſed amictum induti gloriae*. Hexaem. lib. 3. n. 30. *Alius .. ſtipatus clientibus, & utrumque latus tectus*. Lib. 5. n. 57. *Si qua pulli ejus* (hirundinis) *fuerint caecitate ſuffoſſi oculos ſive compuncti*.

(652) *Ambroſii locus nondum ſatis intellectus de* negotiatoribus exactis pecunias *ex Gellio opportuna luce perfunditur*.

In Ambroſio notavi locum non dum ſatis explicitum: quod ex Ambroſiana elegantia minus animadverſa accidit. Locus ille eſt epiſt. (20) ad Sororem n. 26. *Nec mora nuntiatur imperatorem juſſiſſe, ut recederent milites de baſilica: negotiatoribus quoque, QVOD EXACTI de condemnatione fuerant, redderetur*. Quis haec expediat, niſi triplicem venuſtatem Ambroſianam eadem opera admiretur? Nam QVOD genitivum EXACTI gerit: cujus generis ſunt illa Taciti: *Quod alarum, cohortium, armentorum, frugum, biremium, ſociorum, civium, peditum, auxiliariorum, roboris* &c. Deinde *Exactum, exacti* more ſubſtantivorum uſurpatur. Itali, *Quanto di eſatto* id verterent. Poſtremo *Condemnatio* pro multa pecuniaria ſumitur; uti l. 4. §. *Condemnatum* D. *de re judic.* l. 59. §. *Sortis* eodem. l. 5. D. *ſi ex noxal. cauſ.* l. 8. §. *cum* D. *de prec.* l. 15. C. *de uſur.* Et ubi non in Romano jure? His intellectis, ſtatim quivis animadvertet, non FVERANT [quod in Benedictinor. editione reperio] ſcribendum fuiſſe, ſed *fuerat*, perinde ac ſi dictum eſſet, *Quod exactum de condemnatione fuerat, negotiatoribus redderetur*. Sic quidem olim reputabam.

Verum id mihi aegre erat, quod nec operis typographicis is error videbatur tribuendus (quia in Erratorum ſyllabo nihil eſt quod eo pertineat) nec veteribus librariis; quia nullam in Mss. variantiam Benedictini deprehenderunt, qui ceteroqui vel minimas varietates adnotant. Nec credibile eſt, ſcriptos omnes vel praeſtantiſſimos in tam craſſum ſoloecon conſenſiſſe, ut *Fuerant* pro *Fuerat* ſcriberent.

At ſero tandem animadverti, nihil ſanius edita a Benedictinis lectione futurum, modo vera tam mirae ſyntaxeos ratio afferatur: quam nondum fuiſſe animadverſam reperio. Itaque non invitus faciam, ut quam conſtructionem nuper ex A. Gellio didici, camdem & ceteri cognoſcant allatis ejus verbis ex lib. XV. cap. 14. *Verba* (Q. Metelli Numidici) *ex oratione ejus* (contra Val. Meſſalam) *haec ſunt:* „ *Cum ſeſe ſciret in tantum crimen veniſſe,* „ *atque ſocios ad ſenatum queſtum flentes ve-* „ *niſſe, ſeſe maximas pecunias exactos eſſe.* „ Et id quidem nove dictum Gellius ibid. agnoſcit, ſed tamen de Graeco ſumptum. *Graeci enim*, inquit, *dicunt*, εἰσεπράξατό με ἀργύριον. *Id ſignificat, Exegit me pecuniam. Quod ſi id dici poteſt; etiam EXACTVS eſſe aliquis PECVNIAM* (paſſive ſcil.) *dici poteſt. Caecilius quoque eadem figura in hypobolimaeo Aeſchino uſus videtur:*

Ego illud minu' nihil exigor portorium.

Haec Atticus lucubrator. Ex quibus tum Ambroſii locum perſpicimus penitiſſime, tum etiam quantus idem imitator antiquorum fuerit, haud ſatis miramur.

Atqui ubi ſuperiora ſcripſiſſem, in Romana Ambroſii editione ſic locum pulcherrimum interpolatum dolui: *Negotiatoribus quoque, quod EXACTVM de condemnatione FVERAT, redderetur*. Ita quiſquis hominum primus auctor ejus correctionis fuit, dum Latinitati falſo ſuſpectae ſeſe praeclare conſuluiſſe putavit, omnem antiquae & eruditae locutionis gra-

Ambroſianam referri poſſunt tum hyberbata (de quibus tamen cap. ſeq. dicam) tum etiam genus quoddam *ἀσυνδέτων* Ambroſio peculiarium : quorum ſpecimina haud parca manu inferne (653) depromimus .

§. X.

Eccui bono concinnatum hactenus Gloſſarium ſit futurum .

Atque heic Gloſſarii ex Exjoſippo & Ambroſio contexti finem facio : plura adhuc generis hujus ad Certamen Apoſtolorum principis cum Simone Parte altera adnotaturus . Ceterum cui catalogus iſte ſatis non fuerit, nec ſi decem Anticatones conſcriptos dedero , ſatis futuros auguror .

Cui vero bono, alius inquiet, tam moroſa ſedulitas ? Nempe quia eo ventum eſt, ut intuta omnia antiquis ſcriptoribus,uti ſe dant initia, paullatim ſint evaſura , niſi ſi Deus reſpexerit : ita in dies ſingulos criticorum factio in veteres poſſeſſores graſſatur , quos faſtu non ferendo de ſuis poſſeſſionibus dejicit . Quod & Mediolanenſi pontifici accidit . Cui quidem omnes retro membranae viriq. eruditi ſuum Ex-Joſippum uſque ad ſae-

gratiam , quam repererat in ſcriptis , deperdidit .

Atqui id loquendi genus Ambroſius lib. de Tobia iteravit , ubi num. 51. verba Deuteronomii XXIII. 19. 20. hac de ſuo interpretatione donat : *Fratri tuo non foenerabis ad uſuram , ſed ALIENIGENAM EXIGES* : ſupple *uſuram* .

(653) Ἀσυνδέτων *Ambroſiani forma peculiaris quaedam .*

Aſyndeton id grammatici ac rhetores nuncupant , ubi periodi partes ſine copulante particula , tamquam *injuges* [uti Diomedes appellat) procedunt . Cujus quidem aſyndeti membra in ceteris ſcriptoribus plerumque terna procedunt , ut illud de Catilina , *Abiit , exceſſit , erupit* : quod aſyndeti genus ne ab Exjoſippo quidem Ambroſioque abeſt . In SS. Petri & Pauli certamine [quod ex Exjoſippo infra Parte 2. producam] paſſim ea forma dicendi uſurpatur . Ambroſius epiſt. [40] ad Theodoſ. *Quod ipſe ignes ſparſerit , turbas compulerit , populos conduxerit* . Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 29. de Judith ait : *Deſperatum lacertis virilibus reportavit triumphum, patriam obſidione exuit , ducem militiae ſuis manibus occidit* . Atque hoc aſyndeti genus cui non commune eſt ?

Illud Exjoſippi Ambroſiique peculiare , ut ejus membra non ſine lepore bina progrediantur . Et Excidium quidem , quocumque oculos verteris , exempla ubertim ſufficiet . Cujuſmodi illud eſt lib. V. c. 41. de Maria quae filium ſibi mactavit : *Pietatis genitalis uſu oblitterato , dolorem obſorbuit , furorem aſſumpſit* . Eod. lib. cap. 53. *Quia* (Joſias) *videbat* .. *captivitatem futuram; bello ſe alieno miſcuit, vitam refugit* . Quis vero dubitat quin utrique loco major inſit gratia , quam ſi dixiſſet : *Furoremque aſſumpſit* : mox : *Ac vitam refugit* ? Sic paſſim Excidii decurrit hiſtoria, ſic cetera Ambroſii opera .

Ex confeſſis ergo Ambroſianis pluſcula decerpſiſſe nunc proderit . Epiſt. [6] ad Syagr. n. 6. *Quo mulier offenſa , claves remiſit , domum revertit* . Ep. 19. ad Vigilium n. 14. *Favum* (Samſon) *edendum dedit , cauſam repreſſit* . Ep. (63) ad Vercell. Eccl. num. 78. ſic deſinit : *Ne ſacrilegi biberent , potarent perfidi* . Hexa. lib. V. n. 6. *Quae* [purpurae] *ornant regum convivia , amictus imbuunt* . De Abr. lib. 1. n. 59. *Peccare eum in Deum , cujus legem violet , gratiam ſolvat* . Initio lib. I. de Jacob : *Mens rationi intenta praecurrit virtutibus , paſſiones coercet* . Ibid. n. 5. *Quae* (virtus) ... *animum temperat , mentem informat* . Eod. num. *Quae* [ratio] *reciderer cupiditates , corporeas paſſiones cobiberet* ... *correctionis praevia , diſciplinae magiſtra* . Et n. 24. *Forti mente abſcondit diſpendia , abſorbet dolorem* . Et lib. II. n. 1. *Alterius culpam levat , crimen avertit* . Ac ſtatim : *Eoque facto ſibi ſalutem quaeſivit , j... innocentiam donavit* . Mox : *Ut indignationem excluderet , dolorem offenſionis averteret* . De Joſeph n. 36. *Interpretatione* [ſomnii Pharao] *allegatus , removit injuriam , honorem detulit* . De jejun. n. 78. *Victum premit verecundia , anget injuria* . Adhaec ep. (50) ad Chromat. n. 13. *Si ſpem potiundi hauriat , affectum differat* . De Cain. l. 2. n. 26. *Admonitus ut quieſceret , auget inſolentiam , acerbat flagitium* . Et l. 1. n. 4. *Deum conſuluit* (Rebecca) *ut paſſionem* (τὸ πάθος h. e. incommodum , de quo ibi agitur) *proderet , medelam daret* . Atque hic quum praecipuus ſit Ambroſianae ſtructurae character , idcirco plura ejus exempla congeſſi .

saeculi XVI. dimidium asseruerant. Exorta postmodum est κρίσις severior, quae quũ acerbitate sententiarum, proscriptionumque plusquam triumviralium calamitate tot classicos auctores affecisset, etiam Ambrosium hoc suo juvenili fetu spoliavit. Hoc vero judicium si quidem minus dictatorium, minus pro summo imperio pronuntiatum ab viris summis fuisset; ferendum erat. At postquam ea sententia transire mox jam in rem judicatam videbatur; verendum fuit ne malum hoc longius serperet. Ergo factum oportuit. Insudandus hic labor fuit, quo ostenderetur, etiam si nullum ab antiquitate praesidium ad suum Exjosippum recuperandum Ambrosio suppeteret; tamen quum tanta sit rariorum locutionum sive novarum, sive bene veterum, tum singularium tum conjunctarum, utrique auctori communium, aut utrique perpetuarum consensio; quumque eaedem in utroque συντάξεις, eadem orthographia usurpetur; non fore dubiũ, quin ea vetus Josephi interpretatio, etiamsi ἀδέσποτος adhuc habita fuisset, posthac jure optimo Mediolanensi acquirenda foret. Nunc vero post tam diuturnam immensi temporis possessionem, ecquis dubitabit sanctum Antistitem in veterem fundi sui κτῆσιν revocare?

Scio quid sint responsuri, nempe hujusmodi locutiones, tunc temporis fuisse communes. Nec eo inficias, harum quas collegimus, aliquot minus raras, in aliis quoque scriptoribus occursuras. Verum meminisse oportet verbum vetus, ex uno flore, aut ex una hirundine ver non exsistere. Nec enim si duae tresve dictionum harum (etiam rariuscularum) in uno, in altero aliae, bis terve forsitan reperiantur, continuo tota argumenti compages labefactata ruet. Quem enim ullum nobis proferre poterunt, apud quem non dico omnes, sed major tot locutionum pars aeque perpetua aut saltem aeque trita deprehendatur? Siqui sane id possunt, rogo ut in medium ostensuri prosiliant.

Interim vero nobis [ut alibi etiam quam in Exjosippo constare inciperet huic Glossario utilitas] in iis opusculis experiri libuit, quae sive adhuc in tanta litterarum luce inter Ambrosiana immerito suum tuentur locum, sive in iis, quibus quum nihil esse possit magis Ambrosianum, adhuc tamen iis status controversia per quosdam parum cautos movetur.

Ordiar ab ultimo genere. Librum de Mysteriis Henr. Bullingerus, Dallaeus, aliique heterodoxorum Mediolanensi abjudicarunt. Eorumdem alii librum de Tobia pro Ambrosiano non agnoverunt. Cur ita fecerint, forsitan illa causa fuit; nim. quod prior libellus orthodoxum de Eucharistia dogma nimis diserte adstruat: alter vero usuras prorsus evertat. Tamen illi nimis familiari Aristotelico abusi σοφιστικῷ ἐλέγχῳ [*Causa non causa*] ejus opusculi locutionem ab Ambrosiana dissidere, obtendunt. Eadem styli variantis exceptione usus Erasmus negat librum II. de interpellatione David inter Ambrosiana esse referendum. Postremo Apologiam David secundam non tantum Erasmus, sed & turmatim hodierni critici ab albo τῶν γνησίων Ambrosii expunxerunt, multa causati, sed potissimum styli diversitatem. De quibus omnibus judicium (654) lectoris appello.

At contra sex illi de Sacramentis libelli

(654) *Libros quatuor hosce (De Mysteriis: De Tobia : Interpellationum alterum : Apologiam David alteram) esse vere Ambrosianos. Liber de Tobia alibi illustratur, alibi tantum inhalando percuratur.*

Librum de Mysteriis vere Ambrosianum esse tum S. Doctoris character, qui non obscure in hoc libello se prodit, tum etiam locutiones multae Ambrosio peramicae palam declarant, quarum aliquot hinc petitas in hoc Glossario pro re nata protulimus, & cum paribus aliis sive Exjosippi, sive Ambrosii comparavimus. Cujusmodi hae sunt Num. 3. *Odorem inhalatum*: de quo vide in Glossario §. 3. in INHALO. Extremo num. 17. *Non aquarum esse, QUOD unusquisque mundatur, sed gratiae:* quod Ambrosianum esse [uti *Quod nascimur*, & similia] ostendent loca Gronovianae Monobibli

bibli pag. 10. Adhaec extremo num. 41. *Quam* [caritatem] *multa aqua EXCLVDERE . . non possit*. Vide in Glossario in *Excludo*. Num. 52. *Ignem de caelo deponeret*, pro *demitteret*: de quo in eod. Gloss. Num. 52. *Fontis irriguo*: quod est Mediolanensi amicissimum. Hunc autem libellum sibi ad imitandum proposuit scriptor sex librorum *De sacramentis*, qui inter Ambrosii opera adhuc locum sibi vindicant, sed injuria ut alibi dicemus.

Venio jam ad elegantissimum planeque aureolum de Tobia librum: quem quidam expostulant verborum allusionibus redundare frequentioribus ac levioribus, quam pro Ambrosiano decoro. A quibus ego immensum dissentio. Quum eum librum elucubraret Ambrosius, nimia planeque incredibilis foeneratorum crudelitas evertebat familias. Nec tantum foeneratores culpandi erant, sed & incauti adolescentes, qui in eorum se retia conjici paterentur. Res eo devenerat, ut S. Antistes, non putaret se melius ei pesti frena injecturum, quã si non tantum avaros illos trapezitas incredibili vehementia insectaretur, sed & tum hos, tum etiam luxuriosam juventutem, utrosq. inquam in commune ridendos traduceret. Opportune autem abutitur eo schemate, quod Syllepsin oratoriam vocant; quando scil. in aliquo ancipiti verbo, veluti *Sortis*, *Capitis* &c. quae tum ad foenus, tum etiam ad res alias referuntur, luditur. Hujus figurae exemplis, quae sunt in hoc libro plurima, supersedeo.

Ceterum nullus est Ambrosii liber, qui pluribus Veteris Latii ingeniique Ambrosiani venustatibus scateat: nullus item, in quo plures ejusmodi locutiones reperias quas in Glossario descripsimus. Inter quas Virgilianum illud INFORMIS LAQVEI NODVS [de quo dixi §. 8.] semel quidem num. 11. adhibetur, iterum autem num. 46. sed paullo variatum. Adhaec n. 6. *Incidit caecitatem*, & n. 22. *Incideram debita*. Num. 16. de mari dicitur: *Exspuit nudos*: num. 20. *Acerbat*. Jam vero confer librum de jejunio num. 24. 25. cum hujus libri n. 17. & 50. plura de mensarum luxu similia reperies. Quem heic n. 17. *Natalem vini* memorat, de eo in De jejunio n. 24. sic scribitur: *Istius vini ille natalis est*. Vtrobique [nim. De jejun. n. 24. itemque de Tob. n. 50.] *Vulva* inter mensarum delicias ponitur.

Jam vero est plane illud Ambrosianum, quod initio num. 3. praeclaris aliis Tobiae factis hoc additur: *MERVIT edictum, ne quis ex filiis captivitatis mortuum sepulturae daret*. Et tamen illud *Meruit* Latinius non assecutus, pro eo *Metuit* Apolline laevo substituit. Atqui *Meruit* notionem legalem habet, cui sermoni Ambrosius insueverat, uti §. 6. praemonui. MEREO in jure est τῶν μέσων [*mediorum*] verborum. Sic *Merere animadversionem*, *graviorem sententiam*, *deportationis sententiam*, *capitis poenam*, *sui facti nomine poenam* & alia sexcenta: in quibus *Merere* est *accipere*, *excipere*, *merito pati*, aut postremo *elicere*, ut heic. Tobias, qui in tribulibus humandis tam prolixus esset, *Meruit* [h. e. abstulit, elicuit] ab rege edictum, nequis omnino mortuum sepeliret. His sequentia consentiunt. *At ille interdicto* [h. e. edicto illo, quod meruerat] *non revocabatur* &c.

Postremo num. 46. haeret vitium sed molli tantum ac benigno afflatu sanandum. Ibi de Mosaica lege sic loquitur: quae *Quum de aliis peccatis semel AVT multum iterata admonitione praescripserit; de foenore saepius intimavit*. Haesit vero heic merito Latinius: nam qui *semel praescribit*, quo pacto idem *multum iterata monitione* utitur? Tamen idem ulcus detexit, sed in percurando infelix, satis ab se auxilii allatum putavit, si AVT in VT mutaret. At Benedictini cũ omnibus scriptis editisque AVT retinuerunt, sed invita prorsus sententia. Nec tamen equidem ferrum aut ignem adhibiturus venio, sed tantum affectae parti leviter inhalaturus. Itaque loco τῶ AVT, halitu dumtaxat adhibito, HAVT scribas censeo: jam locus sua integritate donabitur. Jubet enim Victorinus grammaticus *Haud* ante vocales, *Haut* vero ante consonas scribere. Vbi autem ad utriusque scriptionis exempla is devenit, diserte istud Ambrosianum HAVT MVLTVM in exemplum affert. *Haud aliter muros*: *Haud equidem*. Haec ante vocalem exempla: at contra: *Haut dudum*: *HAVT MVLTVM*: *Haut placitura refer*. At vero librarii, quibus illa grammaticorum ἀκρίβεια ignota esset, remoto spiritu, quem infestum putarent, ex negante particula disjunctivam fecerunt. Potes vero & illud *Haut multum it. adm.* interponere, si lubet, hoc modo: *Quum de aliis peccatis semel* [*haut multum iterata admonitione*] *praescripserit*; *de foenore SAEPIVS intimavit*. Ac mox Ambrosius totus in id incumbit, ut undeunde loca Mosis corradat, quibus foenus SAEPIVS interdicitur.

Age vero, quod Interpellationum librum II. qui *De interpellatione David* inscribitur, nec non *Apologiam David alteram*, negat Erasmus Ambrosio adscribi oportere, solo styli argumento permotus: utrumque perverse fecit. Nam illum de interpell. Dav. librum manifeste Mediolanensi vindicant meo judicio

non

belli qui pro Ambrosianis circumferuntur, vetusti quidem alicujus episcopi sunt, ac facile Ambrosio supparis, at nihil minus quam (655) Ambrosianos esse, quovis deposito pignore spondeo. Neque id vero Catholici nostri gravate ferent, quasi qui eo firmamento quod ab Ambrosii nomine & auctoritate petitur, Transubstantiationis dogma spoliare adnitar. Nam quum Mediolanensis episcopi circa Eucharistiam sententia satis liquido ex libro de Mysteriis constet; quaero annon conducibilius sit, si dogmatis ejusdem novus testis antiquus produci possit, quam si illud unus idemque Ambrosius bis docuisse ostendatur? Idem esto judicium de ea concione quae inter Ambrosiana editur cum hoc indice, *De lapsu virginis consecratae*: quã invectivam sicuti & probae notae,& pervetustam esse non est dubium, sic ab Ambrosiana (656) locutione atq. nitore nimium abesse certo certius

non tantum frequens *Devotionis* & τῶ *Denique* pro *Itaque* usus, sed & eorum plura quae in Glossario descripsimus. Reperies in hoc libro num. 8. *Praetendo* pro castrensi *Excubo*: n. 20. *Reformo*: n. 21. *Adstipulor*: n. 22. *Contagia*: n. 26. *Comperendino*: n. 30. *Tenebrarum profunda*, & n. 34. *Profunda mentium*: n. 35. *Prolapsionis humanae*: quae more & notione Ambrosiana, quam in Glossario explicuimus, usurpantur. Sunt etiam & illa Ambrosiana: n. 5. *Sacri fontis irriguo*: n. 20. *Convenit*, eo significatu, de quo Gronovius in Monob. Postremo quid magis Ambrosiani ingenii, quam quod initio scribitur? *Ille* (Job) *directus* (h. e. *rigidus*, notione Ciceroniana) *vehemens, acer, &* .. *majore cothurno: hic* (David) *blandus* &c.

Postremo quod ad Apologiam David alteram spectat [quam quidem post Erasmum maxima hodie criticorum pars, prae ceteris obtendens characteris diversitatem, magno eripuit Ambrosio] de eo, ne nunc plane obtundam, in Appendice Ambrosiana ad hujus diei finem sic agam, nullum ut librum magis Ambrosianum esse clarissimis argumentis evincam.

(655) *Sex librorum de Sacramentis auctorem alium ab Ambrosio fuisse.*

Ita prorsus suadet tum scriptionis character, tum etiam elocutio; quorum utrumque nihil prorsus commune cum magno Ambrosio habet: etsi auctor Ambrosii se studiosum prodat (a quo certe multa sublegit) nec magno intervallo fuerit ab illius aetate disjunctus. Stylus, inquam elumbis, jejunus, exsuccus est, interrogatiunculis & responsis per totum decurrens, summa tantum rerum capita delibans, nihil Ambrosiano more amplificans atque dilatans, nihil grande aut sublime sonans: dictio vero non tantum humilis est, sed & iis locutionibus abstinet, quas in Glossario nostro posuimus (nisi quod semel tantum, nim. l. 6. n. 25. *Denique* pro *Itaque* posuit: quid mirum? atqui tum demum in illo DENIQVE Ambrosianum se gessisset, si toto opere plus centies id usurpasset) alia vero humilia & Ambrosio ignota dicendi genera amica habet. Veluti HESTERNO pro *Hesterno die* ter usurpat, puta initiis libror. 2. 3. & 5. DEROGARE alicui frequens huic est. Lib. V. n. 19. in fine: *Ecclesiae consideratione*: at Ambrosius dixisset *Contemplatione*: de quo vide in Glossario §. 6. in Adnot. 640. His adde plebeium illud lib. 2. n. 12. *Vbi* .. *amaritudinem sensit* (fontis Merrhae Moyses) *&* COEPIT BIBERE NON POSSE.

Idem tamen auctor, ut initio diximus, Ambrosii se asseclam passim prodit, ex quo plura sustulit, interdum eisdem verbis: nec tantum ex libro de Mysteriis, sed & aliunde. Sic etiam lib. IV. cap. 1. de duplici tabernaculo ex mente Pauli, & hunc sequentis Ambrosii, disserens, bis *Thymiamaterium* septem syllabis, Ambrosianam secutus orthographiam (de qua §. 1. dixi) usurpavit.

Illud miror quod Tillemontius [in Ambrosio Nota 62.] hunc auctorem barbariei damnat, quod *Mersisti* pro *Mersus es* scripserit. Atqui id forsitan unum in hisce sex libris elegans: in quo & imitatus est Ambrosium; cui id peramicum fuisse reperio. Vt lib. IV. in Luc. n. 51. *Qui* (Naaman) *leprosus merserat, fidelis emersit*. Sic Epist. 2. num. 16. Sed & libro de Mysteriis (quem librum hic auctor serviliter imitatur) bis saltem idem Ambrosius usurpavit: ut num. 17. *Adquievit* [Naaman] *ac mersit*: & num. 21. *Ergo ille Syrus* (Naaman) *septies mersit*.

(656) Libri *De lapsu virginis consecratae* stylus tantum ab Ambrosiano, quantum haedi ab agnis, differt. In σηλιτευτικῷ (*invectivo*) genere mire Ambrosianam vehementiam exsultasse, omnes norunt, qui Ambrosium norunt. Vbivis magis quam in hoc genere officias sibi fieri siverit Mediolanensis antistes. Atqui in hoc libro densos illos & citatos sententia-

certius est. Scio quidem ne Benedictinos quidem aliosque criticos aliquot de his monumentis magnopere diversa sensisse. At volupe erit, si id judicium, quod adhuc incertum fluctuabat, ope Glossarii hujus exploratissimum evadat.

Postremo de S. Sebastiani actis, quae Bollandus ad XX. Januarii dedit, ac nescio cujus monachi testimonio fultus, eidem sancto Doctori adscripsit, praeter illa quae ad XVIII. Junii de iis censuimus, alius quoque erit judicandi (*) locus.

Vides igitur, me non inutilem operam in hoc quantulocumque Glossario posuisse: quod quidem eas tantum ῥήσεις complectitur, quas Excidium cum Ambrosio communes habet. Quod si ceteras sive Ambrosii sive Exjosippi peculiares locutiones illas, quas neuter cum altero communes habet [quarum non mediocrem sylvam, praecipue ex Ambrosio, collegeram] eo coegissem, eccui dubium esse poterit, quin ad id Glossarium, tamquam ad obrussam, dubia, siqua modo sunt adhuc, Ambrosii opuscula tuto exigi possent? Nec enim ut semel dicam, est via tutior alia ad hujus generis jurgia finienda: quam utinam viri post renatas litteras summi tenuissent. Quoties de quibusdam opusculis, essent ne re vera a Tertulliani, Basilii, Chrysostomi calamo profecta, graves & asperiores exarsere disceptationes? At si tanti res erat, eadem methodo, quam heic in subsidium adhibuimus, & uti olim potuissent, & posthac censeo utentur.

Restat & methodus altera, qua scil. scita ac sententiae operis alicujus controversi cum auctoris ejus, cui tribuere illud adnitimur, exploratis operibus comparentur. Quae ratio nihilo secius Excidii historiam Ambrosio adjudicabit: quod infra proxime demonstrabitur, postquam scil. de stylo scrupulum, qui quorumdam mentibus insidet, exemerimus.

§. XI. *De utriusque stylo.*

Veteri querelae de Exjosippi & Ambrosii diversitate styli obviam itur. Quid inter utrumque conveniat. Rursus quid unus ab altero dissideat. Ambrosianos fetus diversissima passim praeseferre dicendi genera: quantamcumque vero illam diversitatem non nisi aetatis & argumentorum varietati esse acceptam referendam. Postremo esse in Ambrosio tum partes quasdam majorum operum, tum etiam solida opuscula ita Exjosippo similia, ut non possis non eumdem parentem agnoscere.

Ex operoso isto Glossarii specimine illud jam satis constat, eamdem ubique φρασεολογίαν Exjosippo atque Ambrosio decurrere. Vel sic tamen Tillemontius sociique Benedictini (de quorum judicio vide quae initio hujus V. capitis pag. 790. adnotavimus) si adviverent, forsitan exciperent, locutiones quidem meras Ambrosianas in Excidio (quandoquidem id demum argumentis victi inficiari non possent) personare, sed tamen stylum prorsus ab Ambrosio dissidere. Haec vero calumnia ita a me dispelletur, ut de amborum tum convenientia, tum etiam discri-

tentiarum aculeos, cujusmodi contra Maximum, contra Auxentium, atque Symmachum, aut quemvis alium Noster utebatur, prorsus desideres. Mitto verborum Ambrosianam dispositionem, & e vetere Latio petitas locutiones; quae hinc prorsus absunt. Nullam ex iis dictionibus, quas nostrum hoc Glossarium exhibet, in eo libello reperias. Sunt contra in eo quaedam parum Mediolanensi dignae. Nam qualia illa sunt? Num. 12. *Susanna, cujus tu nomen fallaciter BAIVLAS*. Num. 16. *Exsultassent GRANDITER*. Num. 18. *IN QVANTVM sibi mercedem sperabant.. IN TANTVM tibi intellige, misera, pondus judicii crescere*. Num. 32. *Te omni DEPOPVLATIONE dignam*. Num. 34. *Quae* (poenitentia) *aut aequet crimina aut CERTE excedat*: quum dici debuisset, *Aut excedat, aut certe aequet*. Negari tamen non potest, quin libellus sit perantiquus, ab aequali aut suppare scriptore profectus, & ad antiquitatem illustrandam utilissimus.

(*) De iis enim in Appendice Ambrosiana ad calcem dici hujus accuratius judicium Deo juvante proferetur.

discrimine circa dicendi characterem bona fide pauca praelocutus, tandem quidquid est alicubi discriminis, id magis esse materiae quam scribentium diversitati tribuendum, concludam.

Principio satis Exjosippi stylo cũ Ambrosiano id convenit, quod uterque nervosus ad miraculum est: uterque, quantum quidem subjectae materiae ratio patitur, sublimis atque grandiloquus: uterque densitate sententiarum, acute dictis, antithetis, tropis ac figuris cujusvis generis scatet. Vtriusque lactea est elocutio: uterque veneres Latini sermonis ejusmodi habet, quas nemo persentiscere queat, nisi qui in aureae argenteaeque aetatis auctoribus sit diu multumque volutatus. Habes plura ταυτότητος capita..

Adhuc tamen, fateor, uterque ab altero pauxillum dissidet. Quid enim? Queruntur, Exjosippum copiosum esse, facilem fluidumque: quum contra Ambrosius plus nimio adstrictus atque concisus, idemque confragosus difficilisque: ut fieri vix possit, ut ea styli discrepantia in uno eodemque homine fuerit.

Verum hoc qui dicunt, non animadvertunt, aetatem sensim progredientem non tantum morum diversitatem illam, quam pulchre Horatius in Arte describit, verum & characteris orationis discrimen invehere. Atque a copia ut incipiam; ea peculiaris adolescentium est, maxime in μελέταις (*declamationibus*) suis [de quo genere Exjosippus est: qui magis argumenta rerum ab Josepho ad dilatandum, alicubi etiam ad contrahendum abstulit, quam ut fidus interpres vestigia auctoris sui premeret] in praeexercitationibus inquam suis, in quibus non tam de delectu, quam de ubertate laborant. Eamdem juvenilem luxuriem optimi dicendi magistri adeo non vituperabant, ut potius laudi darent, rati futurum tandem ut maturius secuturae aetatis judicium, quantum luxuriantium foliorum redundantiae demeret, tantum frugis uberioris afferret. Quamquam ne illud quidem concesserim, Ambrosii orationem ubique concisam esse. Imo contra idem in Hexaemero pluribusque aliis operibus plerumque copia minime poenitenda circumfluit. Sicuti contra Excidium haud raro velis contractioribus fertur.

Deinde quod Ambrosium [cui scil. Exjosippi pellucidam facilitatem e regione ponunt] asperum esse ac salebrosum expostulant; id adeo in Mediolanensi non agnovere antiqui [in primis Augustinus, Gregorius, Cassiodorus, Aldhelmus] ut potius ejus eloquentiam non alio nomine, quam uti *lacteam* (657) *lucidam*,

(657) *De Ambrosiano stylo antiquorum judicia.*

Ab Augustino ordiar: qui Magni Ambrosii & auditor assiduus, & lector ejus operum studiosissimus, si quisquam alius, fuit. Qui in V. Conf. cap. 13. *Delectabar*, inquit, *SVAVITATE sermonis* Ambrosii. Quae autem suavitas potest sermonis existere, si idem sit salebris impeditus? At quantum illud est testimonium, quod idem in lib. 2. contra Julian. cap. 5. edidit? *Ecce fundit eloquentiae LVCIDVM & PERSPICVVM FLVMEN Ambrosius. Non est heic ubi HAEREAT lector, ubi CALIGET auditor.* I nunc, & Ambrosio obscuritatem exprobra, si hiscere contra tanti ejus discipuli judicium potes.

Jam vero Magnus Gregorius praefat. Comm. in Ezechielem Ambrosii *profunda & PERSPICVA fluenta* depraedicat.

Cassiodoro lib. de Div. lect. cap. 16. laudantur *Sancti Ambrosii de officiis MELLIFLVI libri tres.* Nihil vero luculentius, quam quod ejusdem opusculi caput XX. totum in Ambrosio impenditur, quod sic incipit: *Sanctus quoque Ambrosius LACTEI SERMONIS emanator, cum gravitate acutus, per violenta persuasione DVLCISSIMVS* &c.

Aldhelmus in de laud. Virginum:

Qui nomen gerit Ambrosiae de nectare ductum.

Et post narratum de apum examine pueri labris insidente prodigium, haec subjicit:

Hoc examen apum, quo Sancti labra redundant,
Dulcia mulsorum portendit verba favorum,
E quibus affatim dulcescunt pectora plebis.
LVCIDA digessit venerandus opuscula doctor.

Postremo qualem orationis characterem ipse Ambrosius in sacro oratore desiderat, talem se praestare studuisse, necesse est: quem characterem

cidam, perſpicuamque demirarentur. Vtris, rogo, credendum? Neutris, opinor. Sed ita tamen ab utriſque diſſentio, ut cum utriſque tandem redeam in gratiam. Nam pro argumenti varietate & Ambroſianus character orationis variat, & in primis major minorve eſt perſpicuitas. Atque illud in primis notandum eſt, quotieſcumque ſeſe abdit Ambroſius ſive in Scripturarum ἀλληγορούμενα, ſive in myſteria numerorum [in utroque autem nimia aetas illius fuit] adhaec quoties ad ignota quaedam ſacri Codicis (658) loca, quod paſſim ſolet, alludit: quoties ſive (*) Philonis, ſive Origenis, ſive philoſophorum legit veſtigia; quoties, quod non raro accidit, ulcus aliquod ſive (659) manifeſtum ſed vix cura-

rem ſic ipſe deſcribit in I. Offic. cap. 22. extremo: *Neque nimium prolixus* (ſit ſermo tractantis) *neque cito interruptus .. oratio PVRA, ſimplex, DILVCIDA, atque MANIFESTA, plena gravitatis & PONDERIS: non affectata elegantia, ſed non INTERMISSA GRATIA.* Habes ipſiſſimam Ambroſianam imaginem, in qua & *ponderis* meminit, & *elegantiae* & *dilucidae perſpicuitatis*, & *gratiae* Latini ſermonis, quas vocant veneres.

(658) *Duo Ambroſii paullo difficiliora loca enucleata.*

Saepiſſime Doctor eximius aut ex Sacrae Scripturae verbis ſermonem ſuum contexit, aut ad ea ſaltem alludit. Quoties vero ea loca in propatulo ſunt, nullum lectori negotium faceſſitur. At quoties ſuſpicio nulla de alluſione ad Scripturam ſubit, ibi merito caligo legenti offunditur. Exemplo ſit vetus querela Horas Canonicas recitantium, quoties ab eis in Communi plurim. Mart. in illud Ambroſii incurritur, *Et mandatum accipis octo illis partem dare, fortaſſe benedictionibus.* Haeccine Ambroſii perſpicuitas? Nec enim ſuſpicantur, ſpectaſſe Antiſtitem illud Eccleſiaſtae X. I. 2. *Da partem ſeptem, nec non & octo:* quem locum Doctor inſtituto ſermoni pro more accommodat. At hoc animadverſo, jam omnia prona ſunt. Locus is Ambroſii lib. V. in Luc. cap. 6. num. 49. ſic totus habet: *Hic enim* [Lucas, qui quatuor beatitudines poſuit] *quatuor velut virtutes amplexus eſt cardinales: ille* (Matthaeus) *in illis octo* [beatitudinibus ſuis] *myſticum numerum reſervavit* (al. *reſeravit*). *PRO OCTAVA enim multi ſcribuntur* [pro *inſcribuntur*: nota eſt ea pſalmor. inſcriptio] *Pſalmi; & mandatum accipis* (Eccleſ. XI. 2.) *OCTO illis PARTEM DARE, fortaſſe benedictionibus*, h. e. beatitudinibus. Confer de hoc loco praeter Benedictinos editores, etiam quam ſimillimum locum in De Jacob. lib. 2. n. 50.

Ibi vero maxime ſolet caligo offundi, ubi vetus Vulgata, ex qua ſua affert Ambroſius ab noſtris exemplaribus diſſidet. Vt lib. de Nabuthe n. 61. ſic ſcripſit: *David in Pſalmo LXXV. hymnum Deo concinens ad Aſſyrium ſcriptum .. ita coepit: Notus in Judaea Deus.* Et in hanc quidem lectionem ſcriptos codices conſpirare Benedictini teſtantur, & tamen *non obſcure corruptionis* aliquid haerere queruntur. At locus hic, ſiquis alius, ſaniſſimus eſt, atque facillimus, modo intelligamus, eum Pſalmum in LXX. [ex quibus vetus Latina fluxerat] inſcriptum fuiſſe Πρὸς Ασσύριον, *Ad Aſſyrium*, ſaltem in aliquibus exemplaribus; nam a τετρασελίδῳ & ὀκτασελίδῳ [i. e. *Tetraplo* & *Octaplo*] & a communi τῶν ό editione id abfuiſſe, Scholion memorat. Ea vero poſita inſcriptione, locus prono jam alveo fluit: niſi quod pro *Scriptum* mallem *Inſcriptum*. Aut potius *Scriptum* (quo modo in Mss. & cuſis conſtanter legitur) pro *Inſcriptum* uſurpavit, ſimplex pro compoſito; ſicuti in modo producto loco in Luc. *Pro Octava multi ſcribuntur* [pro *inſcribuntur*] *Pſalmi*. Ergo *Hymnum*, inquit, *Deo concinens AD ASSYRIVM inſcriptum*: nam in aliquot exemplaribus praeſcribebatur ᾠδὴ πρὸς Ασσύριον, *Hymnus ad Aſſyrium*.

(*) Exempli cauſa epiſtola (8) ad Juſtum ita magnam partem ex Philone contracta eſt, ut rerum tantum argumenta delibentur, non pro dignitate exponantur. Quumque eadem epiſtola referta ſit vocabulis τεχνικοῖς, hinc illac circumſtant Cimmeriae tenebrae.

(659) *Hexaemeri locus hactenus deploratus reſtituitur.*

Exemplum explorati vitii, ſed tamen inſanabilis habiti, illud eſto, quod in II. Hexaem. cap. 4. num. 15. cur caelum Graece ὀυρανὸς appelletur, haec ratio traditur: Ο'υρανὸς *autem* ἀπὸ τῦ ὁρᾶσθαι *dicitur, quod videatur ...... Igitur terrae, quae obſcurior eſt,* ὀυρανὸς *nuncupatur, quia lucidus eſt, tamquam viſibilis.* Ita hunc locum ex plerorumque Mss. conſenſu Benedictini ediderunt. Qui in ſubjecta animadverſione poſt allatas manu-

 ſcri-

curabile, sive caecum (660) sub cute latens sententiam infuscat: postremo quoties antiquas ῥήσεις [quod millies observavimus] usurpat: in his inquam Docto-

scriptorum & editorum variantias, de lacuna quam hiantem reliquerunt, sic causantur: *Quae sequuntur Graeca verba, ita confuse* [in membranis] *scribuntur, ut a nemine eorum, quos consuluimus, legi potuerint. Itaque optimum visum est eadem* (Graeca, ut in Mss. sunt) *quoad fieri potuit, fideliter expressa heic repraesentare.* Mox duo veteris Graecae scripturae simulacra duabus ligneis formis expressa subjiciunt; quorum priore id quod in Ambrosiani contextus hiatu, quem ante exhibuimus, in scriptis codicibus Graece ponitur, ad vivum exprimitur, altero vero, quod in eorumdem codicum margine repererunt. Quibus haec tandem a doctiss. Monachis subjiciuntur: *Quae doctioribus exponenda lubentes permittimus. Subodoramur tamen per haec* (Graeca) *nonnihil de divisione caeli a circulo horizonte signata indicari.* Haec ideo adscripsi omnia, ut locum jam esse conclamatum omnes agnoscant. Et tamen non tantum hac ultima adnotatoris hariolatione opus non erat; verum etiam desperatum ab illis in vado fuisse, certissimum est. Scriptura Graeca Ambrosiani contextus talis est, qualis nono decimove circiter saeculo exarabatur: tantum quod heic litterae sunt confertissimae. Nec refert, quod manuscripti Ambrosiani, in quibus ea exhibentur, sint forsan recentiores: nam librarii qui Graece nescirent, quum in Graeci aliquid inter Latina inspersi incidebant, illud imitari, pictoris magis quam scriptoris industria, conabantur. Hinc tot in vocibus Graecis ab Ambrosio adspersis mendarum prodigia, longe plus certe quam in Latinis. Sed ut eo redeam. Graeca Ambrosiani contextus scriptura, quemadmodum a Benedictinis exprimitur, eas litteras continet, quas equidem quibus typographicis formis potui, repraesentavi in hunc modum: γροc αΝΤαδιαcτοαΝελ (h. e. γρος ανταδιαστοανελ) quod equidem in πρὸς ἀντιδιαστολὴν refingebam, necdum marginem contemplatus. Ceterum eamdem mox lectionem multo clarius ex marginali scriptura elicui: quae ferme talis a doctis editoribus exhibetur, ΑροccαΝΤιοιλ-ſτοLεΝ (litteris scil. etiam Latinis admixtis) h. e. προσσαντιδιαστολὴν.

Istud autem πρὸς ἀντιδιαστολὴν (h. e. *ad differentiam*) est τεχνικῆς διαλέκτου sive artis vocabulum, in grammaticorum & dialecticorum ore tritissimum, & genitivum post se gerit: quemadmodum hoc loco regit τοῦ *Terrae.* Itaque cave illud *Igitur* novae periodi principium constituas, quum quae sequuntur, sint omnino nectenda cum praecedentibus hunc in modum. Οὐρανὸς [h. e. caelum] *autem* ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι [h. e. a verbo *Video*] *dicitur, quod* (scil.) VIDEATUR. Πρὸς ἀντιδιαστολὴν [h. e. ad differentiam] *igitur terrae, quae obscurior est,* οὐρανὸς *nuncupatur, quia lucidus est, tamquam* (si dicas) *VISIBILIS.* Vides quanto terrori μορμολυκεῖον (*spectrum*) istud fuerit: quo terriculamento remoto, quanta repente lux totum locum irradiaverit.

Porro quam heic affert οὐρανοῦ etymologiam, eamdem & infra lib. V. num. 73. ubi de avibus per caelum h. e. aerem volitantibus agit, iterat hisce verbis: *Sed quia Graece* οὐρανὸς *dicitur, quod Latine caelum appellamus:* οὐρανὸς *autem* ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι, *idest a VIDENDO; ideo quod aer PERSPICUUS sit & ad VIDENDUM purior* [ideo in caelo i. e.] *in aere volitantia genera dixit animantium.* Hoc vero etymon a Basilio sumpsit, qui itidem παρὰ τοῦ ὁρᾶσθαι derivat οὐρανόν. Eaque una ex pervagatis apud antiquos originationibus caeli erat; quam & Phurnutus lib. de natura deor. cap. I. memorat: ἀπὸ τοῦ ἄνω ὁρᾶσθαι, inquit, *Ab eo quod sursum conspiciatur quidam caelum deducunt.* At Aristoteles lib. de Mundo, & Philo in libro cognomine aliter ἐτυμολογοῦσι, nempe ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶναι τῶν ἄνω, *quod sit terminus rerum superiorum.* Alii aliter. Verum non id agimus.

(660) *De Ambrosianis locis, quae falso pro sanis habentur, adhibenda cautio. Horum uni per summam librariorum injuriam infixa MACHAERA evellitur.*

Occulta textus Ambrosiani vitia, nondum membranarum ope sanata, plura indicari possent, si id pensi mei esset. Interim infra in Adnot. 671. una vocali inducta, locum absurdissimum, & tamen pro sano habitum, alibi alia obiter percuravimus. Universe autem quoties caligo talis offunditur, quae ad nullam ex assignatis caussis referri possit, toties latere ulcerosum aliquid haud temere suspicabimur.

Ne tamen avidos convivas prorsus incaenatos remittam; proderit huc illud afferre ex libro de Elia & jejunio, ubi cap. 8. num. 24. sic incipit. *Ferietur coquorum vestigiorum machaera. Requiescat opsonator* &c. Verba quidem Latina omnia & satis perspicua: syntaxis sibi apte cohaeret: tamen torquet me Ambrosius

Doctorem eximium jure merito obscuriorem videri: contra vero in hortationibus, ceterisque moralibus argumentis, in exornationibus aut vituperationibus, in primis autem in vividis descriptionum ὑποτυπώσεσιν, atque in elegantissimis narrationibus [de quibus mox plura dicam] lucidum planeque vitreum fluere. Quamquam [quid enim nisi veritati uni litandum est?] & aliud egomet discrimen inter Excidium Ambrosiumque deprehendi. Amat enim Ambrosius verbis praeter ceterorum morem trajiciendis indulgere, eoque remissiores interdum lectores delassare. Exempla sunt passim in Ambrosio (661) obvia: at in Excidio

sius non recte intelligentem, ecquamnam *Machaeram vestigiorum coquorum feriari* jubeat. Adnotator Benedictinus nihil heic lucis praetulit, locum ideo pro sano, opinor, habens, quod nihil varietatis in Mss. repererit. At editio Romana totum hunc locum, credo quod capi nequiret, praetermisit. Verum quid exspectationem morando cieo? Facta, crede mihi, levissima mutatione τῷ *Machaera* in MEGAERA, mira lux, mira gratia ei loco arridet, & cum toto contextu aptissime copulatur. Nam quale sit Furiarum munus, vel pueri norunt. Nempe stimulis, flagellis, vipereis spiris taedisque ardentibus armatae volitabant, ad incitandum & exagitandum promptissimae. Nec tantum poetarum carminibus haec trita sunt, sed & oratorum sermonibus. Cicero in II. de Legib. *Vt eos agitent insectenturque Furiae &c.* Virgilianum poema his refertissimum est. Seneca in Thyeste: *Geminas faces Megaera quatiens*.

Jam vero ad Mediolanensis locum redeo. Dixerat proxime, jejunium quietem & otium secum ferre, contra luxum invehere inquietitudinem atque negotia. Mox pergit: *Ferietur aliquando coquorum vestigiorum Megaera*, h. e. Desinat aliquando luxus, instar Megaerae [aut certe alterius Furiae; nam singulare eximium pro genere usurpatur] furiali flagello exagitare coquos, hac & illac discursantes, ut dominorum gulae indulgeant, selectissima quaeque expetentium. Deinde cum his perquam apta sunt, quae sequuntur. „ Requiescat opsonator, qui antequam luceat, fores pulsat alienas, & tamquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem advertis. Interrogas quae causa perturbationis sit? Poscit, inquit, dominus meus, ubi vinum melius veneat: quaerit ubi durior vulva curetur, ubi jecur [anserinum] mollius, ubi phasianus pinguior, ubi piscis recentior. Cursitat per diversa; & quum invenerit summo cursu properat. „ Et quae plura sequuntur plena gratiae atque illius nitoris Ambrosiani. Deinde quam pulchre opsonator cum Domino suo purgat, quod nimis caro sumptum fecerit? „ Heri, inquit, tempestas, hodie procella: vix istum (piscem) potui latentem deprehendere. Multi concursant in macello: si tu reddideris, alter plus dabit: & quid exhibebis in prandio? Istius vini ille natalis est. „ [Nam tritum est, consules doliis inscriptos fuisse, ex quibus vini natalis & aetas intelligeretur] „ Haec ex illo lacu lecta ostrea. Talis fit de singulis licitatio. Hasta quaedam agitatur inter opsonatorem & pastorem. „ *Pastorem* quemnam vocet Ambrosius, ipsemet explicat eod. lib. num. 49. hac circumscriptione, IS QVI PASCIT, h. e. convivator. Hinc apud Italos *Il pasto* tantumdem est quod prandium quod convivis datur. In vet. Glossis *Pastus* est σίτησις. Addit statim Ambrosius. „ Turbatus (pastor) addicit patrimonium: rogat adhuc „ [pro *Eo usque procedit ut etiam obsecret*] „ per quos suorum bonorum jura „ (utpote oppignorata: infra n. 31. *Non vexant viduam oppignorata sobrii jura defuncti*) „ minuantur. Curritur ad coquinam: fit ingens strepitus, fit tumultus. Tota exagitatur familia: maledicunt omnes, quod nulla his requies detur. Tandem aliquando da requiem coquo. „ Ceteris supersedeo paris proprietatis & elegantiae. Estne vero in his omnibus quidquam [quod quiritari de Ambrosio solent] salebrosum? modo tamen *Machaeram* insidiosam illam, per quam vulnus occultum impositum Ambrosio fuerat, capulo tenus infixam detraxeris.

(661) Τῶν ὑπερβάτων (*traductionum*) hujusmodi (quae quidem non parum ad Ambrosianum characterem constituendum conferunt) pauca e plurimis specimina producere satis erit. Et supra quidem hoc ipso capite §. 5. in *ANTE exspectatum* ex epistola ad Vercell. Eccl. insigne exemplum attulimus. Sed pergo alia depromere; quae plerumque in eo sita sunt, ut adjectiva sive brevi sive longo intervallo substantivis antecedant. Hexa. l. 3. n. 30. *Luctuosam gravis successionem maeroris adpi-*

dio (662) rariora quidem sunt, ac minoris audaciae [nec enim talia decebant historicum] sed ita tamen ut in iis quoque Ambrosianam officinam agnoscas. Hanc vero verborum dispositionem non tantum procedens aetas & argumentorum id minime respuentium ingenium in ejus orationem postmodum importavit, sed maxime Graecorum sui temporis studium, quos nimios dictionum traductores satis scio. Inter quos excelluit supra ceteros Caesariensis Eusebius, qui eo (sive id licentiae, sive laudi tribuendum est) lectorem fatigat ac prope occidit. Nec abnuerim collocationis verborum Eusebianae Ambrosium se praebuisse interdum imitatorem.

Illud etiam a me observatum fuit, ut Ambrosii, sic etiam Exjosippi orationem non semper aequabilem fluere, imo contra non tantum pro materiae diversitate variare, verum etiam pro intentiore aut resolutiore limae cura nunc mire assurgere, nunc remissiorem quodammodo oblanguescere. In Ambrosio quidem hospitem esse necesse est eum, qui in illo non hoc animadverterit. At etiam Exjosippo est ubi languor obrepserit, ut verbi causa in prolixa illa de Hierosolymitano Excidio lamentatione quae lib. V. cap. 2. legitur. At hujus quidquid est inaequalitatis Ambrosius ipse (663) alicubi causam verissimam aperit.

Postremo quidquid discriminis inter Exci-

miscuit. In I. de virginibus n. 64. *Multiplicatis fidei tuae talentum solvit usuris*. Libro altero extremo: *Ut pretiosis sanctorum turrita fastigiis, non solum hostiles frustretur incursus, verum etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum*. De viduis num. 87. *Nonne sibi videtur* (vidua) *inter ipsa repetitarum foedera nuptiarum, amissorum praetexere funera filiorum?* Lib. VI. in Luc. ad cap. 9. *Ut spiritalem tantummodo locus iste formare videatur affectum*. Ibid. *Si qua eos terrenae obumbrant delicta levitatis*. Ibid. *Pollutis non patiatur habitare vestigiis*. Sed mediocria specimina missa faciamus. Illud singulare est, quod in I. de Virginib. [ubi de S. Hagne] sic legitur: *Haec inter cruentas carnificum impavida manus, haec stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus . . parata . . tendere Christo inter ignes manus, atque . . tropaeum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus*. Ex quo ultimo exemplo potest intelligi, tum maxime inusitatis hisce trajectionibus indulsisse Nostrum, quum praeter modum vela eloquentiae panderet.

(662) Exjosippi hyperbata ad Ambrosianam formam fusa atque conflata aliquot depromam. In II. excid. 9. initio: *Ad inferendum Romano bellum imperio*. III. 6. *Ubi amoenis fluviorum meatibus, ex superiore decurrentium jugo montium*. Et cap. 19. medio: *Nullas excitatura Romani curas ducis aestimabatur*. Quamquam haec exempla poterunt alicui magis Liviana quam Ambrosiana videri. Sicuti & in Ambrosio non desunt hyperbata quaedam ad similitudinem Livianorum expressa: cujusmodi illud impeditissimum est, quod Ep. (18) ad Valentinian. adversus Symmach. legitur num. 36. de Cyro: *Exsecto capite & in utrem plenum cruoris, satiari jussus, incluso, femineis imperiis ludibrio fuit*. Hoc, inquam, ab Liviana collocatione non abhorret.

Sed ad Excidium redeo: in quo sunt tamen loca in quibus trajectionem plane Ambrosianam agnoscas. Quid enim Ambrosianum magis, quam illud IV. 7. *Publicorum eructant crapulam negotiorum*. Tum vero maxime more Ambrosiano trajicit, quum nihil Josepho debens, ad Christiana scita digreditur; ut V. 9. *Qui* (Jesus) *vere solus intraret interiora divinorum penetralia sacramentorum*. Ecquis vero dubitat quin plurima Ambrosianae illius dispositionis paria atque germana exempla in Excidii historia sit reperturus, si quis ea cum judicio requisierit? Etsi rariora in Ambrosio historico (h. e. in Exjosippo) quam in eodem tractatore occurrere, nemo mirabitur. At ubi tamen Exjosippus ab filo historiae ad moralis tractatus argumentum digreditur, non potest, quin verba ad rhythmi Ambrosiani numerum saepe componat. Cujusmodi illud II. 12. De Joanne Baptista: *Perpeti nequivit ab Herode fraterna violata connubii jura*.

(663) Causa discriminis ea fuisse videtur, quod quae dictaret, iis, uti fit, plusculum negligentiae irreperet; at quae sua manu scriptitabat, ea limatiora prodirent. Hanc ipsemet causam assignat Ep. (47) ad Sabinum initio. *Non enim dictamus omnia, & maxime noctibus,*

Excidium & cetera Ambrosiana cernitur, id in eam maxime causam est conferendum, quod aliud est historiam (praesertim ex alia lingua transfusam) antiquo historico stylo condere; aliud libros, sive ἐξηγητικοὺς sacrae Paginae, sive Theologicos, aut παραινετικοὺς scribere. Atqui id nunc erat operae. Nempe Exjosippus cum historicis Ambrosii lucubrationibus, siquae essent, componendus erat. Sed commode illud accidit, quod etsi nullā inter confessa Ambrosii opera justam habemus historiam; tamen sicubi Doctor Mediolanensis se gerit historicum, ibi ipsissimum Exjosippum intueri liceat. Multae passim sunt Ambrosianis libris inspersae narrationes: quarum pars major oratorio more conscriptae, oratoriis pigmentis madent, ut lib. 2. de Jacob cap. 10. & seq. ubi Machabaeorum martyria describuntur, aut in libris de Officiis ubi de S. Praecursoris caede, atque in de Virginibus ubi de S. Agnes passione. At sunt etiam apud eumdem narrationes aliae miro robore ac simplicitate historica contextae, atque hujus generis μυροθηκίοις delibutae: quas adhibere in consilium lector poterit. In primis autem duae sunt egregiae ac longiores epistolae, historico plane ingenio & charactere conscriptae, altera (6) ad Syagrium de bello contra Benjaminitas ab reliquis tribubus ob Levitae uxorem violatam gesto; altera (19) ad Vigilium, in qua tota Samsonis historia pertexitur. Quam vellem duo haec historica Ambrosii specimina lector haud segniter expenderet, & cum Exjosippo conferret. Aut cui Exjosippus ad manus non erit; rogo ut quas dixi duas Epistolas, saltem cum Exjosippi lib. 3. capite 2. componat [quod mox Parte altera subjiciam, quo Apostolorum Petri & Pauli passio continetur] tum vero certissimum habeo, eos non ovum ovo similius reperturos; imo eas duas epistolas *ovo prognatas eodem* (ut ille de Διοσκούροις cecinit) quo Excidii historiam, protinus exclamaturos.

C A P. VI.

Exjosippi scita ac sententiae cum paribus Ambrosianis comparantur.

Postremo ad illud argumentum, quod tamquam lectam triariorum manum subsidere ultimo loco jussi, ad utriusque scil. auctoris scitorum aut quam simillime dictorum convenientiam devenio. Nam quod Homero, quod Virgilio, quod maximis quibusque viris usu venit, id & magnum Ambrosium factitasse comperio, ut quodcumque alibi se commode elocutum meminisset, id modo verbis totidem revocaret, modo levi mutatione interpolatum retractaret. Innumera sunt hujus Ambrosianae consuetudinis documenta: sed satis sit duo ejus illustria indicasse loca, quae alibi prope verbis eisdem est imitatus. Confer si lubet gallicinii laudes quas in Hymno diei Dominici complectitur, cum iis quas in V. Hexa.num.88.persequitur. Item pulcherrimus locus ex Serm. 12. in Ps.118. cum gemello altero in Epist. ad Verc. Eccles. comparetur: ut alia generis hujus taceam.

bus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti; tum quia ea quae dictantur, impetu quodam proruunt, & profluo cursu feruntur. Nobis autem quibus curae est senilem sermonem familiari usu ad unguem distinguere [imo potius scribe DISTRINGERE aut *Destringere*; quod est *Defricare*, & strigili, aut *ungue*, cujus heic meminit, aliove instrumento radere & levigare] *& lento quodam figere gradu* (h. e. identidem subsistere ad meditandum) *aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo; ut non tam deflare aliquid* (i. e. tam inconsiderate, quam spiritum deflamus, expromere) *videamur, quam abscondere; neque alterum scribentem erubescamus, sed ipsi nobis conscii sine ullo arbitro, non solum auribus sed etiam oculis ea ponderemus quae scribimus. Velocior enim est lingua quam manus.* His praecognitis, facillimum deinde erit decernere, quid uterque scriptor cum impetu dictaverit (quod rarius accidit: nam & in Ambrosii vita Paulinus, raro eum dictasse prodit; & pauciora sunt opera aut operum loca, in quibus limae stricturas non agnoscas) quid contra anxio labore subegerit concoxeritque.

ceam. De quibus in ima (664) libri ora pauca reperies. Hic quidem, uti dixi, mos professi Ambrosii fuit.

Jam vero ad personatum venio. Dolendum est autem quod operis historici [cujusmodi Exjosippus condidit] a theologicis, ἐξηγητικοῖς, ethicisve (ad horum enim trium generum aliquod Ambrosii τὰ σωζόμενα referuntur) diversitas nos uberem Excidii cum Ambrosio convenientiarum segetem coacervare vetet. Tamen quae pauca sum allaturus, ejusmodi certe sunt, ut quin Exjosippus sit plane αὐτόπτως Ambrosius, dubitare minime patiantur.

Ac primum quidem quae de certamine Apostoli Petri cum Simone inter confessos magni Ambrosii libros & Exjosippum convenire observavi, ea Parte II. ubi de altercatione illa commentabimur, non illiberali manu producam. At sunt praeterea plurima, quae in Excidio semel a se scripta, sic ea in ceteris operibus iterat, facile ut agnoscas ad eadem illum communia loca recurrere, notasque ac veluti domesticas argumentorum sedes revisere.

§. I.

Totum caput nonum ex lib. V. excidii variis ab Ambrosio locis fuisse particulatim expressum, ac totidem interdum verbis.

Incipiam ab Excidii lib. V. cap. 9. quod magna ex parte huc adscribam, & cum similibus Ambrosii locis componam; ut tandem intelligas, Excidium illud ejusdem prorsus Mediolanensis fuisse fetum, a quo tot alios testatos habemus libros; ab ea vero ἀδελφότητι (*germanitate*) manasse tum illam ὁμοφωνίαν (*dictionis parilitatem*) tantam, quantam superiore cap.

(664) In Hymno diei Dominici qui inter Ambrosianos primus est, pulchra gallicinii descriptio initium paullo diversum ab eo, quod in Breviario legitur, habet, quod tale est:

Praeco diei jam sonat,
Noctis profundae pervigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.
Hoc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine &c.

Quae vero mox ibi sequuntur, quia sunt eadem in Breviario omnia, heic missa facio. Ab Augustino ipso in I. Retract. 21. is Hymnus Ambrosio tribuitur, ex eoque illud citatur,

Hoc ipsa petra Ecclesiae
Canente culpam diluit.

At idem Ambrosius lib. V. Hexa. num. 88. de Gallo paria habet omnia ac prope verbis eisdem. „ Hoc (gallo) canente latro suas re„linquit insidias, hoc ipse lucifer excitatus „oritur caelumque illuminat, hoc canente „maestitiam trepidus nauta deponit, omnis„que crebro vespertinis flatibus excitata tem„pestas & procella mitescit, hoc canente de„votus affectus exsilit ad precandum, legendi „quoque munus instaurat; hoc postremo ca„nente ipsa Ecclesiae petra culpam suam di„luit, quam priusquam gallus cantaret, negan„do contraxerat. Istius cantu spes omnibus „redit, aegris levatur incommodum „ (i. e. morbus: vide supra in Adnot. 644.) „ mi„nuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia „mitigatur, revertitur fides lapsis: Jesus ti„tubantes respicit, errantes corrigit. „ Mitto jam cetera describere. Etiam Beda in Arte metr. utriusque loci convenientiam notavit.

At hoc parum est. Ecqui enim non licuit, quae prosa oratione scripsisset, ea versibus alligare, aut contra? At etiam quae soluta oratione luserat, ea pro re nata item soluta iteravit. Veluti Epist. (63) ad Verc. Eccl. pulcherrimus locus est num. 94. 95. qui sic incipit. *Non quicumque ergo dicit PORTIO MEA DOMINUS. Non avarus dicit; quia venit avaritia & dicit: Mea portio es* &c. Hunc vero locum, vividae facundiae plenissimum, totum ex Serm. 12. in Ps. 118. (ubi a num. 37. ad 41. illa verba tractantur, *Tuus sum ego, salva me Domine*) transtulerat: ita locus uterque eisdem sententiarum ac figurarum luminibus perfusus per totum cernitur. Imo quod magis mirere, quae de Juda proditore, quaeque de libidine & luxuria ad Ps. 118. num. 38. 39. summa vi perorantur, eisdem ferme verbis in Epistola laudata iterantur.

Adde his locum pulcherrimum Hexa. lib. VI. cap. 9. de artificiosa humani corporis fabrica. Atqui haec eadem antea copiosius lib. de Noe & Arca a cap. 6. ad 9. ita disputaverat, ut sua ipse haud dubie deflorasse tum quum in Hexaemeron incumberet, reperiatur. Etsi Ambrosio in his praeivisse praestantissimum Galeni de usu partium librum, nemo negaverit.

cap. ostendimus, tum etiam in scitis atque sententiis (ὁμόνοιαν) *consensionem*. Ergo in V. Excidii 9. in Hierosolymitanae urbis descriptione hoc inter cetera legitur. *Inter omnia tamen opera Templum praecellebat amplissimo opere & fulgenti marmore: in quo erat peripetasma pretiosum & maximum, cocco & hyacintho, byssoque intextum & purpura. Non otiosa materia tantae diversitatis, sed cujus species materiam rerum latentium significaret: eo quod ejus esset templum, qui caelo & aëri, terrae & mari quasi creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret & gubernaret. Cocco enim igneum caelum figuratur, hyacintho aer, bysso terra, quod in ea* (byssus) *nascitur, purpura mare, quae* (purpura) *conchyliis maritimis inficitur: ut duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique princeps sacerdotum haec quatuor indumento suo exprimere consueverat, quando maxima celebritas erat festorum dierum, quasi totum mundum indueret, pro populo supplicaturus, in ejus figuram, qui venturus erat princeps sacerdotum Jesus, qui tolleret peccatum mundi*. Quorum hic interpres quaedam ex Josepho (665) transtulit, alia de suo adjecit.

Libet vero heic paullisper subsistere, ut animadvertatur horum minime poenituisse Ambrosium, quae aliquando in Excidio scripserat, sed eadem, ubicumque se dedit occasio, repetivisse. Nam quae de quatuor illorum generum, ex quibus peripetasma & sacerdotalia indumenta contexebantur, coloribus ibi dixerat, ea initio libri II. de Fide num. 11. & 12. adeo non erubuit, ut opportune iteraverit. Vbi de habitu Hebraici pontificis inter cetera haec habet: *Itaque alibi . . aurum praetexit, & postea hyacinthum ac purpuram cum cocco subjungit & bysso. Rursus alibi ex hyacintho & ceteris prius flosculos format, aurumque subnectit: & unus est habitus sacerdotis, ut iisdem coloribus micans gratiae decorisque diversitas, ordinis diversitate resplendeat . . . . Hyacinthus autem aëris habet similitudinem, quem spiramus & cujus carpimus flatum: purpura quoque speciem aquarum exprimit: per coccum ignis intelligitur: terra per byssum, haec enim ex terra gignitur. Ex his quatuor elementis corpus subsistit humanum*. Sed & serm. 18. in Psal. 118. num. 22. de cocco haec superioribus consentanea notavit: *In cocco enim species ignis . . Denique in Exodo coccum pro igne collocatum est. Non enim ex cocco mundus, sed ex quatuor constat elementis: sed in cocco figura ignis expressa est; cujus vapor nisi caelum atque aerem maria terrasque penetraret, omnia tamquam effetis viribus solverentur*. Postremo lib. de Tobia num. 77. sic incipit. *Sapientiae vestimentum est ex illis indumentis, quae ex bysso & purpura Sapientia sibi fecit. Hoc est, indumentum Fidei constat ex praedicatione caelestium, & dominicae sanguine passionis: bysso* (enim) *aetherea figurantur, purpurae specie mysterium sacri sanguinis declaratur* (in hoc paullum, sed argumento serviturus, variat; nam alibi purpuram designasse mare aut aquas, byssum vero terram, ex Josepho suo docuerat) *quo regnum caeleste con-*

(665) Josephus III. Antiquitat. cap. 7. sect. 7. quatuor illorum colorum eadem quae Exjosippus mysteria tradidit. Τάτε φάρση ἐκ τεσσάρων ὑφανθέντα &c. *Vela quoque ex quatuor* [generibus] *contexta naturam elementorum referunt: nam & byssus terram videtur designare, quum linum ex tellure nascatur: purpura vero mare, ut quae conchylii* [utique marini] *sanguine cruentetur: aerem vero hyacinthus prae se fert: coccus denique pro ignis symbolo merito haberi potest. Praeterea & pontificis tunica, utpote lintea, terram designat, hyacinthus vero caelum* [credo aereum] &c.

Nec aliter in Bello Jud. lib. V. c. 5. sect. 4. *Quod oppandebatur velum, id operis Babylonii peplum erat, ex hyacintho, bysso, cocco atque purpura variegatum, tum operis miraculo insigne, tum quod materiae admixtio tales significationes haberet, quibus rerum universitatem adumbraret. Nam cocco ignem designare videbatur, bysso terram, hyacintho aerem, purpura vero mare: duobus quidem ea quae dixi colore suo referentibus; bysso vero purpuraque, ratione originis, quandoquidem terra byssum, mare purpuram gignit.*

conferatur. Vide quot locis, quae in Excidio scripserat, pro suis agnoverit.

Pergit ibidem Exjosippi descriptio. *Duo erant tabernacula sacra, unum interius, alterum exterius: in hoc semper introibant sacerdotes: in illud interius, quod SECVNDVM* (ad Heb. IX. 2. 3. 6. 7.) *appellabatur, semel introibat tantummodo princeps sacerdotum*. In his vero & quae sequuntur immane quantum recedit ab Josepho suo, sive quae ille de Templo in III. Antiquitatum affert, sive quae in Bello Judaico lib. V. cap. 5. aut ubi demum in utroq. opere de Pompeio Magno Templi adytum ingrediente narrat. Nam ubi quaeso in toto Flavio, tabernaculi *Primi* & *Secundi* nomina ac discrimen? Hoc igitur totum ex Epist. ad Heb. IX. 2. 3. sumptum fuit, ubi scribitur. *Tabernaculum enim factum est Primum, in quo erant candelabra* &c. *Post velamentum autem Secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum*. Sic etiam versu 6. & 7. *Prius tabernaculum* a *Secundo* distinguit. Id quod, omisso tantisper Judaeo historiographo, secutus est Exjosippus tum heic tum lib. I. cap. 17. ubi de Magno Pompeio in penetrale irrumpente sic posuit: *Sequentibus sese suorum plurimis vidit Tabernaculum Secundum, quod soli principi sacerdotum sollemni accessu patebat, atque intus inspexit lucernam, & mensam, & thymiamaterium, & tabulas testamenti*.

Jam vero ejusdem Exjosippi libro V. capite nono, quod recitare institui, post illa verba, *In Secundum semel introibat tantummodo princeps sacerdotum*, statim sequitur, *nō sine sanguine, quem offerret pro se & pro populi delicto: hoc significante Spiritu Sancto, venturum Jesum, qui vere solus intraret interiora Divinorum penetralia sacramentorum & arcana substantiae caelestis.. solus quoque Patri sanguine suo totum mundum reconciliaret* &c. Quae etiam ex cap. IX. Ep. ad Heb. expressa fuerunt.

Verum non tam id agimus, ubinam Exjosippus ab Josepho suo, ut Apostolum sequeretur, discesserit, quam utrum in eodem argumento cum Exjosippo Ambrosius consentientia dixerit. Qui certe non uno loco eadem quae ex Excidio adscripsimus, repetivit, si minus verbis totidem, at eisdem saltem sententiis. Ac de *primo* ac *secundo* tabernaculo producam mox epistolae ad Felicem locum. Nunc libet ex lib. I. in Luc. num. 22. [ad illud Luc. I. 8. *Cum sacerdotio fungeretur* Zacharias] pauca depromere. *In quod* (prius tabernaculum) *semper intrabant sacerdotes ministeria consummantes.. in SECVNDO autem semel in anno singularis summus sacerdos non sine sanguine, quem offerret pro se & populi delictis.: Hic est ille summus sacerdos .... qui non hostiarum cruore, sed proprio SANGVINE PATREM Deum generi RECONCILIARET humano*. Vbi praeter *Primi* & *Secundi* tabernaculi discrimen, ultima utriusque loci verba sunt plane eadem.

Sed cetera Exjosippi [nō ex Josepho scil. sed de sua penu depromentis] audiamus. *Intus Thymiamaterium* (de *Thymiamaterii* insolita scribendi ratione, quam Excidium cum pluribus professis Ambrosii locis communem habet, vide dicta superiore cap. §. 1.) *intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quod ita ad Deum Patrem sicut incensum dirigatur maximi sacerdotis oratio*. Quae verba in epist. ad Felicem (666) jure suo descripsit idem, sed

(666) Ep. (4) ad Felicem episcopum num. 3. *Tu quoque quum ingrederis SECVNDVM TABERNACVLVM, quod dicitur Sancta Sanctorum.. nos quoque tecum inducas: Quum spiritu adoles aureum illud THYMIAMATERIVM, nos ne intermiseris; ipsum est enim quod in secundo tabernaculo est: de quo plena sapientiae oratio tua sicut incensum, dirigitur ad caelestia*. Quae ibidem mox addit, ea partim cum iis quae eod. cap. 9. lib. V. excidii sequuntur, partim cum I. excidii 17. [ubi de Pompeio] communia habet.

Quae quidem, ut plura alia, ab Ambrosio postea sustulit auctor sex librorum de Sacramentis [quem supra Adnot. 653. alium ab Ambrosio esse demonstravimus] lib. 4. cap. 1. qui etiam Abrosiano more THYMIAMATERIVM ibid. num. 1. & 4... ἐπτασύλλαβον fecit.

sed jam sacerdotio fungens, Ambrosius.

Pergit excidium: *Mensa: quod in ea passio Christi sit, & mysteria sacramentorum .. Lucerna quae supra candelabrum ponitur, ante SVB MODIO erat, idest SVB LEGIS MENSVRA, nunc est sub gratiae plenitudine, heptamycho* [corrige (667) *heptamyxo*, h. e. lucerna septem narium] *frequens lumen effundens, eo quod Spiritus Sanctus SEPTEM MAXIMARVM GRATIARVM virtutibus Dei templum illuminaret*. Quae quidem citra ambages spectavit Ambrosius lib. VII. in Lucam, ubi etiam verbis eisdem *Legis modium*, *Legis mensuram*, *Septem Spiritus S. gratias* tamquam sui juris iteravit. Sic igitur lib. VII. in Luc. n. 98. *Lex enim intra MENSVRAM est, ultra mensuram gratia .. Et ideo nemo fidem suam intra MENSVRAM LEGIS includat, sed ad Ecclesiam conferat, in qua SEPTIFORMIS SPIRITVS relucet GRATIA, quam princeps ille sacerdotum fulgore supernae divinitatis illuminat, ne eam Legis umbra restinguat. Denique lucerna illa, quam matutinis vespertinisque temporibus ritu veteri Judaeorum princeps sacerdotum solebat accendere, velut SVB MODIO SITA LEGIS evanuit: & civitas illa Hierusalem quae in terris est, quae occidit prophetas, quasi in valle fletus posita delitescit* (aperte heic de excidio urbis sanctae ab se olim descripto agit, eoq. & Christi vaticinantis verba, *Quae occidis prophetas*, usurpavit) *illa autem Hierusalem, quae in caelo est . . . non potest tenebris & RVINIS* [en ut iterum ad excidium alludit] *hujus mundi abscondi, sed fulgens candore lucis aeternae* (rursus enim ad mysticam lucernam redit) *luce nos gratiae spiritalis illuminat*.

Eadem supra scripta Excidii verba spectavit etiam auctor Apologiae David secundae [quem quidem auctorem haud alium ab ipso (I) Mediolanensi Ambrosio fuisse, tam certum, quam quod certissimum puto] & ita spectavit, ut non tantum sententiam, sed & novam illam nusquam alibi lectam *Heptamyxi* vocem usurparet. Sic enim num. 49. loquitur: *Quae autem lux Christi, nisi Lex & Evangelium? .. Quia lux Christi in Lege praecessit: cujus postea in Evangelii gratia, quasi in Heptamyxo Spiritu, universa mundi hujus implevit*. Qui locus in speciem obscurior, re vero ipsa (II) clarissimus est. Exspecto jam ecquid eis sit spei reliquum, siqui adhuc in eo se obfirmant, ut Exjosippum atque Ambrosium, qui unus idemque est, in duos auctores discerpant.

§. II.

Exjosippi celebris de bono mortis concio diversis ab Ambrosio locis expressa.

Latinam excidii historiam claudit lon-

 gissi-

(667) Hanc correctionem Gronovio debemus, in cujus membranis *Heptamixo* scriptum erat. Eum vide in Monobib. pag. 249. Eamdem vero etiam Apologiae David alteri debeo [de qua in Appendice Ambrosiana ad finem Partis II. dicam] in qua dum haec eadem repetuntur, diserte *Heptamyxo* scribitur. Porro ἑπτάμυξος Latine *Septinaris* dici posset; nam μύξαι *nares* sunt. *Nares* autem tam Latine quam Graece lucernae tribuebantur. In carmine de Sodoma inter Tertulliani opera: *Si denique testae* [h. e. lucernae] *Luciferam NAREM sistens*. Ex quo vides *narem* esse ex qua prodit ellychnium. Eamdem Graeci nihilo secius ῥῖνα, & μυκτῆρα, & μύξαν appellant. Δίμυξον lucernam poetae plures apud Athenaeum memorant. Sic fit etiam ἑπτάμυξος.

(I) Videbis in *Appendice Ambrosiana*, quam parti II subtexam, longiorem Disquisitionem, qua Apologia David altera Doctori Mediolanensi certissime asseritur.

(II) Nempe obscuritas eo tota redit, quod verbum *Impleo* [Ambrosii more imitantis antiquos] patrium casum gerit. *Quia*, inquit, *lux Christi in Lege praecessit* [de Christo enim Moses & Prophetae scripserunt] *cujus* (nempe *lucis*: pro *Qua luce*) *postea in Evangelii gratia, quasi in Heptamyxo Spiritu* (Spiritum septiformem intelligit, a lucerna ἑπταμύξῳ ducta metaphora) *universa mundi hujus implevit*. Quae sententia plane Ambrosiana est, quia lucerna, quae antea *sub modio sita legis* [ut alibi loquitur Ambrosius] non poterat fulgorem suum exerere, nunc supra mensuram supraque modium posita, totam mundi hujus universitatem collustrat.

gissima illa Eleazari ad mortem consciscendam adhortatio : quae [ubi ab insano concionatoris mortem voluntariam suadentis scopo discesseris] plena gravitatis est, plena eloquentiae luminibus : quam adeo non erubuit Ambrosius, ut ex ejus fluentis sua crebro plantaria irrigaverit. Cujus rei proderit specimina dare aliquot : ita tamen,ut (ne forte insertis παραλλήλοις Ambrosii locis, Exjosippi concio discerpatur) Exjosippi quidem solidam heic concionem exhibeam, paria vero Ambrosii loca in adnotationibus seponam.

Ergo in Excidio ab exemplis orsus, in Abelem & Cainum desinit hisce verbis. *Deniq. Abel cito occiditur* (al.*occidit*) *Cain supervixit : ita mors innocentiae fuit,et vita aerumnae. Ex illo in eamdem sortem successimus, ut vivere miserrimum fieret, mori beatum. Quid est enim vita nisi carcer animae ; quod intra hoc ergastulum clauditur, & carnali adhaeret consortio? cujus infirmitatibus quatitur ; labore affligitur, ira conteritur, accenditur cupiditatibus, vexatur furore, nec se facile attollere potest humi nexa, concreta pulvere, stricta vinculo, nervis irretita*. Quae incredibile dictu est quot locis Ambrosius, nunc dilataverit, nunc vero contraxerit, praesertim libro De bono mortis : quem librum ex ea Eleazari oratione magna ex parte adumbravit. Sed vide prae ceteris eximium locum extremo (668) lib.2. de Cain : ubi hoc idem argumentum De Abele & Caino, etsi verbis scitisque diversis, illustrat.

Mox in Exjosippo pulchra sequitur animae praestantiae laudatio, cujus stricturas est ubi in Ambrosio deprehendas : quas nunc piget anxie conquirere. At illud prae ceteris in Exjosippo de anima notabile est. *Nec corporalibus oculis cernitur, nec INGRESSUS ejus aut EXITUS ejus ullo aspectu deprehenditur, instar quoddam divini muneris repraesentans*. Qui locus totus interpretis est, nihil Josepho debens ; alluditur enim ad Illud Evangelii Joannis, *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat*. Ad quae pluries haud dubie spectasse Ambrosium deprehendi : sed unus & alter (III) locus ad manus est.

Pergit

(668) Lib.2. de Cain num.57. ,, Ecce enim justus, innocens, pius (Abel) propter gratiam devotionis (h.e. religionis) odia fratris incurrens, immaturus adhuc aevi sublatus est parricidio ; & iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna caede pollutus, longaevam duxit aetatem, duxit uxorem, posteritatem reliquit, urbes condidit, & hoc meruit permissione divina. Nonne in his aperte vox Dei clamat ? Erratis, qui putatis hic esse omnem vivendi gratiam. Non intelligitis.. senectutem hanc miseriarum esse veteranam ; processionemque aetatis, aerumnarum stipendia ; & Scylleo quodam usu circumsonari nos quotidianis naufragiis, tundi fluctibus, in scopulosis habitaculis degere, sicut non tam aeternum animal, quam immortale malum : Ergo & isti Cain longaevitas indulta, vindicta est. ,, Et plura in eamdem sententiam. Quibus & illa adde, quae de eod. argumento paullo superius (num. 35.) egregie disputaverat. ,, Qui [Cain] quum esset perpetuis suppliciis obnoxius, non remitti sibi poenam poposcit, sed vitam corporis hujus .. in qua plus aerumnae est quam voluptatis. Mors enim una est in secessione animae & corporis, & in fine istius vitae : quae (finis) simul ut venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consuevit. Metus vero qui hanc vitam viventibus ingruunt, maestitiae, dolores, gemitus, diversique cruciatus .. plurimas etiam mortes generi humano inferunt, ut ista mors remedium esse videatur, non poena. Non enim peremptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur. Nam si nocentes moriuntur ... finem non naturae sed culpae adipiscuntur .. quibus vita foenus est delictorum. Si autem bonae spei compotes sunt, migrare magis quam deficere credendi sunt. ,, Longe plura ejusdem argumenti habet libro *De bono mortis*.

(III) Lib. de bono mortis n. 44. *Non solum quum* (anima) *recedit a corpore, sed etiam quum est in corpore, est in manibus Domini ; quia non vides eam unde veniat* [hic est Exjosippi *Ingressus*] *aut quo vadat* (is vero est *Exitus* Exjosippi). *Est enim in te, & est cum Deo. Denique cor regis in manu Domini*. At idem De fide resurr. num. 20. ὕστερον πρότερον in illo Evangelico dicto, ut id suo instituto accommo-

Pergit auctor Excidii. *Ea tamen sibi oneri est quamvis aliis ad usum redundet: & quod corpori donat* (dum illud vivificat) *sibi detrahit. Gravatur enim & quasi in terram inclinatur cum isto mortali corpore*: & plura eleganter in eamdem sententiam: quibus similia passim habet Ambrosius, praesertim lib. De bono mortis num. 26. & 27. & rursus num. 42. quibus non immorabor.

Proxime sequitur. *Itaque vita corporis mors est animae, & rursus corporis mors animae libertas videtur. Dum enim sumus in isto corpore, servit anima nostra, ac misera quadam servitute, qua de Paradiso exsulat, & a suo principe peregrinatur.* Et haec quoque trita in Ambrosio sunt.

Statim sequitur: *Vbi autem fuerit istius carnis ABSOLVTA vinculis, in illum purum & splendidum SVPERIOREMQVE REVOLAT LOCVM.* Quorum non tantum sententiam sed & (IV) verba (quae litteris majoribus edidi) lib. 2. de Cain usurpavit.

Ac statim ibidem in Excidio additur: *Adest Domino Deo suo, Sanctorumque habitaculis fruitur, & beatorum gaudet consortiis.* Quibus plura quam simillima sunt in lib. de bono mortis n. 52. *Pergamus* (inquit) .. *intrepide ad patriarcharum concilium ... ad illum Sanctorum coetum justorumque conventum.* Ac plura ibidem. Quamquam & horum quoque similia leguntur apud Cyprianum in fine lib. De mortalitate.

Age vero quam pulchra illa sunt, quae in Excidio sequuntur! *Indicio nobis est quies, quantam anima per obitum corporis, resumat gratiam. Sopito enim corpore & quasi mortuis ejus cupiditatibus atque universis motibus, cum sanctis saepius conversamur: recipimus quos amisimus: ut nobis & absentes adsint, & mortui vivant, & omnis quiescat dolor*, (male heic editi, etiam primus, πελείαν σιγμὴν adhibet, quasi sequens *Appropinquemus* sit hortantis, quũ hoc potius ab *Vt* praecedente dependeat) *appropinquemus & confabulemur Deo, cognoscamus futura: affectis requies, servis libertas sit. Quod igitur dormientes somniamus, hoc defuncti adipiscimur: & quod in somno imago, hoc in morte veritatis passio est, & libertatis gratia.* Haec vero etiam non semel ita arripuit [669) Ambrosius, ut fratrem defunctum alloquitur. „ Ades & semper offunderis, & toto te animo ac mente complector, aspicio, alloquor, osculor, comprehendo, vel in ipsa quiete nocturna, vel in luce clara ... ipsae jam noctes [quae quasi molestiores vivente videbantur, quod mutui conspectus copiam denegarent] ipse jam somnus colloquiorum nostrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis esse jam coepit, quia te mihi reddidit ... Quod si in quiete nocturna vinculis adhuc corporeis inhaerentes, & quasi inter carceraria religatae claustra membrorum, possunt tamen animae altiora & discreta perspicere; quanto magis spectant haec, quum jam puro aethereoque sensu, nulla corporeae labis impedimenta patiuntur? Meritoque mihi conquerenti vergente quodam jam in occasum die, quod non reviseres quiescentem, totus omni tempore individuus adsuisti; ita ut illo perfusus sopore membrorum [quum ego vigilarem tibi, tu viveres mihi] dicerem: Quid est mors, frater? Nam certe nullis a me separabare momentis: ita enim ubique praesto eras,

commodaret, usurpavit. *Si*, inquit, *caro nostra carcerem fugit ... quanto magis anima nostra corporeum istud evadere gestit ergastulum: quae motu aereo libera* [h. e. simul ac libera fuerit] *nescimus, quo vadat aut unde veniat.*

(IV) Lib. 2. de Cain num. 36. *Quum hujus carnis anima nostra deposuerit involucrum, & quodam carcere isto fuerit ABSOLVTA* [quod verbum in hac re Exjosippo aeque atque Ambrosio sollemne ac perpetuum est] *corporeo; IN ILLVM SVPERIOREM REVOLANS LOCVM, unde nostris infusa visceribus compassione corporis hujus ingemuit, donec commissi gubernaculi munus impleret* &c.

(669) Ambros. De fide resurr. num. 21. *Scimus tamen, quod* (anima) *corpori supervivat, & ea jam depositis proprii sensus repagulis expedita libero cernat obtutu, quae ante sita in corpore non videbat. Quod exemplo dormientium possumus aestimare* [*quorum animi, velut sepulto quieti corpore, ad altiora se subrigunt & renuntiant corpori*] *rerum absentium vel etiam caelestium visiones.*

Idem vir summus in de excessu Satyri sic

ut hinc h. e. de suo ea sustulisse reperiatur.

Deinde ubi gentium barbararum, maxime Indorum de contemptu mortis certantium, exempla eleganti sermone contexuisset (de Indis autem & eorum Gymnosophistis mortem contemnentibus habet & Ambrosius pauca ep. (37) ad Simplician. num. 34. 35.) a generalibus argumentis ad Judaeis peculiaria Eleazarus concionabundus progreditur, illud potissimum urgens, pulchrum esse ultro sibi mortem inferre, ne Romanis serviant, ne in triumpho ducantur, ne bestiis exponantur, in aliave ludibria reserventur. *Hoc* [inquit extrema in oratione] *virtus exigit, hoc suadet pudor. Non timere mortem virtus est. Etenim ad mortem omnes nascimur, & ad mortem generamus liberos: quorum MORS NATVRAE assignatur, captivitas probro datur.* Quae ultima perorantis sententia, qua parte mortem NATVRAE potius, quam *poenae* deputat[quae quidem nō ab (670) Josepho est, sed ab Exjosippo interprete] pluries in confessis maximi Doctoris (671) operibus iteratur; & ita quidem, ut simul.

„ eras, ut quam in istius vitae usu haberi no„ stri copiam nequibamus, nunc nobis semper „ & ubique praesto sit. „ Et plura ibidem in eamdem sententiam.

(670) In Eleazari oratione quae apud Josephum exstat, non aliud legitur, quam, *ἐπὶ μὲν γὰρ θάνατον ἐγεννήθημεν* &c. *Ad mortem namque & nos geniti sumus, & (τοὺς ἐξ ἑαυτῶν) nostros ipsi genuimus* [*eamque fugere ne fortunati quidem possunt*] *injuria autem & servitus . . . non est ex naturae necessitate profectum.* Eorum vero loco, quae uncis inclusimus, interpres de suo illud posuit, *Quorum mors naturae assignatur.* Semper enim hic interpres ad inolitas Ambrosio [h. e. sibi ipsi] sententias in hac ipsa interpretatione recurrit. Porro alia huic similia S. Ambrosii dicta in sequ. Adnot. reperies.

(671) *Duo Ambrosii loca Exjosippo concinentia illustriora fiunt: quorum alterius caecum sub cute speciosa ulcus percuratur. Duo ἐναντιοφανῆ Ambrosii conciliantur: I. quod mors naturae non sit, sed poenae: II. quod mors natura, non poena sit. Similis Actorum S. Sebastiani sententia exponitur.*

Ambrosius in Luc. lib. VII. num. 110. *Pulchre addit* (Christus) *animae tantum formidabile esse supplicium, poenam corporis non esse metuendam; mors enim* [MORS *ἐμφατικῶς* heic accipitur: *Mors ipsa*, inquit, quae summum malorum habetur] *NATVRAE* (Scribe meo periculo NATVRA, sed auferendi casu: de quo mox) *FINIS, NON POENA EST, & ideo mortem supplicii corporalis esse defectum, poenam vero animae esse metuendam.* Quod dixi, *Natura*, fuisse ab Ambrosio scriptum, id suadet, tum quod illud alterum, quod editum est, *Naturae finis*, tolleret animae immortalitatem; tum quod everteret id, quod pluries docet Ambrosius, hominis naturam & τὸ εἶναι in anima, non in corpore positum. Vide prae ceteris Hexa. lib. VI. n. 42. *NOS SVMVS*, inquit, *anima & mens: nostra sunt corporis membra & sensus.* Et n. 43. *In qua* (anima) .. *totius humanae universitatis substantia est.* Et alibi pluries. Accedit quod ipse quid heic scripserit, citra ullas ambages ostendit in De fide resurr. num. 47. & 48. ubi etiam diserte negat, mortem finem naturae esse. Proderit huc totum eum locum adscribere. Ergo num. 47. sic orditur. „ Et „ MORS quidem in natura non fuit, sed CON„ VERSA est IN NATVRAM; non enim a „ principio Deus mortem instituit, sed pro „ remedio dedit . . . Re vera enim mors divino „ operi necessaria non fuit, quum in paradiso „ positis bonorum omnium jugis successus af„ flueret. Sed praevaricatione damnata . . vi„ ta hominum coepit esse miserabilis: debuit„ que dari finis malorum, ut mors restitueret, „ quod vita amiserat. Immortalitas enim one„ ri potius quam usui est, nisi adspiret gratia. „ (Num. 48.) Et si bene discutias non NA„ TVRAE MORS ista est, sed malitiae: MA„ NET enim NATVRA, malitia moritur. „ Vides quam merito in illo superiore loco [*Mors enim naturae finis, non poena est*] gignendi casum in auferendi mutaverimus. Nam quo pacto *Mors naturae finis*, quum heic neget, mortem esse *Naturae mortem* [i. e. finem] imo & *Naturam manere* non mori affirmet? Sententia autem suprascriptorum verborum [*Mors natura finis, non poena est*] ex alibi perspecta Ambrosii mente non nisi talis erit: *Mors natura* [recte *Natura* suapte dixit, quia mors, quae in natura non erat, *conversa est in naturam*] *non poena est*, sed (potius) *finis*, supple *poenae*. Mortem enim finem esse supplicio-

mul omnem Pelagiani dogmatis suspicionem detergat. Hactenus ex longissima Eleazari concione hausisse sufficiat.

Est & in eod. Exjosippo lib. III. cap. 17. elegans altera ex persona Josephi ipsius, qui de Bello Judaico scripsit, oratio, qua respondet popularibus suis, qui eum post Jotapatae excisionem ad necem sibi inferendam stimulabant. Qua in oratione sunt etiam quaedam Exjosippo cum Ambrosio communia: quae imus pagellae (672) limbus indicabit.

§. III.

ciorum, & in adscriptis locis & millies docet Ambrosius. Haec nimirum est illa, quae interdum euecat, Ambrosiana breviloquentia: quamquam nec pluribus opus habuit ille, qui saepe alibi haec eadem ad vivum resecuisset.

Ibid. paucis interjectis, haec addit: *Hoc ipsum* [quod proxime dixerat] *indicio est MORTEM NON ESSE NATVRAE* [h. e. *mortem non esse naturae mortem* seu *finem*] *quia iidem erimus, qui fuimus*.

Ex hactenus animadversis [praeter loci Ambrosiani certissimam imo necessariam correctionem] duo praeterea ex magno Ambrosio etsi in speciem pugnantia, discimus: unum quod *Mors naturae non est, sed poenae*: alterum quod *Mors natura, non poena sit*. Priore in effato MORS bis est accipienda, semel pro secessu animae a corpore, & hac notione est enunciationis τὸ ὑποκείμενον [*subjectum*]; iterum vero pro *Fine*; qua quidem acceptione est ἐπικείμενον sive subjecto adjacens. Nam sensus est, *Mors non est mors* [h. e. finis], *naturae* (quia post secessionem *Natura manet*) *sed est mors poenae*, sive poene finis. Eoque pertinet, quod Doctor ait, postquam homo ad miserias damnatus fuit, mortem fuisse solatio, contra immortalitatem fraudi fuisse futuram.

Posterius autem pronuntiatum, qua parte *mortem naturam esse* docet, id ipsemet verbis supra adscriptis docet: *Mors in natura* (initio) *non fuit, sed* (post damnationem) *conversa est in naturam*. Eodemque intellectu in suo Exjosippo idem Ambrosius dixit; *Mors naturae ASSIGNATVR*, post peccatum scilicet. Sed & eadem plane sententia auctoris Actorum S. Sebastiani fuit verbis illis, quae supra ad XVIII. mensis hujus pag. 677. explicavimus & a Pelagianismi labe detersimus: *Qua ratione*, inquit, *mori timeant, qui sciant, hanc hominis esse NATVRAM NON POENAM?* Quo quidem commentarii mei loco, etsi nondum recitata Ambrosii loca vidissem, eamdem plane, quam Ambrosius in De fide resurrectionis, interpretationem attulimus. Et sane poterant, ob eam saltem sententiam Ambrosio maxime consentaneam, ea Acta Ambrosio auctori vindicari, si stylus & dictio ad-dicerent: quod etiam supra pag. 833. monuimus, & infra in Appendice Ambrosiana accuratius discutiemus.

Quatenus autem idem illud effatum *mortem esse poenam* negat, id quale sit, idem saepe laudatus Doctor edisserit. Nam quo pacto poena sit, quae sit potius poenarum finis, ad quas homo damnatus fuit? Cui proinde immortalitas oneri non ferendo fuisset: nunc vero mors ad levamentum miseriarum indulta fuit.

Atque haec ultima, quae pluribus locis repetit Ambrosius, satis ostendunt, quam prava sit ejusd. loci, quem initio hujus Adnot. adscripsimus correximusque, lectio illa, quae in Rom. editione (tom. 1. p. 109. versu ult.) exhibetur, nempe ut utrumque gignendi casu scribatur, tum *Naturae* tum etiam *Poenae*: *Mors enim NATVRAE finis, non POENAE est*. Atqui ut jam copiose ostendimus, Ambrosius pluries contrarium docet, mortem scil. non naturae finem, sed poenae esse. Adhaec eadem lectio etiam Ambrosii in Lucam commentantis scopo contraria est. Ac de his satis.

(672) Josephus apud Exjosippum III. 17. sic incipit. „ Et quis velit esse tantae morti „ superstes? . Quis animam suam nolit ex ipso „ corpore mortis, si liceat, absolvi? Sed non „ licet solvere nisi ei qui ligaverit? . Quis ani„ mae & corporis nostri Deo placitum contu„ bernium dissolvere audeat? Siquis imposita „ manibus suis praecepto herili vincula sine ar„ bitrio domini sui detrahat, nonne is gravi „ pulsasse injuria suum dominum condemnabi„ tur? Dei possessio sumus, Deo servitium de„ bemus: quasi servi exspectemus imperia, qua„ si vincti reservemus vincula, quasi fideles bo„ num depositum custodiamus. „ Et post plura in eam sententiam cumulata, concludit: „ Si „ lucrum est mori, furtum est usurpare ante ex„ spectatum: si bonum est vivere, sacrilegium „ est repudiare antequam poscatur. „ Ac plura diserte ibi addit alia, ut suadeat, non licere injussu imperatoris Dei assignatam vitae stationem deserere.

Atqui & in his Ambrosius sese est imitatus lib. De bono mortis num. 7. ubi usurpans illud, *Mihi vivere Christus est & mori lucrum*, & illud

§. III.

Quaedam alia Exjosippi loca cum paribus Ambrosianis componuntur.

Josephus lib. V. cap. 1. sect. 3. urbis sanctae calamitates, quas narrare adoriebatur, deplorare vixdum exorsus, statim se continet, filumque τῶν θρήνων abrumpit, ut τῷ νόμῳ τῆς συγγραφῆς [*legibus historiae*] pareat. At ei lamentationi justo indulgentior Exjosippus [lib. V. c. 2.] fuit: utinam non & in eadem remissior, quippe quam haud satis elimasse videatur. Qualiscumque tamen ea est, tota Ambrosiana est. Ibi quum antiquos viros sanctissimos ad lessum faciendum citaret, sic posuit: *Exsurge Aaron, qui aliquando quum . . mors plurimos populi depasceretur; stetisti inter viventes ac mortuos; & mors stetit, atque OBIECTU corporis tui haesit lues, nec transire potuit ad contagionem viventium*. Idem repetitur III. 16. ubi sic Judaeos concionantes inducit: *Ubi est Aaron, qui inter vivos ac mortuos medius stetit, ne mors viventem populum saevo contagio depasceretur*. Atqui hoc Aaronis exemplum [quod ibi Exjosippus praeter Josephi mentem de suo admetitur; quodque sive interpretationem loci Num. XVI.

illud alterum Simeonis, *Nunc dimittis servum tuum*: haec addit: „ Christus enim rex noster „ est; & ideo quod rex jubet, deserere non pos„ sumus & contemnere. Quantos imperator „ terrae hujus in peregrinis locis .. muneris „ alicujus causa jubet degere? Numquid hi in„ consulto imperatore discedunt? Et quanto „ amplius est divinis parere quam humanis? Vi„ vere ergo Sancto Christus est, & mori lu„ crum. Unde Apostolus quasi servus non refu„ git vitae obsequium, & quasi sapiens lucrum „ mortis amplectitur. „ Mitto cetera describere.

Ibidem Exjosippus non longe a fine: *Si nullum praeceptum* [abitionis] *nullum* (proinde) *viaticum*. *Quis nos recipiet in illum purum & secretum locum? Quis nos admittet ad illa sanctarum animarum consortia?* .... *Animas quoque eorum* [nempe τῶν αὐτοχείρων, *manus sibi afferentium*] *non paradisus recipit, sed inferorum tenebrae saevaque supplicia* .... *Tu modo, omnipotens Pater .. rumpe naturale hoc vinculum: redde animam meam secretis tuis*. Quibus verbis qua parte ad animarum post hanc vitam receptacula alluditur, cognata iis habet Ambrosius lib. de bono mortis a cap. 10. ad libri finem.

Jam vero in hisce Excidii concionibus, sive ubi voluntaria mors suadetur, sive ubi reprehenditur ac vetatur, plures sunt peculiares voces quas inde, jure suo scilicet, sibi arrogavit Ambrosius. Confer eas, quas dixi, Excidii conciones cum lib. de bono mortis, & de fide resurr. & alibi: plura hujusmodi verba tute ipse notabis. Verbi causa, ubi de mortis debito sermo est, *Absolvi* absolute ab utroque scriptore ponitur pro eo quod est ex vinculis hujus corporis solvi; & *Absolutio* mors ipsa est.

Cui consonum est, quod ab utroque corpus carcer animae vocetur. *Quid est enim vita* [ait Excidium V. 53.] *nisi carcer animae, quae intra hoc ergastulum clauditur, & carnali adhaeret consortio?* Id quod ubinam non inculcat Ambrosius? Nisi quod in hac re *Gurgustii* voce saepe eleganter utitur. Ut lib. 2. de Jacob num. 35. *Cui liceret corporeo isto exire gurgustio, & superna paradisi penetrare*. Et de bono mort. *Carcereo corporis hujus exuta gurgustio*. Quo verbo in eadem re utitur etiam in Hexa. lib. 1. n. 32. & De Cain lib. 2. n. 3. non semel; & ep. (34) ad Horont. n. 4. Quae vox quam sit carceri minime impropria, Servius docebit.

Adhaec vitam hanc *Corporis contubernium* uterque scriptor vocare amat. Sic ubi Josephus concionans inducitur lib. III. Excidii c. 17. initio: *Quis hoc animae & corporis .. contubernium .. dissociare audeat?* Ibid. ante finem: *Cum solvitur corpore atque de commisso sibi contubernio sejungitur*. Et V. 53. animam fruituram sanctorum consortiis, ex eo colligit, *Quod nullam jam habeat cum mortuo societatem, & contubernium cadaveris dereliquerit*. Atqui nec aliter Ambrosius De bo. mort. n. 10. *Sapiens .. absolvit animam suam corpore, & ejus ablegat contubernium, quum illam veri tractat scientiam*. Et n. 14. *Non secundum animae & corporis copulam* (vita) *bona est, sed ut .. quod animae est magis, quam id quod contubernii & conjunctionis operetur*. Mox ibidem: *Anima bona, quae se .. abducit a corporis contubernio; & mors utique est bonum, quae animam a societate carnis hujus absolvit*. Et num. 16. *Per mortem ... anima liberatur, dum a corporis contubernio secernitur*. Hinc alicubi Mediolanensis corpus animamque, *contubernalem* unam alterius nuncupat.

XVI.48. sive potius rhetoricam amplificationem continet] Ambrosius ita (673) familiare habuit, ut saepissime eisdem verbis inculcaverit.

Ibidem sequitur: *Suscitare Elisaee, qui hostem introduxisti in Samariam & amicum fecisti* (de quo 4.Reg. cap.6.) *per te in castris Syriae quadrigarum increpuit fragor & VOX EQVITVM ET VOX VIRTVTIS: fugit hostis, evasit obsidionem Judaeus.* Quae ex 4. Reg. cap. 7. contracta sunt. Atqui eadem duo facta ita Ep. (15) ad Clerum Thessalonic. repetuntur, ut etiam verba eadem iterentur. Quem sane obscuriorem (674) locum videsis inferne expeditum.

Sunt

(673) Ambrosius in II. de Offic. cap. 4. n. 11. *Quid Aaron, quando se beatiorem credidit, quam tunc quando medius stetit inter vivos ac mortuos, & OBIECTV SVI statuit mortem, ne ad vivorum transiret agmina a cadaveribus mortuorum?* Adhaec epist. (4) ad Felicem n. 5. *Aaron .. stetit in medio eorum OBIICIENS SE, ne mors transiret ad viventium agmina a funeribus mortuorum.* Et epist. (63) ad Verc. Eccl. n. 56. *Qua indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi Moysi & Aaron primo precibus inflexus, post etiam OBIECTV sacerdotis sui Aaron.* Postremo lib. de Tob. n. 76. *Aaron .. inter duas partes populi constitutus, mortem a defunctis serpere in sortem vivorum sui corporis non permisit OBIECTV.*

(674) *Ambrosii elegantissimus verborum lusus, sed paullo tectior, exponitur.*

Ep. (15) ad Cler. Thessalon. n. 6. scribitur: *Elisaeus quidem in Samariam captivas acies induxit Syrorum.* Libet heic paullisper resistere. Quo enim *Syrorum acies* gradientes memorat? Dixisset aptius *Agmina*; necdum enim Syri instruxerant *acies*, ut qui vadebant adhuc. Vide 4.Reg.VI.18. & seq. Deinde si *Aciei* voce pro *Agmine* abuti maluit; cur non potius singulo numero *Syrorum Aciem* usurpavit? Nam pluralis numerus in hoc nomine non nisi ad sibi mutuo adversas acies refertur. At ne morer; scimus, interdum pluralivum *Acies* pro oculis usurpari: ut quũ Lactantius de Opif. Dei cap. 10. *Vtramq. aciem* [h.e. utrumq. oculum] naso discerni dixit: mox ibidem: *Visus in duas acies, & odoratio in duas nares divisa est.* Itaque heic *Syrorum acies* sunt oculi Syrorum contra Samariam vadentium; quos Elisaeus ubi oratione sua caecitate percusserat; Syris caligantibus se ducem praebens, in medium eos Samariae, veluti captivos intulit; eoque *captivas acies* i. e. oculos vocavit: cujus non absimile est illud, *Rapit ungula currum*, parte scil. pro toto accepta. Quamquam ut id quod est fatear; videtur Plautinum illud imitari Noster voluisse, *Oculorum praestinguat aciem in acie hostibus.* Quo loco antanaclasin esse volunt, quia *Acies* semel de oculis, rursus de hostibus usurpatur. At Ambrosius Syllepsin oratoriam (nim. a grammatico schemate diversam) usurpavit: quae fit, ubi verbum notionis ancipitis simul ac semel utroque significatu adhibetur. Hujus tropi exempla Vossius in IV. Instit. Or. cap. 10. §. 7. suppeditabit. Et acies igitur hostiles intellexit [quas veluti captivas in urbe media stitisse Elisaeum dicit] & simul oculorum acies; quas pulchre *captivas* vocavit, sicuti caecos *oculis captos* nuncupamus. Quare si sapimus, in utroque vocabulo syllepsin intelligemus. Non enim tantum *Acies* ancipiti notione usurpavit, sed & *Captivas*: quod nomen tum trito significatu accepit, tum recondito altero, quo *oculos captos*, nim. caecitate dicimus.

Dixerit aliquis, fore expeditius, si *acies* καταχρηστικῶς pro *Agmina* accipiamus; praesertim quum in III. offic. n. 5. Syros *captivos*, non Syrorum oculos dixerit his verbis: *Oravit Elisaeus, & omnes illos caecitate percuti fecit, & CAPTIVOS intrare in Samariam.* At respondeo, in loco, qui ad manus est, mancam fore narrationem, nisi *Captivus acies* ad caecitatem retulerimus. Statim enim sequitur: *Sanctus autem Acholius* (hujus enim factum cum illo Elisaei comparat) *precibus suis fecit, ut de partibus Macedoniae victoros fugaret .. Nonne ET HOC CAECITATIS est, ut fugerent, quos nullus urgebat?* Atqui intempestiva prorsus haec in Acholii facto commemoratio caecitatis esset (*& hoc*, inquit, *caecitatis est*) nisi hanc & in Elisaei miraculo per illud *Captivas acies* significasset. Deinde qui ingenium Ambrosii novit, sat scio, nostrae interpretationi subscribet.

Pergit autem Antistes ibid. num. 7. *Nonne otiosus erat Elisaeus? Otiosus scil. corpore, sed vibrabat spiritu, & orationibus praeliabatur, quando in CASTRIS SYRIAE VOX EQVITVM ET VOX VIRTVTIS MAGNAE audiebatur.* Quo loco majoribus exhibui litteris ea, quae eisdem verbis Exjosippus scripserat: quae tamen ipsa veteris Vulgatae fuisse videntur, expressa scil. ex LXXvirorum 4. Reg. VII. 6. verbis illis φωνὴν ἅρματος, καὶ φωνὴν ἵππε, φωνὴν δυνάμεως μεγάλης: quae in hodierna Vulgata aliter leguntur.

Sunt & alia passim Exjosippi sive scita sive dicta, quae ita Ambrosius repetit, ut non obscure ipse se imitatus videatur: quae sicui cupido est cognoscendi, adeat inferne (675) adnotata.

Nec pluribus opus est: praesertim, quod

(675) *Minutiora quaedam Exjosippi loca cum paribus Ambrosii comparata. Obiter Exjosippi locus emaculatur: alia utriusque scriptoris illustrantur.* Functio: Munium: Caulis. *Non Jordanes, sed fons Capernaum ex Nilo oriri vulgo credebatur.*

Ordinem librorum Excidii sequar. Cujus lib. II. cap. 9. in longa illa regis Agrippae suasoria de servanda Romanis fide, inter cetera hoc legitur: *Testis est Britannia extra orbem posita, sed Romanorum virtute in Orbem redacta* &c. Quibus paria lib. V. cap. 15. idem Exjosippus habet, ubi Josephum ad populares suos concionantem inducit: *Quid*, inquit, *adtexam Britannias interfuso mari a toto orbe divisas, & a Romanis in orbem terrarum redactas?* Haec vero ab Virgilio suo [cujus illud est, *Toto divisos orbe Britannos*] Exjosippus hausit. Memini & Ambrosium alicubi de Britannia tale aliquid usurpasse: etsi nunc quidem non aliud ad manus habeo, quam illud ex lib. 2. de Abr. num. 40. *Ab Indiae quoque littoribus ad Herculis, ut ajunt, columnas, vel Britanniae extrema* [forsitan scripsit *Externa*, quia Britannia extra columnas, extraque orbem notum erat] *confinia*.

In eadem Agrippae oratione illud quoque sumptum a Marone est, quod fila serica *Lanam* appellat. *Nec miratur Indus gemmam suam, aut Seres LANAM suam. Ad usum dominorum* (Romanorum) *exercentur illa, non pretio mercium, sed FUNCTIONUM munia*. Vox *Functionum*, ut in transcursu notem, passim in utroque Codice pensitationes tributorum notat: *Exercere* vero verbum est rei exercitoriae & artificii proprium. Postremo videndum, quo pacto corrigi is locus possit (qui etsi in Editione prima aeque ac sequentibus eodem modo legitur, tamen vitio non caret) an inquam legendum per appositionem sit, *Non pretia mercium, sed functionum munia*, quasi dicat: *Non* (tam) *pretia mercium* (quam) *functionum munia*; haud raro enim quod minus est, negatur. Sed tamen malo utrumq. auferendi casu ab auctore scriptum, *Non pretio mercium, sed functionum munio*. Porro *Munio* dictum, ut *Altario* & ejusmodi plura, quibus aetas sequior delectabatur. Et certe singulare *Munium* ab Vet. Glossis agnoscitur, tamquam *Functionis* synonymum; utrumque enim redditur λειτουργία, vox ad tributorum illationes pertinens. At vero plurativum *Munia* [a quo fit MUNIORUM apud Sponium p. 36.] in eisdem Glossis sunt Ἔργα, ut sit magis vox militaris, unde & *Immunis*. Ergo *Exercentur*, inquit, *non tam pretio mercium* [ut pro iis persolvi ab Romanis pretium tamquam pro mercibus debeat] *quam MUNIO* [h. e. illatione] *functionum*. Habes loci sane quam difficilis correctionem atque explicationem.

Cur autem LANAE vocabulum ab Virgilio adscivisse Exjosippum dixerim, reddet rationem Ambrosius in παραλλήλῳ loco, qui exstat Hexa. lib. V. num. 77. ubi ex illo Virgilii in II. Georg.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres,

Vellerum & ipse sicut & *foliorum* nomen in historia vermis Indici usurpavit. *Fertur*, inquit, *hic corniger vermis* [Indicus] *converti primum in speciem caulis*. Proderit & heic subsistere. Latinius, qui in Basilio [ex quo Hexaemeri plura traxit Ambrosius] legisset εἰς κάμπην τὰ πρῶτα μεταβαλών, pro *Caulis* scribi jubet *Campae*: nimia sane mutatione, sed non tanta, quantam Romana editio intulit, in qua pro *Campae*, Latina κάμπης interpretatio substituitur, *Erucae* scilicet. Verum non de nihilo hoc est quod omnes ad unum scripti codicis & editiones illud *Caulis* retinent. Ac possem equidem plura in eam sententiam dicere, ut ostenderem *Caulis* & *Colis* vocabula aevo Ambrosii *Campam* significasse: quod, si non aliud, hic Ambrosii locus cum Basilio collatus docet. Sequitur in Ambrosiana vermis Indici descriptione. *Inde processu quodam fieri bombylius. Nec eam tamen formam figuramque custodit, sed laxis & latioribus FOLIIS videtur pennas assumere. Ex his FOLIIS mollia illa Seres DEPECTUNT VELLERA* [quae Excidium *Lanam* vocavit] *quae ad usus sibi proprios divites vindicarunt*. Haec descriptio satis cum Pliniana (XI. 22.) cohaeret, nisi qua parte *Foliorum* meminit, quod nomen [ut etiam *vellerum*] ex Virgilio sustulit Ambrosius. At Virgilius de eo loquebatur Serico, quod ex arborum canitie texebatur, eoque meminit *foliorum*: Ambrosiana vero & Pliniana narratio ad bombycinum pertinet, quod nihil cum *foliis* commune habet, sed ab Indico verme texitur: quod quidem bombycinum ab hodierno serico diversum volunt. Sed haec alii viderint.

Jam

Jam vero in II. Excidii cap. 12. Judaeorum in Christum odium cum Pilati facto his verbis comparatur. „ Intulerunt itaque parricidales „ manus, atque auctorem vitae interficiendum „ ad Pilatum deduxere: reluctantem coeperunt „ perurgere judicem. In quo tamen non excu„ sabatur Pilatus, sed Judaeorum amentia coa„ cervabatur; quia nec ille adjudicare debuit, „ quem reum minime deprehenderat; nec isti „ sacrilegium parricidio geminare, ut ab his, „ qui ad redimendos & sanandos eos sese obtu„ lerat, obtruncaretur. „ Similia his habet Ambrosius lib. X. in Luc. num. 100. 101. sed ita ut prae Judaeis tolerabiliorem Pilatum fuisse doceat: quod & imitatus est ipsius discipulus Augustinus ad Ps. 63. *In comparatione illorum* (Judaeorum) *multo ipse* (Pilatus) *innocentior*. Et quae plura ibi disputat.

Age vero ad Excidii librum III. extremum referendum est illud, quod paucis expediam. Ambrosius lib. 2. de interpellat. David cap. 4. num. 14. de Jordane sic τροπολογίζει: *Hic fluvius exit de Aegypto, & dividit terram repromissionis. Ergo qui turbatur, si boni consulit, de Aegypto exit*. Credi ne potest, putasse Ambrosium, Jordanis ortum ex Aegypto esse? Non credam. At in τροπολογία licere sibi putavit eorum opinione abuti, qui Jordanem ab Aegypto arcesserent. In hoc vero memoria eum fefellit. Nam recordabatur, tale aliquid se juvenem in fine libri III. de Excid. Hieros. ex Josepho scripsisse: quod re vera aliud erat. Ibi enim non ipsum Jordanem [cujus cum Josepho suo originem ex Phiala repetit] sed fontem Capernaum ex Nilo oriri ex eod. Josepho [in III. de B. Jud. cap. 10. sect. 8. ubi Capernaum a quibusdam φλέβα τοῦ Νείλου, *Nili venam* putari refert, idque ostendi ex piscibus Coracino similibus] narrat his verbis: *Accedit & fontis gratia.. Capernaum nomen ei, quam Nili fluminis venam haud superfluo quidam aestimaverunt* &c. At Ambrosium eorum quae in Excidio scripserat, memoria fefellit, dum ad Jordanem transfert, quae ibi de Capernao narraverat. Hoc ipsum tamen ejus μνημονικὸν ἁμάρτημα Ambrosium ipsum auctorem Excidii satis arguit.

Postremo liber Excidii quintus idemque in Exjosippo ultimus plura suppeditaret eorum, quae Ambrosius in suis operibus iteravit: sed longae jam viae pertaesus, paucis contentus ero. Ergo V. 16. sic media concione sua Josephus loquens inducitur: *Triumphavit David, quum BETHSABEAM hoc est FILIAM SABBATI suo conjugio propheticis ministeriis* (corr. *mysteriis*) *copulavisset*. Atqui nec mysterii nec etymologiae Ambrosium poenituit, quum Apologiam David alteram elucubraret: in cujus cap. X. num. 51. sic posuit: *Denique ut scias esse mysterium, interpretare vocabula.. BETHSABEE FILIA SABBATI.. Quid igitur expressius, quam quod filia sabbati caro Christi est* &c. Etsi ibidem duas alias praeterea interpretationes addit, quibus non immoror. At, inquis, quid secutus Ambrosius (sive is, unde illud veriloquium hausit) id nobis interpretamenti propinavit? Paucis sic habeto. Prima ejus vocabuli syllaba sive *Domum*, sive *Filiam* haud dubie significat. Restat *Sabee* pars altera vocis. Ea Hebraice שֶׁבַע (h. e. *Sibea* aut *Sabea*) scribitur, & *Septem* aut *Septimum* (supple *diem*) notat. Atqui *diei septimi* nomine Sabbatum intelligebant. Hanc re vera fuisse Ambrosio mentem, ex eo liquet, quod ipsemet Ep. (63) ad Verc. Eccl. num. 77. de altero cognato nomine scripsit: *BERSABEE quoque PVTEVS SEPTIMI* (supple *diei*).. *Latina interpretatio est, Beer enim est Puteus*, Sabee *Septimus*. De mysterio vero in ead. Apologia fuse agitur.

Ex illa porro eleganti dirae famis descriptione, quae V. 18. legitur plura sunt, quae postea incogitanti Ambrosio sub calami mucronem incurrerunt. Prope ab initio descriptionis: *Sicubi purgamenta olerum.. aspexerant, reliqua invalidi corpore, ORE LAMBEBANT jacentia humi. Aut sicubi internata parietibus visa fuerat herba, rapientes, SVCCO INFELICI MISERAM SOLANTVR FAMEM*. Et infra: *Plerique.. egrediebantur urbem, ut herbas VELLERENT, vel RADICES DEPASCERENTVR, aut CORTICES ARBORVM DETRAHERENT, siquid in his viriditas ad cibi SOLAMINA subministraret*. Cum quibus conferenda sunt isthaec Ambrosiana Ep. (18) adversus Symmachi relationem (in quibus plura totidem verbis iterantur, quae majoribus litteris exhibui) num. 17. ubi calumniae illi respondet, quod Christianis irati dii famem ultricem immiserint: *Propterea DETRACTIS, ut ajunt, ARBVSTA exuta CORTICIBVS SVCCO miserabili deficientium ORA LAMBEMBANT.. & ad INFELICIS victus alimenta revocati, concussa quercu, FAMEM in sylvis MISERAM SOLABANTVR*. Hoc ultimum [sicuti & illud Exjosippi MISERAM SOLANTVR FAMEM] expressum fuit ex illo Virgiliano,

Concussaq. famem in sylvis solabere quercu.

Mox in ejusdem Epistolae num. 20. *Nec HERBARVM VVLSIS RADICIBVS rusticana*

quod quam mox Parte altera SS. Apostolorum Passionem auctore Exjosippo daturi sumus, ea locutiones plurimas, nec non narrationes, sententias, ac dicta contineat, quibus paria ac germana ex ipsomet Ambrosio depromemus.

C A P. VII.

Quod Regnorum historiam (quam Exjosippus jam ante Excidium contexuerat) haud obscure sibi alicubi Ambrosius arrogaverit: qui proinde etiam Excidii sese auctorem agnoscit. Libri De Elia & jejunio *inscriptio ex occasione corrigitur.*

Quum ex hactenus dictis compertum jam sit, Excidii Hierosolymitani historiam ab Ambrosii nondum episcopi calamo fuisse profectam; adhuc tamen mirabar, si nusquam S. Antistes ejus operis meminisset. Aut si ad opus illud, utpote minus sacrum, & *ultra Scripturae seriem sacrae* [ut in prooemio Excidii loquitur] imo & ex eo scriptore transfusum, cujus (676) perfidiam ibidem palam criminatur, parum decorum putavit lectores remittere; cur nusquam saltem ad historiam illam rejicit, quam ex divinis quatuor *Regnorum libris* (sic enim ex LXX. vocat eos, qui nobis *Regum libri* inscribuntur) olim contexuerat? Cujus historiae in ipso limine Exjosippus meminit; sic enim ejus prooemium incipit: *Quatuor libros Regnorum, quos Scriptura complexa est sacra, & jam ipse stylo prosecutus usque ad captivitatem Judaeorum, murique excidium, & Babylonis triumphos, historiae in morem composui.* Cur ad hanc igitur historiam certe sacram a se olim compositam nusquam in tot operibus digitum intendit,

plebs pascitur, nec baccae sylvestris EXPLORAT [*explorandi* verbum in alia famis descriptione in Excidio usurpatum memini] *SOLATIA, nec CIBVM de sentibus RAPIT.*

Adhaec ejusd. lib. cap. 30. descripto Juliani supra fidem fortissimi centurionis casu, subjicit: *Sic consternati* (illius nece) *fuerunt socii; sic elati* (Judaei) *adversarii, ut & corpus Juliani in potestatem veniret hostium* (Judaeorum) *quasi ADHVC ET DEFVNCTVM TIMERENT, si Romanis restitueretur.* Quod ita repetivit postea Ambrosius, ut & eidem sententiae robur vehementius adderet. Sic enim in illa quantivis pretii objurgatione quae exstat lib. III. de Virginib. num. 30. de S. Praecursoris capite Herodem increpat: *Os aureum illud exsangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, & ADHVC TIMETVR.* At melius in Mss. fere omnibus, *Adhuc times.*

Postremo in tota Hierosolymitani excidii historia nihil Mariae illius, quae filium sibi coquere ac mandere sustinuit, facinore famosius fuit: quod vivis colorib. Exjosippus expressit lib. V. cap. 40. Atque Ambrosio quidem occasio nulla oblata fuit, ut eam narrationem scriptis suis insereret. Nisi quod semel tantum eam sic obiter tangit [Hexaem. lib. V. cap. 3. n. 7.] ut tamen praecipuam sententiam, quam unam prae ceteris in Excidio fusius dilataverat, non oblivisceretur. *Aliae* (matres) inquit, *in fame, ut legimus, partus proprios comederunt: humanis pignoribus mater SEPVLCRVM facta est:* (at contra) *piscium proli* [nam de piscibus matribus ibi sermo erat, quos narrant impendente periculo catulos suos glutire, & alvo tamdiu condere, donec eos evaso periculo revomant] *parentis est uterus sicut murus* &c. Nec plura heic Magnus Ambrosius, ea tangens, quae copiose in Excidio edisseruerat; in quo haec inter cetera notanda sunt: *Speraveram* (fili) *quod si adolevisses, me . . sepelires defunctam: certe si praevenires obitu, quod ego te pretioso tumulo meis manibus includerem. Quid agam misera? . . Cui te reservabo? aut certe quo condam sepulcro, ne canibus alitibusve vel feris praeda sis? . . O mihi suavia viscera tua . . reddite matri quod accepistis: redi fili in illud naturale secretum: in quo domicilio sumpsisti spiritum, in eo tibi tumulus defuncto paratur.*

(676) In Excidii prooemio: „ Machabaeorum quoq. res gestas propheticus sermo, (vides heic Machabaicos libros ab Exjosippo θεοπνεύστους haberi) „ paucis absolvit: reliquorum usque ad incendium Templi & manubias Titi Caesaris, relator egregius historico stylo Josephus: utinam tam religioni & veritati attentus, quam rerum indagini & sermonum sobrietati. Consortem se enim PERFIDIAE Judaeorum etiam in ipso sermone exhibuit, quem de eorum supplicio manifestavit: & quorum arma deseruit, eorum tamen SACRILEGIA non dereliquit. Deploravit flebiliter aerumnam, sed ipsius causam aerumnae non agnovit. „

dit, & ibi maxime ubi ad res illorum temporum, quod saepe facit, digreditur?

Verum mirari desii, quum nuper Ambrosianum librum *De jejunio* legerem: cujus cap. 3. num. 5. hanc ille excusationem affert, cur paucis admodum de Eliae jejunio commemoratis, omnem de eo Propheta sermonem abrumpat. *Sed*, inquit, *de Eliae gestis plurima jam frequenti diversorum librorum sermone digessimus* [prior haec excusatio verissima est, quia passim in suis operibus Eliam personat Ambrosius: mox & alterum addit excusationis caput] *& cavendum arbitror*, *ne in eadem recurramus*; *quum praesertim IN OPERE SVO ipse laudetur*.

Ex his primum obiter adnotabis hunc librum falso *De Elia & jejunio* inscribi [alioqui quod magis *opus SVVM* dixisset, quam quod ipsemet *De Elia & jejunio* praescripsisset?] sed illam esse veram epigraphen, quae in aliquot Mss. reperitur, in quibus tantum *De jejunio* praenotatur. Et certe de Elia vix obiter in hoc opusculo meminit, nec nisi in exemplum specimenque jejunii. Atque id in transcursu dictum esto.

Adhaec autem quum nullus alius S. Doctoris liber assignari possit, qui sive *De Elia* inscribatur, sive de eo dedita opera agat: nihil aliud restat, nisi ut iis verbis *Regnorum* historia, quam ante Excidium scripserat, indicetur. Ad quam dum digitum intendit, recte ait, ibi *In opere suo* Eliam laudari; nam heic SVVM ab *Alieno* [cujusmodi est liber *De jejunio*, & quivis alius in quo obiter de Elia agitur] distinguitur. Tam igitur Regnorum historia *Opus suum* (ubi scilicet illius Prophetae historia contexenda pro dignitate fuit) dicenda erat, quam hic de jejunio liber *Opus non suum*, h. e. ab Elia alienum rectissime ab Ambrosio habetur.

Ergo dum ad Regnorum historiam, tamquam a se conscriptam, lectorem amandat Ambrosius, nae is eâdem simul opera & Excidii Hierosolymitani opus tamquam ab semet elucubratum agnoscit: quia qui *Regna*, idem & prolusit *Excidium*.

PARS ALTERA

ΔΙΗΓΗΜΑΤΙΚΗ

Qua ex Exjosippo (hoc est S. Ambrosio) SS. Apostolorum Petri & Pauli cum Simone certamen & passio proponitur defenditurque. De eorumdem festivitate.

Credo post plurimos Parte priore insudatos, si minus jucundos at minime certe infructuosos labores, hoc me saltem consecutum, nemo ut posthac sit forsitan futurus tantopere sive Pyrrhonismo, sive studio partium perdite defoeneratus, quin bona fide fateatur [id quod ceteroqui & omnis antiquitas, ut ante dictum, agnovit] Egesippum, sive potius *Exjosippum*, alium re vera non esse quam Mediolanensem Ambrosium; imo quae Excidii Hierosolymitani historia olim in Mss. Ambrosio inscribebatur, eam multo potiore jure post hanc nostram industriam eidem esse adscribendam. Quocirca ne illud quidem temere me facturum spero, si Apostolorum cum Simone altercationem ex Excidii historia (quam hactenus *Exjosippum* vocavi) deprompturus, id tandem jure meo mihi sumam, ut eam detracta jam Exjosippi larva, sub S. Ambrosii nomine aperte proponam.

Et eam quidem narrationem universam ex Corn. Gualtheri editione Egesippi, quae ceteris antefertur, adscribam. At interim in adnotatis prima textus constituendi cura erit. Itaque siqua is (*) restitui debeat, non celabo lectorem. Altera

(*) Quas castigationes in ora libri producam, earum aliquot editioni principi ab Ascensio Parisiis anno 1511. adornatae debeo, alias Abdiae Babylonio [illi dico perditissimae audaciae fabulatori, cujus Apostolica exstat historia] qui totam hanc Exjosippi de Apostolorum certamine cum Simone narrationem, infertis aliunde putidissimis commentis incrustavit: quem quidem ex Fabriciana editione Codicis apocryphi N. T. & capitum partitione

tera de locutionibus narrationis hujus [illas dico, quas consulto in Glossario praetermiseram, ut huc rejicerem] cura erit; quas omnes haud dubie Ambrosianas esse ostendam: ut etiam si ceteram Excidii historiam, tam luculenter priore parte Mediolanensi adsertam, tamen alium ab Ambrosio auctorem habere, tantisper εἰρωνευόμενος, fatear, haec saltem illius historiae pars, qua de Apostolorum principibus agitur, non possit non Ambrosio vindicari. Hoc ipsum vero ex eo multo magis patefiet, quod hanc ipsam totam narrationem Ambrosius, factus jam aetate, doctrina usuque ac judicio provectior, in suis confessis operibus non modo ratam habuit, verum etiam visus est non obscure pro fetu suo agnovisse: quod tamen [ut & ceterorum antiquorum de veritate Apostolici certaminis testificationes] in capita subsequentia differam.

C A P. I.

SS. Apostolorum Petri & Pauli cum Simone altercatio, eorumdemque passio ab S. Ambrosio descripta.

Ex Ex-josippi h. e. Ambrosii Mediolanensis Excidii Hierosolymitani Historia libro III. cap. 1. in fine.

I. DEmens tamen Nero cum Judaeorum (677) bello afflictam Romani exercitus validam manum (678) cognovisset, adversus Christianos (679) insurrexit, ut ei debitus finis (680) appropinquaret.

Ca-

ne ibi adhibita citabimus. Quaedam nos etiam, ubi opus, conjectando castigabimus, aut a Gualthero castigata adnumerabimus.

(677) Judaeorum adversus Romanos bellum aperte prorupit anno Christi LXVI. die XVI. mensis Maii, quantum quidem ex Josephi Bello Judaico lib. II. cap. 14. num. 4. & seq. potest intelligi.

(678) Quam *Afflictam Romani exercitus validam manum* heic dicit, ea ad clades duas pertinet, sub initia belli Judaici anno Neronis XII. Christi LXVI. ab Romanis acceptas: quarum prior levior fuit, & ab Josepho in II. de B. J. cap. 14. extremo describitur, ab nostro vero Exjosippo extremo cap. 10. lib. II. tangitur. At posterior multo fuit gravior: quae ab Exjosippo quidem lib. II. cap. 15. narratur, ab Josepho vero eod. lib. cap. 19. num. 7. & seq. Hanc alteram Romanorum calamitatem Josephus eodem duodecimo Neronis anno (qui fuit Christi LXVI.) mensis Dii [qui Novembri respondet] octavo die contigisse memorat. Et eo quidem certamine ex Romanis sociisque peditum quinque millia & trecenti [male Tillemontius tom. I. Caesarum in *Bell. Jud.* artic. 45. quatuor millia non amplius peditum caesa tradit] equitum trecenti octoginta perierunt. Romani exercitus afflicti tempus notandum accurate fuit, quippe quod ad S. Ambrosii de anno passionis Apostolorum sententiam [de qua suo loco erit dicendum] viam praemuniat.

(679) *QUUM* (inquit) *afflictam Romani exercitus validam manum cognovisset, adversus Christianos insurrexit*. Sane si vera heic Exjosippus memorat, Bellum Judaicum si minus unicam persecutionis Neronianae causam, at saltem ex causis unam fuisse necesse est: idque ob eam forsitan rationem, quod sub illa initia Christiani apud gentiles pro Judaeis, quibuscum bellum erat, haberi videbantur. Hac interpretatione qui delectabitur, ea, per me licebit, fruatur. Tamen certum est Neronianam insectationem biennio ante [h. e. ab anno Christi LXIV. quum tamen bellum Judaicum anno LXVI. eruperit] ex longe diversis causis originem habuisse: & hic idem Noster mox longe aliam comprehensionis caedisque Apostolorum causam assignat, quod ii scil. Simoni restitissent. Itaque sic statuo, illud QUUM non αἰτιολογικὸν (*causale*) esse, quasi pro QUOD aut QUIA ponatur, sed mere χρονοταχτικὸν [*Ordinem temporis notans*] per quam scil. particulam in gestorum ordine quid cui succedat ostenditur. *Quum* (i. e. *postquam*) *afflictam Rom. manum cognovisset, adv. Christianos insurrexit*. Addit: *Ut ei* (Neroni) *debitus finis appropinquaret*. Quibus verbis ratio redditur, cur non de nihilo hanc de Apostolorum nece historiam Josepho infindere inter-

Caput I I.

II. Erant tunc (681) temporis Romae Petrus & Paulus, doctores Christianorum, sublimes (682) operibus, clari (683) magisterio, qui virtute suorum operum Neronem adversum (684) fecerant, captum (685) Magi Simonis (686) delinimentis, qui sibi animum ejus

terpres non dubitaverit.

Verum sive *αἰτιολογικὸν* illud QVVM, sive *πακτικὸν* temporum sit; certe in ea sententia fuit Ambrosius, Apostolorum caedem posteriorem mense Novembri anni LXVI. fuisse. Quae caedes si in extremum Junium sit conferenda [de quo alibi] non alio anno, quam Christi LXVII. erit consignanda. Quod si ea mense Februario contigit; tum in ann. LXVIII. erit differenda. Alterutrum Noster recte censuit, ut in Auctario exponam.

(680) Concinit huic Ambrosii loco Lactantius in De mortib. persecutorum cap. 2. his verbis: *Primus omnium persecutus Dei Servos* (Christianos) *Petrum cruci adfixit, Paulum interfecit. Nec tamen abiit impune. Respexit enim Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperii* &c.

(681) *Erant*, inquit, *tunc temporis* [in quod scil. initia belli Judaici incidunt, h. e. anno Christi LXVI. ut in Adnot. 677. 678. 679. dixi] *Romae Petrus & Paulus*: qui in Italiam *φοιτήσαντες* [*profecti*] a Dionysio Corinthio dicuntur apud Eusebium II. Hist. eccl. 25. Quo tamen loco nescio cur vir summus H. Valesius, *In Italiam SIMVL profecti* verterit; quum illud Dionysianum *ὁμόσε* non ad praecedens ac remotius *φοιτήσαντες*, sed potius ad *διδάξαντες*, quocum proxime copulatur, haud dubie sit referendum. Non simul ergo venere in Italiam, sed Romanos *simul* eodemque tempore docuerunt.

Quae mox heic sequuntur, *Doctores Christianorum .. clari magisterio*, iis verbis eumdem illum Dionysii Corinthii locum, quem modo indicavimus, exprimere voluisse videtur.

(682) *Sublimes operibus*. Delectatur hoc adjectivo Ambrosius. In Ps. 36. n 28. *Sunt plerique simplices Domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinentia & virtute sublimes*. In V. Hexa. num 56. *Hirundo minuscula corpore, sed egregie pio sublimis affectu*. Et lib. de bono mortis num. 29. *De quo sublimis est sententia Apostoli dicentis* . . . Lib. 1. de excessu Sat. n. 49. *Quam incredibili admiratione* (Satyrus) *in auditorio praefecturae sublimis emicuit!* Vbi tamen dubium est, utrum SVBLIMIS ad Satyrum referatur; an vero sit praefecturae titulus. Certe sedes praetoriana *sublimissima* vocatur l. 14. Cod. *De judiciis*. Et *Sublimissimi judices* usurpatur l. 37. §. pen. & l. pen. Cod. *de appellat.*

(683) *Opera* [h. e. miracula] *magisterio* heic jungenti Ambrosio concinit Lactantius cap. 2. de mort. pers. his verbis: *Quumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit* [quod de secundo adventu est capiendum: nam prior ad alterum aut tertium Claudii annum ex Eusebio & aliis est conferendus] *& editis quibusdam miraculis* [ea sunt Exjosippi OPERA] *quae virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit*. Idem in IV. Div. instit. c. 21. de Apostolis testatur. *Fundamenta Ecclesiae ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine Dei magistri magna & paene incredibilia miracula*: Haec notasse nimiae diligentiae fuit: sed malui in eam partem peccare.

(684) Quae statim post adscripta verba superiora ex lib. de mort. persec. apud Firmianum sequuntur, satis cum hoc Ambrosii loco congruunt. *Qua re* (pergit Lactantius) *ad Neronem delata, quum animadverteret non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat exsecrabilis & nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum caeleste templum delendamque justitiam, & primus omnium persecutus Dei servos* &c. En cur Apostoli Neronem sibi *adversum fecerint*.

Non possum autem dissimulare pro *Adversum* videri scribendum *Aversum*: quod & elegantius & magis Ambrosianum est. Ambrosius in suo Exjosippo V. 32. *Averterunt sceleribus suis praesulem templi*. Tamen nihil muto, maxime quum Abdias *Adversum* in suo Exjosippi exemplari legisse videatur, ut qui in sua historia cap. 16. sic immutaverit: *Nero per Magum Simonem adversari coepit Apostolis*.

(685) Quam perdite Nero magicis artibus addictus fuerit, praeter Suetonium cap. 34. atque Dionem, testatur insignis Plinii locus lib.

ejus conciliaverat. Cui adjumentum (687) victoriae, subjectiones gentium, vitae longaevitatem, salutis custodiam feralibus (688) artibus pollicebatur, atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique (689) summum apud eum tenebat amicitiae locum:

lib. XXX. c. 2. *Quae omnia* [magiae genera] *aetate nostra princeps Nero vana falsaque* [experimentis scil. edoctus] *comperit: quippe non citharae tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumque* [corrige, si videtur, *Primus qui*, aut *Primusque*] *imperare diis concupivit, nec quidquam generosius voluit*. Putavit scil. se magicis artibus diis leges impositurum. Pergit: *Nemo unquam ulli arti validius favit*. Quae statim sequuntur, ex Pintiani conjectura sic legentur commodius: *Adhaec non opes ei defuere, non vires, non discendi ingenium, alioqui non capiente mundo immensum. Indubitatum exemplum est falsae artis, quam dereliquit* (ad ultimum) *Nero*. Haec ideo pluribus adscripsi, primum ut intelligatur, quod Nero ad ultimum sacra magica inertiae damnaverit, in causa forsitan fuisse turpem Simonis istius, maria & montes de se polliciti, exitum: deinde, ubi Philostratus lib. IV. vitae Apollonii cap. 35. Neronem philosophos, tamquam magicae disciplinae suspectos, fuisse insectatum narrat, id sive ad principatus initia satis vulgo probata esse referendum, sive ad id tempus, postquam magicis artibus, quas inertes jam senserat, nuntium remisisset. Postremo ne illud quidem ab turpissimae illius belluae ingenio abludit, si dicamus, eum tum maxime, quum incantamentis deditissimus esset, interim philosophos tamquam magos vexasse.

(686) *Delinimenti* vox plerumque ad veneficia refertur. In Ep. (19) Ambrosii ad Syagr. n. 27. & 30. τὸ *delinimenta meretricia* nihil vetat quominus incantamenta amatoria significet. Ad veneficia quoque amatoria pertinet & illud Afranii, quod in lexicis affertur: *Si possent homines delinimentis capi* &c. Quem locum ideo indicavi, quod ipsissimam Exjosippi locutionem hujus loci continet, *Captum magi Simonis delinimentis*. Eodem pertinent & *Novercalia delinimenta* apud JCtum Caium, & quod Livius lib. 39. *Delinimenta* cum *venenis* jungit. Iis locis abstineo, quia deprompta in lexicis habes.

(687) Vox est inter Ambrosio cum primis amicissimas. In V. Exjosippi 10. *Addidit Caesar adjumentum equitum potentiorum*. Ac saepissime in testatis Ambrosii libris. Vide ep. (37) ad Simplician. n. 30. ubi plus vice simplici id usurpat, & ubique alias.

(688) Non alienum a magorum sacris epitheton. Quintilianus decl. 14. *Feralium praecantationum terrore*. Porro ut Noster heic *Ferales artes* pro magicis dixit, sic eamdem rem *ferale carmen* appellavit in Hexa. lib. IV. n. 33. his verbis: *Ferale licet carmen* (magus) *immurmuret*. Simile est illud in ejusdem Hexaemeri lib. VI. num. 21. *Quoties . . inter ipsas aulicorum excubias ministrorum, vitalia regum FERALIS* [h. e. venefica] *esca penetravit?* Idem res quasque nefandas atrocesque *ferales* vocare assolet. Ejusdem Hexaemeri lib. I. n. 30. *Sed haec opinio* [quod scil. Deus malitiam creaverit] *FERALIS eorum est, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt. Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc pestes illae Manichaeorum funesta sanctorum mentibus tentaverunt inferre contagia*. Lib. de Nabuthe n. 49. *Non tibi cohabitet Jezabel, illa feralis avaritia, quae tibi cruenta persuadeat*. In II. Offic. n. 132. *Feralis avaritia*. De Tobia n. 14. *SORTEM* (o foeneratores) *dicitis quod debetur*: [& merito] *etenim velut urna ferali misera sors volvitur .. Non sic trepidant de quorum damnatione sors ducitur* &c. Pluribus enim in ancipiti *sortis* notione ibi luditur. Ibid. n. 38. *Feralem instituit de singulorum exuviis auctionem*. At in de obitu Valentiniani n. 39. illud *Supplicii FERALIS hereditas* proprie accipitur; tantumdem enim opinor est, quod *Funebris supplicationis hereditas*. Locus integer sic habet: *Felicius episcopos persequuntur imperatores, quam diligunt* [h. e. felicius episcopis est vexari a principibus, quā diligi] .. *In illius* (Maximi tyranni) *odio laus erat, in horum* (Gratiani & Valentiniani) *amore supplicii feralis hereditas*. Ex horum inquit amore quid mihi relinquitur, nisi ut has funebres supplicationes atque inferias cum fletu ac dolore persolvam? Id quod satis ex contextu patet.

(689) De DENIQVE pro *Itaque* vide dicta ad II. Junii Adnot. 95. In hac narratione ead. notione usurpatur infra sect. VI. v. antep. & X. v. 5. Hoc vero unum ex illis est, ex quo, (ma-

locum : quandoquidem etiam praesulem (690) suae salutis, vitaeque custodem (691) arbitrabatur.

III. Sed ubi (692) Petrus ejus vanitates & flagitia detexit & (693) species illum rerum mentiri, non solidum aliquid, aut verum effi-

(maxime si ad satietatem repetatur) possis Ambrosium haud aegre dignoscere: uti jam Parte I. in Glossario §. 4. Adnot. 623. occupavi dicere. Quibus hoc adde, quod lib. de Paradiso num. 72. ea sola sectio ab DENIQVE quatuor ordiatur periodos.

(690) Hoc etiam vocabulum [*Praesul* pro *praeses*] unum ex illis est, quibus prorsus nesciat carere Ambrosius. Jampridem in sua Monobiblo Gronovius hanc vocem Excidio juxta ac testatis Ambrosii libris communem esse observaverat cap. I. pag. 16. 17. sed paucis utrinque excerptis exemplis contentus fuit. Equidem plura praeterea olim in schedas Ambrosianas meas quum conjecissem, nolui ea cupidis deperire. De Abrah. lib. I. n. 7. *Adest praesul conjugii Deus . . vicem absentis mariti tuetur, servat excubias*, nempe ne torus violetur. Ibid. n. 87. *Dominus praesul conjugii*. Vt & supra n. 59. Adhaec lib. de Viduis num. 55. martyres dicuntur *Nostri praesules*. In fine epist. (10) ad imperatores: *Vt & vos Deo praesule triumphetis*. Epist. (17) ad Valentinian. n. 9. *Quid est jurare, nisi ejus, quem testaris fidei tuae praesulem, divinam potentiam confiteri?* Ep. (18) advers. Symm. n. 5. *En quales templa Romana praesules habent!* Anseres intelligit, qui Gallorum impressionem strepitu prodidere. Et num. 33. *Vos* [imperatores] *senatus cogendi comitii praesules habet*. Ep. (20) ad Soror. n. 14. *Est enim praesul Dominus, qui salvos facit sperantes in se*. Ep. (39) ad Faustinum n. 2. *Quod te* [relinqueret] . . *parentem nepotibus, praesulem parvulis*. Ep. (63) ad Verc. Eccl. n. 3. *Ordinationis* (episcopi) *praesulem* fore Christum dicit. Sic etiam in de obitu Valentin. n. 34. de excessu Sat. n. 43. de obitu Theodos. num. 16. & 25. Exstat & in de Virginitate n. 5. locus, ubi Deus *triumphorum praesul* dicitur, quem tamen Gronovius ex III. de Virginibus citat. De Spiritu S. n. 89. *Quum etiam benedictionum suarum praesulem Spiritum Deus ipse testetur*, nim. Isa. XLIV. 3. Postremo lib. de Nabuthe n. 28. *Ditem* (a quo numine *Divitis* etymon Noster arcessit) *dicunt gentiles inferorum praesulem*. Haec quidem in schedis meis reperi: in quibus plura ejusmodi alia ex Ambrosio decerpere supersederam. Cui enim bono? Sicuti nec ex Ambrosii Exjosippo (cui aeque perpetuum id nomen est) nisi paucissima loca pertaesus copiae carpseram. Cujusmodi illud est I. Excid. 41. *Conveniunt praesules* (ii sunt praesides) *provinciarum secundum scripta ad se data a Principe Romano Caesare*. Et illud lib. V. cap. 32. *Averterunt sceleribus suis* (Deum) *praesulem templi, reparationis arbitrum*. Habes tamen Exjosippi in Gronovio alia pluscula. Quod quidem vocabulum etiam in Paulino vitae Ambrosii scriptore bis legitur, qui facile id a doctore suo Ambrosio arripuit.

(691) *Custodis* etiam nomen Mediolanensi antistiti, si minus perpetuum, at amicissimum fuit: quod etiam interdum cum *Praesul* jungitur, ut heic, & in I. de Abrah. n. 59. *Praesulem custodemque conjugii esse Deum*. Cui simile est illud in Hymno: *Sis praesul & custodia*. Vide heic infra sect. VII. *Habet* [Deum] *custodem suum*.

(692) Tota haec periodus: *Sed ubi Petrus ejus vanitates . . detexit . . digno est consumptus maerore*: totum hoc inquam κατὰ πρόληψιν [*per anticipationem*] ab Ambrosio antecapitur, atque ad certaminis exitum praecipue refertur, atq. ad illud tempus, quo Simon a Petro e sublimi depositus, Ariciam debilitato crure secessit, ibique maerore consumptus fuit. Vide infra sect. IX. in fine.

Porro VBI pro *postquam* (tum heic tum sect. XI. v. 5.) etsi ceteroqui perquam vulgaris nexus est, tamen Exjosippi narrationes perpetuo nectit: nec minus Ambrosii. Vide Epist. (6) ad Syagr. num. 5. & 8. Ibidem num. 9. ter eamdem conjunctionem inculcat: *At ubi lux finem intemperantiae dedit*. Mox: *Sed ubi nullum responsum referebatur, quasi quiescentem . . e somno excitare*. *Verum ubi mortis supremae patuit fides* &c. Quam vellem lector eam epistolam [de Benjaminitis deletis] cum hac Petri cum Simone altercatione conferret. Mentior, ni statim Exjosippi Ambrosiique germanitatem agnoscat. Nec ab eodem charactere, ut alibi monui, epistola (19) ad Vigilium abludit, qua Samsonis historia venustate mira pertexitur.

(693) *Species rerum mentiri, non solidum aliquid aut verum efficere*. His verbis simillima illa sunt Ambrosiana lib. I. de Cain n. 14. *Quia* [fornicaria] *verum decorem naturae ha-*

efficere demonstravit; ludibrio habitus, & digno est consumptus maerore. Et quamvis (694) in aliis terrarum (695) partibus Petri est expertus potentiam: tamen praeveniens (696) Romam, ausus est jactare, quod (697) mortuos resuscitaret.

IV.

bere non potest; adulterinis fucis affectatae pulchritudinis LENOCINATVR SPECIEM NON VERITATEM.

(694) Tò *Quamvis* antiqui haud ferme aliter quam cum modo conjunctivo jungebant. Tamen Ambrosius tum heic & in toto Exjosippo suo, tum in ceteris operibus raro aliter, quam cum indicativo nectit. Exempla in Excidio plura passim hujumodi me notasse commemini, plura in Ambrosio, ut Epist. (57) ad Eugen. n. 7. *Quamvis enim illi agebant tam perseveranter*. Ep. (19) ad Vigil. n. 21. *Quamvis tria millia virorum ascenderant*. De Cain lib. 2. n. 18. *Et quamvis obtulit munus*. Quid ita Ambrosius? aut quo duce? an Virgilio, quem totis chartis imitatur? Maronis certe ille est hexameter in V. Aen. v. 542.

Quamvis solus avem caelo dejecit ab alto.

Nec aliter Columella II. 9. *Nam quamvis de mensura minus auctoribus convenit*. Idem IX. 6. *Itaque quamvis doctissimi viri auctoritatem reverebar*. Atqui & idem Columella eod. cap. paullo superius cum conjunctivo copulaverat: *Alterum jure damnavit Celsus.. alterum probavit, quamvis incommodum ejus praecipuum non dissimulaverit*. Nec Columella tantum sed & Ambrosius ea inconstantia laborat: qui in uno eodemque lib. de Paradiso num. 22. cum indicativo junxit [*Quamvis*, inquit, *aliqua harum generalis est virtus*] at mox n. 33. cum conjunctivo sociavit his verbis: *Vel inscientem revocare debuerat: quamvis videatur haec mulier* [Eva scil.].. *metuisse ne sola de paradiso ejiceretur*. Cur porro tam varie Columella Ambrosiusque copulant? an promiscue pro sua maxima voluntate? Non: verum ex proximis Columellae Ambrosiique locis intelligitur, initio periodi eos *Quamvis* cum indicativo, in fine vero cum conjunctivo nexuisse. Quod & alibi tum in Excidio tum aliis Ambrosii scriptis observavi. Ergo quod Cicero, ut & optimus quisque, in *Etsi*, *Tametsi*, *Quamquam* servarunt, ut ea μόρια initio sententiae cum modo indicativo, in fine vero cum conjunctivo conjungerent, id post Virgilium & Columellam Ambrosius etiam ad *Quamvis* porrexit. Levicula isthaec [cujusmodi & alia plura adnotatorum ac porro adnotandorum, esse criminabuntur] minime notarem, nisi in eo essem, ut hanc narrationem quam ex Exjosippo depromimus, haud dubie Ambrosianam esse modis omnibus demonstrarem.

(695) De Samaria quidem ex testimonio Lucae Actorum VIII. 18. & seq. satis comperta res est. Ceterum quas *alias terrarum partes* intelligat heic Ambrosius, etsi parum scio; minus tamen de eo dubitandum censeo, maxime quum in VI. Constit. Clem. extremo cap. 8. narretur Petrus in Stratonis Caesarea Simonem *virtute Domini devicisse*, atque effecisse ut in Italiam fugeret: quod non continuo falsi coarguendum reor. Certe sicuti ex Irenaeo discimus, magum istum ubique gentium Apostolis restitisse; ita vix est ambigendum, quin impostoris ejusdem pluribus in locis audaciam Petrus fregerit, nusquam eum passus consistere. Scimus etiam pseudo-prophetas illos, in quos idem Petrus summa vi in epistola altera invehitur, Simonianos fuisse, si Estio & aliis credimus. Itaque Principis Apostolorum non tantum miraculorum potentiam & vivae vocis fulmina, verum etiam scriptorum vehementiam in pluribus *terrarum partibus Simon expertus est*.

(696) *Praeveniens* forsitan vim habet Graeci participii φθανών, quod saepissime non tam *Praeveniens* quam *Perveniens* reddi debet. Ac memini, me apud scriptores devexae Latinitatis *Praevenio* haud raro pro *Advenio* reperisse. Heic tamen non est dubitandum quin eo participio Simon antevertisse, ac prior Petro Romam attigisse significetur. Vt ita accipiatur, cogit Constitutionum Clementi tributarum, Eusebii II. Hist. Eccl. 14. Hieronymi in Catalogo, Adonis in chronicis, aliorumque auctoritas: quibus si credimus, Petrus Romam ideo iter instituisse dicendus est, ut magum Simonem [qui prior Romam contendisset] prosterneret. Quare quum Petri adventus in urbem principem in alterum Claudii annum, Christi XLII. conferri soleat; Simon vulgo creditur anno superiore in Italiam se recepisse.

(697) De Simonis jactantia, reviviscentiam vita functis pollicentis, ceteris Ecclesiae scriptoribus silentibus, ex hoc Ambrosii loco, & ex sequente tota narratione de adolescente, quem revocare ad vitam aggressus est, certiores

IV. Defunctus erat id temporis Romae adolescens (698) nobilis, propinquus Caesaris, cum universorum dolore. Admonuere plerique experiendum, utrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla facti (*) hujusmodi deferebatur fides. Dolor exegit (**) remedium, perrectum est ad Petrum. Fuere, qui etiam Simonem accersendum putarent. Vterque affuerunt.

V. Ait Petrus (699) Simoni: qui se de sua jactaret potentia, priores sese partes dare; ut si posset, mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum, ut Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon (700) qui putaret apud urbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit, ut si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui MAGNAM PO-

res efficimur. Vide prae ceteris finem seq. sectionis, ubi fuisse dicuntur, *qui Simonem accersendum putarent* ad juvenem reducendum, certe quia id magus profitebatur.

(698) De hoc adolescente ad vitam revocato apud notos ac probatos Ecclesiae magistros plane nihil reperire licuit: imo nec in scriptis apocryphis, sive quae Clementi, sive quae Lino aut Marcello inscribuntur; uno tantum Abdia excepto, qui haec totidem ferme verbis ex Exjosippo ita descripsit, ut interdum corrumperet. Id quod non incommode accidit, ne videatur Ambrosius ex apocryphis monumentis haec sua de certamine cum Simone, ejusque volatu hausisse, ut cap. seq. declarabimus; ubi quantum inter Ambrosii & auctorum apocryphorum universae hujus rei narrationem intersit, ostendetur.

Fatendum tamen est, unum alterumve Ecclesiae scriptorem videri ad hoc miraculum digitum intendisse: ut infra indicabimus.

(*) Puto excidisse ex hoc vocabulo sibilum, & FACTIS non *Facti* ab Ambrosio scriptum fuisse; is enim casus cum ea locutione jungitur. Ne longe abeam, ipsemet Ambrosius sic usurpat in II. Offic. c. 8. n. 41. *Vt in quo ea* [nim. prudentia & justitia] *sint, illi deferatur fides, quod possit utile consilium dare.* Ibid. c. 10. n. 55. *Fides ei in omnibus deferebatur.* Cap. 11. n. 58. *Nec delatum sibi honorem pluris faciebat* (Moses) *quam fidem*, supple *sibi ab suis delatam*. Et n. 56. *His siquis deferat fidem.*

(**) Abdias cap. 16. in hunc modum ho: παραφράζει: *Dolor tamen exegit inquiri remedium: Perrectum est* &c. Hoc enim Ambrosii loco *Exegit* est *Elicuit, Extudit*.

(699) Sic locus hic in Gualtheriana editione interpungitur, sic in Ascensiana principe, sic in Biblioth. PP. Parisiensi. Quae distinguendi ratio si valeat; addendum erit EI post *Priores*: *Qui se &c. priores EI se partes dare*. Sed nihil est opus addere: tantum distinctio retrahenda est, ita ut post PETRVS spiritus interquiescat in hunc modum: *Ait Petrus: Simoni, qui se de sua jactaret potentia, priores sese partes dare.* Nec aliam distinctionem in suo cod. Abdiam reperisse, postea deprehendi, quippe qui ista sic παραφράζει cap. 16. *Tunc Petrus ad Cognatos defuncti* [non *ad Simonem*] *ait, ut Simon, qui de sua jactabat potentia, prior, si posset, mortuum suscitaret.*

Porro quid apud antiquos sint *Partes primae* (seu *priores*) *secundae, tertiae*, jam viri docti occuparunt. Ex comoediis ea loquendi genera profecta fuere. Videatur prae ceteris Gronoviana Monobiblos pag. 285. 286.

(700) *Qui* pro *Vt qui* sive *Quippe qui*, ut elegantissimum Latii veteris delicium est, ita unum est ex dicendi generibus Ambrosio perpetuis. In hac ipsa narratione pluries usurpatur. Vide supra sect. II. v. 7. item hac sect. v. 1. 4. 6. & sect. VIII. v. 5. & penult. Nec porro quidquam frequentius tum in toto Exjosippo, tum in ceteris confessis Ambrosii operibus. Epist. (19) ad Vigilium num. 18. *Turbataque animi juvencula, QVAE indignationem laesi .. perhorresceret.* Et num. 27. *At illa, QVAE semel se pecuniae prostituerat .. coepit* &c. Epist. (6) ad Syagr. *Viro nullus sensus doloris, qui .. vario sermone viam levaret.* Verum frustra sim, si hujus Ciceronianae elegantiae corrogare exempla ex Ambrosio pergam, quae ubertim singulis paginis ultro legenti occurrent.

POTENTIAM(sic enim (701) appellabatur)lacessendo injurias irrogavisset : sin vero praevaluisset Petrus in (702) Simonem, pari genere (703) vindicaretur.

VI. Acquievit Petrus : adorsus est Simon : accessit ad lectulum defuncti:incantare atque(704) immurmurare dira carmina ut coepit, visus

(701) Teste Luca Act. VIII. 10. *Cui* (Simoni) *auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes : Hic est* [ἡ δύναμις τῦ Θεῦ ἡ μεγάλη h. e. *Potentia Dei Magna*]*Virtus Dei quae vocatur magna*. Confer Irenaeum I. 20. & quae infra dicemus Adnot. 715. ubi Simonem δύναμιν ἐνυπόστατον se dixisse, ex Exjosippo observabimus.

(702) Eam distinctionem exhibui, quae & in Gualtheri editione, & in prima Ascensiana adhibetur : quae tamen non uno laborat vitio. Nam primum *Praevaleo* absolute semper nullo sequente casu usurpabatur. Sic aetatis aureae Latium, sic etiam argenteae loquebatur. Sexcenties etiam ab veteribus JCtis usurpatur id verbum, sed nusquam sequente casu. Vnus est Velleii locus lib. 2. cap. 118. cum casu tertio: *Sed praevalebant jam fata consiliis*. Verum ea est scriptura, quam editores ex ingenio refinxerunt; nam in scriptis & antiquis editionibus longe est aliud : quorum vestigia si propius premenda sint, mallem ex *Postulabant etiam fata consiliis* [quod in editione prima erat]sic cum aliis scribere : *Opstabant* (antique pro *Obstabant*) *sed jam fata consiliis*. Etsi non nego in Latinis Bibliis saepe *Praevalere adversus* aut *contra* aliquem legi : quem hebraismum non videtur heic Ambrosius [etsi IN loco τῦ *Contra* subrogato] in elaborata historia imitari voluisse.

Deinde illud *Vindicaretur* absolute positum insolens Ambrosio est, qui ei verbo IN cum sequente casu adjungere in deliciis habet. Itaque certo certius est, κῶλον istud sic esse interpungendum : *Sin praevaluisset Petrus; in Simonem pari genere vindicaretur*.

Nunc illud restat, ut syntaxis *Vindicare IN* aliquem [instar scil. verbi *Animadverto*] idoneis exemplis firmetur. Quam quidem jam olim ad Kalendas Junias (pag. 481. Adnot. 88.) Sallustii, Taciti, aliorumque locis satis venustam tritamque ostendimus. Quid si doceo, numquam ferme alio modo Ambrosium sive in Excidio, sive in confessis operibus fuisse locutum? Ab Excidio ordiar : cujus lib. I. cap. 28. sic scribitur: *Et quamvis graviter esset in reclamantes vindicatum*. Lib. V. cap. 7. haud procul a fine : *Nec dubium quin saepius vindicatum sit in eos, qui contra imperium in hostes pugnaverint*. Mox : *Videbatur in omnes vindicaturus*. Eodem extremo cap. *Satisque in universos vindicatum*. Ac plura ibi passim.

Jam vero in testatis Ambrosii operibus id chartis omnibus prostat. Legatur epistola (40) ad Theodosium : in ea sexies eam locutionem repetitam reperies. In eadem tamen non raro *Vindicare incendium*, aliudve crimen, legitur; ita ut plena locutio videatur fuisse *Vindicare crimen in hunc aut illum*, qui criminis auctor fuit. Ep. (20) ad Soror. n. 10. *Jam in me vindicari oportere*. Ep. (63) ad Vercell. Eccl. n. 84. *Ne in eos vindicet*. Ep. (66) ad Romulum n. 7. *In omnes vindicari*. De Abr. lib. 1. n. 47. *In quos vindicandum arbitraris*. De Noe n. 80. *Etsi vindicaverat in hominum genus*. Mox ibid. *In paucos vindicat*. De Cain lib. 2. n. 38. *Si vindicatum esset in reum*. De Tob. n. 3. *Quo vindicaret in perfidos*.

(703) *Pari genere* pro *Pari modo*. Locutio Ambrosiana est, quae legitur initio lib. I. in Luc. *Paribus & generibus formantur & causis*. Vtitur & auctor libror. sex De sacramentis pro Ambrosianis habitorum; qui quamvis (ut alibi a me ostensum fuit) diversus ab Ambrosio fuerit, gestiebat tamen non tantum sententias sed & locutiones auferre ex Ambrosio. In eo igitur lib. IV. num. 23. sic scribitur : *Quantis generibus* (i. e. quot modis) *universa convertere*.

(704) *Incantare* atque *Immurmurare* verba sunt magicae disciplinae : quorum prius pulchre de Christo usurpavit Ambrosius Hexa. lib. 4. n. 33. *Habet* (ecclesia) *INCANTATOREM suum Dominum Jesum, per quem magorum incantantium . . carmina evacuavit*. Sicuti & in actis S. Sebastiani num. . . S. Tiburtius *Excantasse* bonam in partem dicitur h. e. Symbolum auribus insusurrasse : de quo alibi dicimus.

Alterum est *Immurmurare carmina*; quod citato Hexa. loco item adhibuit : *Ferale licet carmen* [saga aut magus] *immurmuret, hebetatur in Christi nomine*. At heic *Dira carmina* appellat : quod etiam egregie Latinum est, Ambrosioque dignum. Quintil. Declam. 14. *Diris utique carminibus & feralium praecantationum terrore*. *Magici carminis* meminit etiam Ambros. ep. (72) ad Constantium num. 5.

visus est caput agitare, qui (705) mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quod jam viveret, quod loqueretur cum Simone. Ira & indignatio in Petrum, quod ausus esset conferre sese tantae potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, & dixit: Si vivit defunctus, loquatur: si resuscitatus est, (*) surgat, ambulet, fabuletur. Phantasma (706) illud esse, non veritatem, quod videatur caput movisse. Denique separetur, inquit, Simon a lectulo, & tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon a lectulo: manet sine specie motus alicujus, qui mortuus erat.

VII. Astitit Petrus longius, & intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescens, surge (707) sanet te Dominus Jesus. Et statim surrexit adolescens, & loquutus est, & ambulavit, & cibum sumpsit, & dedit (708) eum Petrus matri suae. Qui quum rogaretur, ut ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo, qui eum fecit resurgere, cujus nos servi sumus. Secura esto mater de filio: non verearis: habet custodem suum. Et quum populus in Simonem insurgeret, (709) ut lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad poenam

(705) Sumpsit hanc περίφρασιν ex Joan. XI. 39. *Soror ejus qui mortuus fuerat*. Et versu 44. *Statim prodiit, qui erat mortuus*: qua circumlocutione Lazarus designatur. Noster hujus ejusdem sect. versu ult. usus eodem verborum ambitu fuit.

(*) In editione prima AMBVLET praeponitur τῷ *Surgat*: non belle. At alicubi in Mss. teste Gualthero heic inseritur MORTVVS. *Si resuscitatus est mortuus, surgat*.

(706) Φάντασμα [*phantasma*] quatenus veritati opponitur, usurpatur etiam Matt. XIV. 26. Marci VI. 49.

(707) Formula est eadem, atque illa qua idem Petrus utitur Act. IX. 34. *Aenea, sanat* (ἰᾶται) *te Dominus Jesus Christus: surge & sterne tibi*. Ex quo Actorum loco videtur heic quoque Ambrosius SANAT scripsisse, non deprecativo modo SANET. Accedit, quod nisi jam Christus sanitatem repraesentasset, non erat cur Petrus imperaret SVRGE. Sed & Abdias quum diserte indicativo modo SANAT scripserit, id certo argumento est, ab eo non aliter in suo Exjosippi codice fuisse repertum.

(708) Sic etiam Luc. VII. 15. Christus *dedit illum matri suae*.

(709) Duplici modo accipi hoc potest. Primum ut populus insurrexerit, instando apud praefectum urbanum aliumve judicem, ut Simon lapidaretur. Eaque obvia est hujus loci sententia. Huic tamen intelligentiae id obstat, quod lapidatio inter Romana supplicia minime numerabatur. Sed responderi potest, licuisse adversus magos extra ordinem animadvertere. Potuit igitur instare populus, ut in Simonem istum severius aliquid statueretur, nempe ut saxorum grandine obtexeretur. Deinde sic accipi haec possunt, quasi dixisset insurrexisse populum, ut *Simon lapidaretur*, non quidem per juris tramites, sed ab ipsomet populo; ut ipsimet inquam, arma ministrante furore, Simonem lapidibus obruerent. Certe millies hoc legitur, a tumultuante multitudine sive in mortuorum busta fuisse lapidibus [quibus furenti populo nihil magis ad manus est] insultatum, sive etiam in vivos: id quod ex Cicerone pro Domo cap. 14. intelligitur. Notum est Horatii illud:

Vnde mihi lapides? quo nunc opus? unde sagittas?

Ima plebs igitur fremebat, seq. certatim singuli ad lapides in eum jaciendos incitabant, facturi protinus, ni Petrus in tempore furorem compescuisset. Atque ea verior est intelligentia: quam postea expressam ab Abdia reperi, dum ista Exjosippi hoc verborum ambitu variavit, cap. 17. sic ordiens: *Et quum vellet populus magum Simonem lapidare*;

poenam ejus, quod cognoſcit, ſuas artes nihil valere: vivat, & Chriſti regnum creſcere videat vel invitus.

VIII. Torquebatur Magus Apoſtoli gloria. Collegit ſeſe, atque omnem excitans carminum ſuorum potentiam, congregat populum, offenſumq. ſe dicit (710) a Galilaeis: relicturum ſe urbem, quam tueri ſoleret. Diem ſtatuit: pollicetur (711) volatum, quo ſupernis ſedibus (712) inveheretur, cui, quando vellet, caelum pateret. Conſcendit ſtatuto die montem (713) Capitolinum; ac ſe de rupe

(710) Galilaeorum *appellationem diu ante Julianum Aug. Chriſtianis fuiſſe tributam, imo & Apoſtolis σύγχρονον exſtitiſſe.*

Videbitur forſan ἀναχρονισμῷ heic peccaſſe ſive Ambroſius, ſive verius ille auctor antiquior, a quo hanc narrationem Ambroſius hauſit. Quid enim? Quod Chriſti ſectatores pro Chriſtianis *Galilaei* per contumeliam vocarentur, id ab Juliano deſertore inſtitutum, Rufinus lib. X. hiſt. Eccl. cap. 35. Socrates III. 12. Theodoretus III. hiſt. 4. & 16. Chryſoſtomus Hom. 63. in S. Babylam M. [to. V. p. 439. edit. Savil.] aliique prodiderunt. Ac ne quis reponat, jam antea id nominis a gentilibus uſurpatum, obviam ibit Nanzianzenus, qui Or. 3. in Julianum id iſtius παραβάτου factum novitatis arguit.

Verum ne dubita, quin re vera diu ante Julianum Chriſtianos ethnici *Galilaeos* vocaverint. In actis S. Theodoti Ancyrani & ſoc. anno 303. decertantium, ab Nilo quodam teſte oculato ſcriptis [apud Ruinartum n. 31.] lata in eum ſententia ſic incipit: *Theodotum protectorem Galilaeorum* &c. Adhaec jam ante Julianum id nomen in gentilium ore fuiſſe, oſtendit Doddvvellus in Cyprianica Diſſert. XII. num. 2. Et certe tum Celſus, tum auctor Philopatridis inter Luciani dialogos eo nomine Chriſtianos apertiſſime deſignarunt.

Nec tamen fallitur Nanzianzenus, qui Or. 3. ſic de Juliano ſcripſit: *Statim* [καινοτομεῖ] *res novas molitur circa* (Chriſtianorum) *appellationem, Galilaeos pro Chriſtianis tum ipſe nominans, tum* [καλεῖσθαι νομοθετήσας] *ut ita vocarentur, lege decernens*. Non fallitur inquam Gregorius; quia καινοτομία in eo erat, quod veterem appellationem jamdiu poſt Conſtantini regnum exolitam revocaverit, imo & lege lata firmaverit.

Ad originem vero quod attinet; id nomen initio carebat invidia. Quid enim? Act. I. 11. primi illi Chriſtianorum qui Chriſti aſcenſui interfuerunt, ab Angelis *Viri Galilaei* citra contumeliam compellantur. Sed & χλευασμὸς (*irriſio*) tum abfuit, quando Act. II. 7. *Mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilaei ſunt?* Sic etiam citra invidiam id manſit uſque ad id tempus, donec Antiochiae *Chriſtianorum* nomen invectum fuit. Nam ante id tempus tum *Nazaraeos*, tum *Galilaeos* vocatos, Suidas ex antiquo aliquo ſcriptore teſtatur his verbis: *Sub Claudio Imperatore, Petro Apoſtolo Evodium Antiochiae antiſtitem ordinante* [οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι] *qui antea Nazaraei & Galilaei, mutato nomine Chriſtiani ſunt appellati*. Etſi Epiphanius Haer. 29. *Nazaraeos* & *Jeſſaeos* ante vocatos ſcribit, de *Galilaeorum* nomine tacet. At Epiphanii ſilentium Suidae narrationi non officit, quippe quam Actorum, uti vidimus, hiſtoria confirmat.

Itaque ante repertum *Chriſtianorum* nomen, *Galilaeorum* nomenclatio minime contumelioſa erat. Ac forſitan aliquamdiu poſtea ſic etiam citra ignominiam vocabantur. Quamquam autem praeſtare non poſſum, Simonem omnium primum in id nomen conflaſſe invidiam; tamen nihil eſt cauſae, quo minus id ex antiquo ſcriptore ſubinnuenti Ambroſio minime credamus: praeſertim quum re vera Galilaei & ingenio hebetes, & lingua ruſtici, & cetera deſpicabiles haberentur: quod contumeliae anſam praebuit.

Ceterum ſi hoc loco nihil ei appellationi contumeliae ſubeſt; dicemus Simonem, qui Samarites eſſet, uti ſe a Petro Galilaeo, ejuſque aſſeclis diſtingueret, eos *Galilaeos* vocaſſe.

(711) De Simonis volatu, quo nihil celebrius apud antiquos fuit, plura dicentur infra ſuo loco, tum ex ipſomet Ambroſio in Hexaemero, ubi hanc narrationem repetit, tum ex aliis pluribus.

(712) Similis locutio occurrit apud Ambroſium Ep. [38] ad Simplician. n. 7. *Dives Elias, qui virtutum ſuarum theſauros, curru igneo ſublimis, ſedibus aethereis invexit*.

(713) Alii turrim in hoc conſtructam conſcendiſſe volunt, alii aliud: de quo loco ſuo.

rupe dejiciens, volare coepit. Mirari (714) potius, & venerari plerique, dicentes, Dei esse potentiam, non (715) hominis, qui cum corpore volitaret: nihil (*) tale fecisse Christum.

IX.

(714) Gualtherus primus omnium istud *Potius* in editione sua posuit, ceteroqui adnotans, alicubi reperiri, *Mirari populus & venerari*. At τὸ *Populus* [quod alicubi reperit Gualtherus] jam in prima editione Ascensiana locum invenerat, nec fuerat sua possessione depellendum. Postremo diserte Abdias cap. 18. *Mirari populus ac venerari*. Eaque lectio est praestabilior: quam lectionem etiam in Exjosippo Biblioth. PP. Parisiensis reperio.

Ad distinctionem vero quod attinet, duplex admitti potest: vel scil. hoc modo, *Mirari populus, & venerari plerique dicentes* &c. vel distinguendo post *Venerari* hoc modo: *Mirari populus & venerari: plerique dicentes, Dei esse potentiam* &c. Posterior distinctio magis est Ambrosiana, quam & prima editio Ascensiana usurpavit, & Abdias in suo codice reperit: qui sic posuit. *Mirari populus ac venerari. Plerique etiam dicebant, Dei hanc esse potentiam*. Nimirum quum impostor ille, qui sibi Abdiae personam induit, non concoqueret, quo pacto τὸ *Plerique* cum *Populus* jungeretur; ex una periodo duas concinnavit, novam a *Plerique* circuitionem exorsus. At nihil magis ex Ambrosii ingenio est, imitantis antiquos, apud quos nomina collectiva singularia cum adjectivis pluralibus eleganter nectebantur. In hac ipsa voce *Populus* sunt haec similia loca Ambrosii. Epist. (50) ad Chromatium: *Quibus* (consiliis) *levis populus* (sic Benedictini cum Mss. plerisque & notae optimae; male vero in aliis editionibus, *leves populi*) *Judaeorum tentati quidem sunt, sed non expugnati*. Adhaec De obitu Valentin. n. 4. ex Thren. I. 11. sic reddit: *Omnis populus ejus ingemiscentes*: pro quo in Vulgata hodierna legitur, *Gemens*. Hic igitur locus sic legi ac distingui debet. *Mirari populus ac venerari: plerique* (non omnis scil. populus, sed ex eo plerique) *dicentes, Dei esse potentiam*.

(715) *Non hominis* non tantum in principe Ascensiana legitur, sed & in Gualtheriana, ceterisq. posterioribus eam secutis, ac postremo in Abdia. Tamen Gualtherus in adnotatis reperisse alicubi se testatur, *Non hominem*: quae meo judicio praestantissima lectio est uniceque vera. Confer adnotata supra in Adnot. 701. Nam cum Simon hoc credulis persuaderet, se *Dei potentiam* seu virtutem esse; hinc merito populus volantem videns, *Dei esse potentiam, NON HOMINEM* acclamabat. Accedit, quod vulgata lectio tunc ferri posset, si quidem hoc totum, quod illi ἐπιφωνῦσιν (*acclamant*) de volatu praedicaretur (qui quidem volatus ad Dei potentiam, non ad hominis ab illis referebatur) nunc vero hoc totum quod vociferantur, Simonis personam spectat. Etenim ordo verborum talis est: *Dicentes* (*eum*) *qui cum corpore volitaret, Dei esse potentiam*. Hactenus ex mente Simonis acclamant, quia Dei se potentiam, & quidem ἐνυπόςατον (*subsistentem*) Simon jactabat. At ineptissimum erit, si addent, *Non hominis*. Nec enim *Hominis potentiam*, ut quae ἐνυπόςατος esse nequit, Simon se vocasset. Rectissime vero, *Non hominem*; certe quia hominem se planus ille negabat, teste Irenaeo: qui I. 20. magum istum sic de se praedicantem inducit: *Ut & in hominibus homo appareret ipse, quum NON ESSET HOMO*. Deum vero seu Christum sese esse affirmabat, uti & idem Irenaeus & alii prodiderunt. Hinc illud in Clementis Constit. Apost. VI. 9. *Quum multitudo* [Simonem volantem] *faustis acclamationibus* [ὡς Θεὸν] *ut Deum prosequeretur*. Postremo hoc ipsum etiam ex Act. VIII. 9. intelligitur, ubi se Simon dicebat [εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν] *Se esse ALIQUEM MAGNUM*. Ea vero appellatio versu seq. in ore affectantium turbarum talis erat: ἡ δύναμις τῦ Θεῦ ἡ μεγάλη, *Virtus* seu *Potentia Dei magna*. Ergo impostor *Potentiam* ἐνυπόςατον (*subsistentem*) se dicebat; alioqui Lucas non *Aliquem magnum*, sed *Aliquid magnum* sese appellasse scripsisset. Hoc ipsum ad Act. VIII. 9. 10. illustravimus. Porro apud antiquos circulator iste modo δύναμις Θεῦ, modo ἰσχὺς [quae sunt synonyma] nuncupatur.

Ergo tota haec periodus sic castigari ac distingui debet, nisi me ratio fugit: *Mirari populus & venerari: plerique dicentes* (eum) *Dei esse potentiam, non hominem, qui cum corpore volitaret*.

(*) Ex his verbis vides Simonis volatum, & *alarum remigium* stricte non μεταφορικῶς acceptum fuisse ab Ambrosio, sive ab illo priore scriptore, ex quo haec Ambrosius hausit. Nam si de sola in caelum assumptione agebatur; jam antea Christum in caelum scandisse, ex tot oculatorum testium praedicatione populus didicerat, nec verbis hisce invidiosissimis locus fuisset, *Nihil tale fecisse Christum*. Vide mox in Adnot. 719.

IX. Tunc Petrus in (716) medio ſtans, ait: Jeſu Domine, oſtende ei vanas artes ſuas eſſe, ne hac ſpecie populus iſte, qui (**) crediturus eſt, decipiatur. Decidat Domine; ſic tamen, ut nihil ſe potuiſſe vivens recognoſcat (717). Et ſtatim in (718) voce Petri, implicatis remigiis (719) alarum, quas ſumpſerat, corruit: nec exanimatus eſt, ſed fracto (***) debilitatoque crure, Aritiam (720) con-

(716) Sumpta eſt locutio ex Act. I. 15. *Exſurgens Petrus in medio fratrum.*

(**) Similis illa eſt ῥῆσις 1. Tim. I. 16. *Ad informationem* (τῶν μελλόντων πιστεύειν) *eorum qui credituri ſunt.*

(717) *Recognoſco* [verbum ſane ſignificantius quam *Agnoſco*, quod Itali quoque *Riconoſcere* dicunt] unum ex illis eſt Ambroſio tum in Excidio tum in ceteris operibus perpetuum: cujus notionis exempla ſi depromere ubertim ſatagerem, profecto ineptirem. Duo triave ex Hexaemero tantum adſcribam. Lib. III. n. 34. *Statim* [ac nata eſt herba] *genus .. prodit, ut in ipſo ſuae ſtirpis exordio, cujus generis herba ſit, recognoſcas.* Item lib. V. n. 60. *Quos noſtros recognoſcimus abdicamus.* Lib. VI. n. 25. *Recognoſcit* [agniculus] *vocem parentis.* Mox rurſus de ove matre: *Vnus plurimorum balatus: illa tamen .. ſolum filium tacito pietatis teſtimonio recognoſcit.* Haec ſatis illo ex opere, quod primum in Ambroſio occurrit. In ceteris numquam id verbum abeſt: quod ne antiquis quidem ea notione inuſitatum fuit.

(718) *In voce Petri* ſimile eſt loquendi genus, atque illud quo utitur in V. excidii extremo cap. 44. de Jeſu filio Ananiae infauſta vaticinato: *Ad poſtremum addidit: Vae etiam mihi: & fundibalo ictus, IN EADEM VOCE amiſit ſpiritum.*

(719) *Implicatis remigiis alarum* &c. De volatu Simonis meminit iterum Ambroſius in Hexaemero, cujus locum infra proferimus: meminere & alii plurimi: niſi quod alis ne aſſumptis, an curru vectus, an poſtremo daemonũ poteſtate aera tranaverit, de eo antiquorum narrationes non conſentiunt, uti dicetur.

Illud hujus loci eſt, ALARVM REMIGIVM locutionem Virgilianam eſſe Ambroſio perpetuam, qua nuſquam abſtinet quoties de volatu agitur. Ab Hexaemero ordiar: cujus lib. I. cap. 7. n. 25. *Ne forte volatilem terram debeamus aeſtimare, quae .. alarum remigiis ſuſpendebatur.* Mox: *Alarum ſuffulta remigiis.* Et lib. V. n. 45. ſcribitur: *Vtrique generi* [piſcium aviumque] *caudae ſuppetit alarumque remigium.* Num. 55. *Alarumque remigio.* Et num. 79. Phoenix poſt mortem *Vermis exſurgit .. ac proceſſu ſtatuti temporis induit alarum remigia, atque in ſuperioris avis ſpeciem reparatur.* Adhaec De fide reſurr. n. 59. *Suo nixam* [avem phoenicem] *remigio pennarum, renovatae vitae .. officia ordiri.* Ibid. n. 128. *Quam praepetem prius pennae uſque ad alta caeli per ſublime aeris alarum remigiis evehebant.* De virginitate cap. 17. prope ab initio: *Lapillis ſaepe ſublatis* [apis] *per inania ſe librat nubila, ne leve alarum remigium praecipitent flabra ventorum.* In Serm. 46. (Ex cor. numero quos Benedictini ad calcem tom. 2. inter ſpurios rejecerunt, ſed immerito, ut alibi dicam) num. 5. de aquila: *Quos dum in aere alarum remigio ſubvectando ſupportat.*

Nec tantum de corporeis alis, verum etiam de μεταφορικοῖς id uſurpare Ambroſius aſſolet. Vt Hexa. lib. VI. num. 74. *Vnus quaſi de volatilibus eſt homo, qui .. quodam remigio volitet ſublimium ſagacitate ſenſuum.* De virginitate num. 115. de *alis ſpiritualibus* praelocutus, addit: *Alarum autem remigium non materialis compago pennarum, ſed continuus ordo bonorum factorum eſt.* Epiſt. XV. num. 3. *Plaudens alis atque remigiis ſpiritualibus.* Et ep. (29) ad Irenaeum num. 17. *Sicut aquila renovetur ... ut renovatis alarum remigiis, alta petere non reformidet.*

Haec *Remigii* metaphorici loca eo heic poſui, ut ſicui Icariae Simonis pennae ſuboleant fabulam, facile ſit id totum ad metaphoram ab Ambroſio uſurpatam conferre, quũ forſitan is aliud in eo alarum remigio non agnoverit, quam daemonum poteſtatem, qui cum ſic quaſi volucrem trajicientem nubes bajulaverint. Fatendum tamen eſt, verbis illis extremae ſectionis VIII. (*Nihil tale feciſſe Chriſtum*) videri innuiſse Ambroſium, ut ibi adnotavimus, verum ac proprium volatum fuiſse ab Simone affectatum. Quocirca non immerito praeſtigiatorem iſtum Suetonius, ut infra dicemus, *Icarum* nuncupavit.

(***) Alii quidam e veſtigio Simonem exanimatum tradidere. Sed praeſtat ea narratio, quae fert aliquamdiu debilem advixiſſe.

(720) *Ariciam* cum T non tantum Gualtheri editio, & hanc imitatae ceterae exhibent, ſed

concessit; atque ibi mortuus (****) est.

X. (721) Quo comperto, deceptum se Nero, & (*) destitutum: dolens tanti casum (**) amici, sublatumque sibi virum utilem, & necessarium (722) Reipublicae; indignatus, quaerere coepit caussas, quibus Petrum occideret. Et jam tempus aderat, quo Sancti vocarentur (723) Apostoli Petrus & Paulus. Denique dato ut comprehendere-

sed etiam princeps Ascensiana. Ceteroqui sat scimus, ab Strabone Latinisque nec non in itinerariis, & rei agrariae scriptoribus id nomen cum C scribi; sicuti etiam in Rom. lapide apud Muratorium pag. 1028. 6. IVLIO. MARCO. DECVRIONI. ARICINORVM. Non continuo tamen sollicitanda est Exjosippi scriptio, non tantum quia C & T alternant saepissime, verum etiam quia in Gruteriano Casinate titulo, quem Lipsius exscripserat, sic reperio: DRVSO. IVLIO. CAESARI. COL. ARIT. IVL. D.D. Nec enim quidquam ibi de *Aritio Praetorio* Lusitaniae oppido cogitandum, sed omnino de *COLonia ARITia IVLia*: cujus utpote coloniae Romanae, Julium illum Marcum *decurionem* fuisse, modo ex Muratorii titulo animadvertimus. Erat id oppidum Viae Appiae adsitum, XVI. millibus passuū ab Roma distans.

Porro Arnobius, non Ariciam, sed Brundisium Simonem ablegavit: de quo postea viderimus.

(****) *Maerore* scil. mortuus est. Huc enim referendum est illud, quod sect. III. per anticipationem narraverat Ambrosius, *Digno est consumptus maerore*. Vide Adnotat. 692. Alii tamen aliter narrant: de quo deinceps.

(721) Tres versus sequentes usque ad *Quaerere coepit*, sic edidi ac distinxi, ut in Gualtheriana & ceteris hanc secutis, ipsaque prima Ascensiana exhibentur ac distinguuntur. Ceterum aut in voculis menda haeret, aut certe in interpunctione. Ad hanc quod attinet, si ponamus, QVO pro *Quocirca* heic esse positum, tum hac distinctione juvabis sententiam, vel sic tamen turbulentam futuram: *Quo: comperto deceptum se Nero & destitutum: dolens*, & cetera uti supra. Quod si illud QVO cum COMPERTO nectendum sit, tum illa *Deceptum se Ne. & dest.* interponentur, subaudito SCILICET, in hunc modum: *Quo comperto: deceptum* (scil.) *se Nero & destitutum: dolens* &c. Aut vero τὸ DOLENS ad praecedentia transferes, & ab sequentibus majore aliquo interpuncto divelles; illud vero *Tanti casum* ad *Indignatus* referes, in hunc modum distinguens: *Quo comperto: deceptum se Nero & destitutum dolens: tanti casum amici, sublatumque sibi virum utilem & necessarium reipublicae indignatus: quaerere* &c. Atque haec demum distinctio ceteris longe est praestabilior. Quam quum unice amplecterer, etiam ab Abdia confirmari, gavisus fui: qui sic textum Exjosippi interdum immutat, ut tamen, quid in cod. suo invenerit, satis praeseferat. Sic ergo is narrat: *Quod ubi Neroni compertum est; deceptum se ac destitutum dolens, sublatumque sibi virum utilem ac necessarium reipublicae indignatus, quaerere coepit causas, quibus Petrum occideret*. Viso, quid ab distinctione sit opis, videamus num quid & ab voculis auxilii. Gualtherus in cod. vetere sic legit: *Dec. se Ne. & dest. VIDENS tanti CASV amici*. In qua lectione sicuti *Videns* pro *Dolens* nemo cordatus admiserit; sic CASV pro *Casum* litem hanc totam amputat. Ergo quarta correctio, ceteris anteponenda, sic procedet: *Quo comperto: Dec. se Ne. & dest. dolens tanti casu amici: sublatumq... indignatus: quaerere coepit* &c.

(*) *Deceptum* & *Destitutum* sunt Ambrosio, antiquos imitanti, synonyma. Vide Glossarium sup. Par. I. cap. 5. in *Destituo*.

(**) CASVS potest tum γενικῶς pro *calamitate*, tum proprie pro vera Simonis *prolapsione* accipi.

(722) Apud Historiae Augustae scriptores saepissime istud *Vir reipublicae necessarius* legisse memini: quo elogio donabantur ab Imperatoribus aut senatu ii, qui res maximas & gloriosissimas domi militiaeque gessissent.

(723) Quonam pertineat istud *Sancti vocarentur Apostoli*, haud facillimum dictu est. Abdias certe, quum Exjosippi nostri scrinia ad scobem usque compilasset; hanc tamen periocham, certe quod eam assequi acumine suo nequivisset, totam astutus resecuit. Si argutandi libido sit; poterit id referri ad statuam, quam Simoni erectam Justinus memorat cum inscriptione SIMONI DEO SANCTO: quam historiam ab Justino teste oculato saepe inculcatam, postea ab Irenaeo, Tertulliano, Eusebio & aliis confirmatam, frustra sunt qui adnituntur convellere. Porro SANCTI

deretur praecepto, rogabatur Petrus, ut sese alio conferret. Resistebat ille dicens, nequaquam se facturum, ut tanquam metu mortis territus cederet: bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset: non mortem illam, sed immortalitatem futuram: tanquam indignum, ut ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos (724) doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre: deberi sibi secundum Domini vocem, ut & ipse in passione sua Christo gloriam (725) atque honorem daret.

XI. Haec & alia Petrus (***) obtexere: sed plebs lacrymis (726) quae-

CTI cognomen minorum gentium diis tribui consueverat. Sic *Sanctus* Hercules, Sylvanus aliique plures in lapidibus inscribuntur. Sic & *Semo* Sabinorum Deus cognominabatur sive SANCVS sive SANGVS [quod puto Sabinorum lingua tantumdem quod *Sanctus* fuisse] sive SANCTVS, ut alicubi legitur. An igitur conjiciemus, post turpem Simonis prolapsionem, illam *Sancti* appellationem piissimum quemque popularium a nebulone illo imposturae manifesto in Apostolos transferre coepisse; eoque scripsisse Ambrosium, *Et jam tempus aderat, quo SANCTI vocarentur Apostoli Petrus & Paulus*. Verum hac conjectura fruatur qui volet. Id si sibi voluisset auctor excidii, rem longe aliter elocutus fuisset; nec saltem verbum *Aderat* usurpasset, quod heic est *Instabat*, quodq. necessitatis ultimae exspectationem in mente ciet. Accedit quod particula DENIQVE [quae ab Ambrosio tertio quoque verbo, ut alibi dictum, sic usurpatur, ut vim illativam habeat: & heic maxime non aliud est quam *Itaque*] quae statim sequitur, expositam argutationem prorsus evertit.

An vero illud VOCARENTVR ad Deum est referendum? quasi dixisset, *Tempus aderat quo Sancti Apostoli a Deo ad martyrium vocarentur*. Hoc quamquam ferri potest; tamen ut retrusius aliquid inquiratur, Ambrosianae dictionis consuetudo monet. Quid ergo est? VOCARE verbum judiciale est: cui forensi sermoni Noster, ut in Glossario diximus, insueverat. Nihil apud veteres ICtos frequentius, quam *Vocare in jus* [quae & XII. tabularum ῥῆσις est] & *Vocare ad judicium*. Ab harum vero locutionum frequenti usurpatione factum arbitror, ut aevo Ambrosiano *Vocari* absolute tantumdem esset quod *Vocari ad judicium*, aut *In quaestionem peti*, *In quaestionem dari*. Quod & cum sequentibus belle cohaeret: *Denique* [h. e. Itaque] *dato ut comprehenderetur* [Petrus] *praecepto*.

(724) In Epistola Petri priore plura sunt quae huc trahi possint. Cap. II. v. 21. *In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Confer etiam cap. IV. 13. 15. 16. & horum similia, quae mitto exscribere. Qui porro haec scripsisset, non poterat, Nerone ad vexandos Christianos incumbente, non eadem multo vehementius in suis concionib. inculcare.

(725) Hoc illud est δοξάζειν τὸν Θεὸν in 1. Petri IV. 16. *Nemo* (inquit) *patiatur ut homicida aut fur* &c. *Si autem ut Christianus . . glorificet Deum in isto nomine*. Ceteroqui Judaeis *Da gloriam Deo* formula erat, qua veritas exprimebatur. Hinc etiam hoc loco *Christo gloriam daret* tantumdem esse possit, quod *Christum confiteretur*.

(***) Infinitivis historicis haud miror passim scatere Exjosippum, utpote historicum. Confer sup. sect. VIII. v. 7. At etiam in ceteris operibus Ambrosius his mire abundat, maxime in narrationibus. Vel in una narratione de S. Agne, quam in I. de Virginib. intexuit, quam crebra haec sunt! *Nunc mucroni totum offerre corpus, tendere . . Christo manus, tropaeum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusque inserere nexibus*. Adhaec: *Flere omnes, ipsa sine fletu: MIRARI PLERIQVE* [quod totidem verbis habes heic sup. sect. VIII. v. 7.] *quod* &c. *stupere universi quod* &c.

(726) *Quaerens* cum diphthongo scripsi, quia sic Gualtheriana editio, sic ceterae posteriores exhibent. Quae si vera lectio sit; dicendum erit, sicuti apud Italos *Cercare* tantumdem saepe est quod *Postulare*, eamdem notionem τῷ *Quaerens* ab Ambrosio heic subjectam fuisse: cujus tamen significationis exempla adhuc quaero. Adde quod dixisset potius *Cum lacrymis quaerens*. Itaque mihi non erat dubium quin diphthongus hinc esset exterminanda; eaque

quaerens, ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium destitueret: victus fletibus Petrus, cessit: promisit se urbem (727) egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata (728) oratione, proficisci solus coepit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum (729) occurrere, & adorans eum dixit: DOMINE QVO VADIS? Dicit ei Christus: ITERVM VENIO CRVCIFIGI. Intellexit Petrus de sua dictum passione; quod in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed quadam misericordiae compassione, aut gloriae (730) celebritate.

XII. Et conversus in urbem redit; captusque a persequutoribus, cruci (731) adjudicatus, poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur,

eaque in opinione me tum Ascensiana prima ἔκδοσις confirmavit [in qua diserte: *Plaebs lacrymis querens*] tum etiam Abdias, qui duas voculas *Lacrymis querens* in unam *Lacrymans* compulit. Hoc quidem certo est certius.

At illud doleo, quod haec periodus turpi ἀνακολούθῳ [*inconsequentia*] foedatur. Nam quo pacto ambitus iste orationis subsistit? *Sed plebs lacrymis querens, ne se . . destitueret, victus fletibus Petrus cessit.* Scribendum erat, *Plebe . . querente . . Petrus cessit.* Aut saltem, quandoquidem praeit *Obtexere*, continuandum erat, *Plebs queri*, atque ita demum nova ordienda circuitio: *Victus fletibus Petrus cessit.* Verum cave quidquam mutaveris. Ἀνακόλουθα ista apud Graecos sunt sane quam frequentia, nec apud Latinos rara: quae frustra tollere editores satagunt, sed ingratiis. Nam sive hoc olim permissum erat; sive id quodcumque est vitii, ex eo contrahebatur, quod quae antiqui dictabant, in iis haud satis ad ἀκολουθίαν orationis adtenderent. Parte priore alicubi ex quadam Ambrosiana epistola ostendimus, eum saepe ab dictando sedulo abstinuisse, quo limatior oratio procederet. Quid enim facilius, quam dictantem in inconsequentias labi? Hinc illa non rara in operibus Ambrosianis ἀνακόλουθα, quae recte Benedictini non removerunt. Nam quum iis locis nihil editores de variante lectione moneant; id argumento est, ejusmodi inconsequentes locutiones in omnibus peraeque membranis extitisse, & ab Ambrosio tunc dictante profectas. Eodem vitio saepe etiam lapidum inscriptiones laborant, maxime si sint ab imperita manu.

(727) Egressum istum apocrypha quaedam scripta post comprehensum Petrum differunt: satis id quidem inepte: de quo deinceps.

(728) Si hoc loquendi genus in priore illo scripto, ex quo haec hausit, Ambrosius reperit; hinc monumenti illius antiquioris bonitatem aestimare possumus. Nam totum hoc [*Celebrata oratione*] antiquitatem subolet. Vult dicere, ni fallor, *Celebrata synaxi*. *Celebrare* est *Cogere*, convocare & frequentem facere. *Oratio* autem est tota synaxeos ἀκολουθία: cujus praecipua haud dubie pars erat Eucharistiae participatio; in qua & Oratio Dominica celebrabatur, quam Tertullianus in De fuga in persec. *Legitimam orationem* vocat.

(729) De hoc Christi occursu & voce *Iterum venio crucifigi* mox infra plura ex ipsomet Ambrosio & aliis proferemus.

(730) Quid *gloriae celebritatem* heic vocet Ambrosius, plane non intelligerem, nisi primi martyris Stephani [cui Filius hominis stans a dextris virtutis Dei, h. e. in gloria sanctorum, se conspiciendum ultimo in agone praebuit] & aliorum pugilum, quibus aliquid ἰσοδυναμοῦν haud raro contigit, exemplis id quidnam esset, docerer. Illud *Pati in singulis* martyrum [quod proxime dixerat] est *Affici*, aut certe ea facere, quae ii solent, qui ex affectu misericordiae ad opem ferendam prosiliunt.

(731) *Cruci adjudicatus* proba est locutio; etsi *Adjudico* vix aliter quam cum dativo personae reperitur, ut Adjudicare alicui domum, bona &c. Necdum alibi par huic Ambrosiano loquendi genus reperi, quam in Vulgato interpr. Deut. XXI. 22. *Et adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo*. In qua locutione τὸ *Cruci*, *morti* &c. tamquam pro dativo personae se gerit, quia noxium poenae adjudicari idem

retur, quod indignus esset, qui simili modo crucifigeretur, ut passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ita (732) debebatur, ut Christus (733) praedixerat, vel quia persecutor non invitus indulget poenarum incrementa; & ipse & Paulus, alter cruce alter (734) gladio, necatus est.

C A P. II.

Quam junior adhuc Ambrosius de Petri cum Simone certamine, secutoq. martyrio narrationem in suo Exjosippo texuerat, eam ab eodem jam maturiore non modo non fuisse abdicatam, verum etiam gemina ratihabitione confirmatam. Eamdem historiam non videri ab apocryphis monumentis haustam, aut de eo certe non constare.

Hactenus Ambrosianus Exjosippi Apostolicus conflictus decurrit. Tametsi vero neminem jam adeo perfrictae frontis futurum spero, ut negare ausit id to-

tum

idem est quod poenae dedi. Hoc quidem levius. Illud est paullo notabilius, quod Crux unum ex tribus usitatis Neronianae vexationis supplicium fuit, scribente Tacito in XV. Annal. c. 44. *Et pereuntibus* [Christianis] *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut CRVCIBVS AFFIXI, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.*

(732) *Ita debebatur ut Christus praed.* Eamdem locutionem modo usurpaverat sect. X. versu penult. *Deberi sibi secundum Domini vocem.* Sed & alibi Ambrosius eadem elegantia utitur. Epist. (19) ad Vigilium num. 29. *Simul quia DEBEBATVR invictae ad id tempus fortitudinis viro* [Samsoni] *ut aerumnam incideret; saucius animi secretum* [uxori] *aperit.* Ex his vides, *Deberi* ea dici quae sive oraculo praedicta, sive divinitus destinata, contingere necesse est. De fato destinatis est illud Suetonii in Augusto cap. 19. *Telephus, quasi debita sibi fato dominatione, & ipsum* [Augustum] *& senatum aggredi* destinaverat. Pari de causa mors ὀφείλεσθαι [*deberi*] Menandro dicitur:

Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.
Debetur EMORI omnibus mortalibus.

Quod Horatius sic variavit: *Debemur morti nos nostraque.* Virg. *Corpora debentur fato.* Neque hinc longe abit Plato, qui in I. Polit. ὀφειλόμενον exponit generaliter τὸ προσῆκον ἑκάστῳ, *unicuique conveniens.* Qua notione Tertullianus Apologetici cap. 42. *Non lavo sub noctem Saturnalibus .. attamen lavo & debita hora* [h. e. congrua: quod & Itali dicunt, *All' ora debita*] *& salubri.*

(733) Joan. XXI. 18. id praedictum reperitur. At eo loci martyrium quidem praedicitur, imo & crux [illis saltem verbis, *Extendes manus tuas*] at de inverso positu ne verbum quidem. Quae mens ergo Ambrosio fuit, dum σχῆμα inversum ad Christi praedictionem refert? Dicam quid suspicer, plura de eo ad Joann. XXI. dicturus. Ejus capitis ver. 7. sic narratur: *Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se* [*erat enim nudus*] *& misit se in mare.* Ad hoc factum alludens Christus sic versu 18. vaticinatur: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas*: h. e. non tantum anteacto vitae tempore, sed vel proxime, quando ipse te succingebas [nuditatem pudendorum contegens] arbitratu tuo, quo volebas, etiam in mare prosiliens, progrediebare: adhuc quippe juventute florens. Pergit vaticinans Christus. *Cum autem senueris, extendes manus tuas* [ut crucis cornibus affigantur: hactenus ipsemet facies: at non item quod sequitur] *& alius te cinget* [quod quorsum sit accipiendum, mox dicetur] *& ducet* (non progressivo motu, sed effectu) *quo tu non vis*, h. e. quo lex in membris tuis habitans nollet, ad mortem scilicet.

Nunc illud expediendum, ubinam in tota vaticinatione vestigium ullum de situ inverso impressum videatur. Ajo, in illis verbis *Alius te cinget.* Ponamus, Apostolum non nudum [nec enim id prorsus necesse fuit] sed tunicatum cruci affixum fuisse. Tum vero, quia positu contrario affigendus erat; ne forte tunica in caput tota reflueret, ea necessario cruribus per multiplices habenarum spiras adnectenda fuit. Hoc vero illud est: *Alius te cinget.* Aut ita saltem interpretabatur Ambrosius: cujus aevo videtur Petrus a pictoribus & musivariis tunicatus cruci suffixus (sicuti scio Christum in veteribus picturis passim tunicatum exhiberi) ac simul tunica circumactis funiculis affixa cruribus, ne pudenda retegeret. Verum de his pluribus ad Joannis Evangelium Deo juvante.

(734) Vtpote civis Romanus.

tum ab Ambrosio scriptore profectum; tamen satis provideo, quid aliquis excepturus prosiliat in medium. Nempe dixerit, ista Ambrosium valde juvenem, necdum satis valentem judicio, ex fontibus forsitan apocryphis hausta in commentarios retulisse: inter Ambrosii vero catechumeni, & ejusdem jam Episcopi auctoritatem longe plurimum interesse. Cui quidem objectioni sic respondebitur, ut non tantum haec ipsa ab Ambrosio jamdiu sacerdote fuisse pro suis adoptata, sed interdum eisdem verbis, appareat: ex quo etiam Exjosippi Ambrosiique ταυτότης aperta fiet. Postremo & de apocryphis calumnia dispelletur.

Ac primum quum tres sint in Exjosippi narratione partes praecipuae [quarum prima est de juvene ad vitam revocato, altera de Simonis volatu ac ruina, tertia de Christi occursu Petrique martyrio] ultro fateor primae illius historiolae nulla in confessis Ambrosii operibus impressa reperiri vestigia. Nisi vero ubi in Serm. contra Auxentium num. 13. sic narrare incipit [*Idem Petrus postea*, *VICTO SIMONE*. . *excitavit animos gentilium*, ita ut digredi Roma ab fidelibus cogeretur, ibique Christum sibi obvium haberet, & quae sequuntur] illud *Victo Simone* non ad solum volatum, sed & ad praecedentem narrationem de mortuo frustra magicis susurris ab Simone prius tentato, mox victo Simone, a Principe Apostolorum suscitato, referre volumus: quod & verisimile arbitror. Quin & Theodoretus ad juvenem a Petro resuscitatum mihi spectasse alicubi non obscure videtur. Vide seq. cap. ubi de Theodoreto.

Jam vero partem historiae alteram idem Ambrosius diu post initum sacerdotium Hexaemeri lib. IV. cap. 8. extremo paucis hisce verbis pro sua agnoscit & adprobat: *Sic Petrus Simonem alta caeli magico VOLATV petentem, dissoluta carminum potestate, dejecit & stravit*.

Narrationem vero Exjosippi tertiam de Petri secessu, Christique occurrentis voce, idem Antistes in Sermone contra Auxentium [quem anno 386. jam duodennis sacerdos pronuntiavit] num. 13. sic ratam habet, ut non latum unguem ab ea quam Excidio inseruerat, discedat. *Idem Petrus*, inquit, *postea*, *victo Simone*, *quum praecepta Dei populo seminaret*, *doceret* (735) *castimoniam*; *excitavit animos gentilium*: *quibus eum quaerentibus*, *Christianae animae deprecatae sunt*, *ut paullisper cederet*. *Et quamvis esset cupidus passionis*; *tamen contemplatione populi precantis inflexus est*. *Rogabatur enim ut ad instituendum & confirmandum populum se reservaret*. *Quid multa? Nocte muros egredi coepit*, *& videns sibi in porta Christum occurrere*, *urbemque ingredi*, *ait*: *DOMINE QVO VADIS? Respondit Christus*: *VENIO ITERVM CRVCIFIGI*. *Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum*; *Christus enim non poterat iterum crucifigi*, *qui carnem passione susceptae mortis exuerat*. *Quod enim mortuus est peccato*, *mortuus est semel*, *quod autem vivit*, *vivit Deo*: *Intellexit ergo Petrus*, *quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit*: *interrogantibus Christianis responsum reddidit*: *statimque correptus*, *per crucem suam honorificavit Dominum Jesum*. Quae historia non tantū eisdem circumstantiis ac superior Exjosippi narratio ab sect. X. pertexitur, verum etiam plusculis verbis eisdem, cujusmodi ista Excidii sunt sect. XI. v. 5. *Vbi ventum est ad portam*, *videt sibi Christum occurrere*, *& adorans eum dixit*: *Domine quo venis? Dicit ei Christus iterum venio crucifigi*. *Intellexit Petrus de sua dictum passione*. Quae totidem verbis ex Serm. contra Auxentium proxime recitavimus.

Restat jam altera de apocryphis amolienda

(735) Castitatem cujusque statui convenientem docere, id quā longissime ab eo abest, quod in Pseudo-Lini Actis legitur, quod nim. Petrus mulieres a conjugio prohiberet, easque a maritis abstraheret: in quo merito Baronius adspersam Manichaeorum fuliginem agnoscit.

lienda calumnia, ex quibus dicent hanc totam fluxisse Exjosippi fabellam. At hoc siqui praetexunt, eos meminisse volo, hanc criminationem non tam in Exjosippum [h. e. in Ambrosium juvenem & laicum] recidere, quam in ipsum episcopum Ambrosium, qui, ut vidimus, haec eadem,. quum judicio si quisquam alius valeret, adprobavit: neque in hunc tantum, verum in Arnobium, Hierosolymitanum Cyrillum, totque alios IV.& V. saeculi utriusque Ecclesiae scriptores, quos proximo cap. recensebimus; quibus grave est hanc dicam impingere, eos ex fontibus potasse turbulentissimis.

Deinde ostendi ab adversariis necesse esset, ex quibusnam apocryphis sua delibasse Ambrosium arguant. Non ex Abdia dicent, non ex Pseudo-Lino aut Pseudo-Marcello, non ex Pseudo-Clementis sive Constitutionibus, sive Recognitionibus, sive Clementinis. Nam satis idonea ad manus argumenta habeo: quibus ex nullo horum sua derivasse Ambrosium,infra cap.4. §.1. docebitur.

Ac fuit quum suspicarer, sua deprompsisse Ambrosium ex Petri *Praedicatione*, cujus Eusebius, Hieronymus, pluresque meminerunt: ex qua *Praedicatione* dum quaedam bonae frugis depromit Lactantius, quae in ceteris apocryphis & pseudepigraphis absunt; satis per ea declarat, Lactantianam Petri *Praedicationem* nihil commune cum Constitutionibus, Recognitionibus, Clementinisve habuisse. Adscribam huc Firmiani locum ex lib. IV. cap.21. *Discipuli vero* (post Magistri ascensum) *per provincias dispersi, fundamenta Ecclesiae ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine Dei magistri magna & paene* (736) *incredibilia miracula: quia discedens instruxerat eos virtute ac potestate, qua posset novae annuntiationis ratio fundari & confirmari: sed & futura illis aperuit omnia, quae Petrus & Paulus Romae praedicaverunt; & EA PRAEDICATIO IN MEMORIAM SCRIPTA*(737) *PERMANSIT: in qua quum multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Judaeos, & civitates eorum solo adaequaret; ipsos autem fame sitique confectos obsideret. Tum fore ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem. Postremo ut capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo vexari acerbissime conjuges suas cernerent, violari ac prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique igni ferroque vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari, eo quod exsultaverint* (pro *Insultaverint*) *super amantissimum & probatissimum Dei Filium. Itaque post illorum obitum, quum eos Nero interemisset; Judaeorum nomen & gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia quae illi futura praedixerant.*

Haec inquam Petri praedicatio (cujus hoc fragmentum Firmiano debemus) nō tantum ab apocryphis quae nunc circumferuntur, uti dixi, diversa fuit, sed & non contemnenda complectebatur, quantum quidem ex Lactantii, haud inepti viri, adprobatione aestimare possumus. An igitur ex hoc opusculo totam illam narrationem deprompsit Ambrosius? Vix putem. Nam siquid erat, quod inde in Exjosippum suum derivari ab Ambrosio oportuisset, illud certe vaticinium de Hierosolymorum vastitate, cujus summam nobis servavit Lactantius, minime praetermittendum fuisset: de quo tamen Exjosippus alte silet.

For-

(736) Recte: quippe Christus promiserat, *Majora horum facient*. Ad ista vero *paene incredibilia* non inepte forsan referri possunt Exjosippi narrationes tum de juvene suscitato, tum de Simonis volare adorientis, precante Petro, prolapsione.

(737) Exstabat igitur IV. ineunte saeculo Petri κήρυγμα, utpote a Lactantio lectum: qui & vaticinium de impendente Hierosolymorum vastitate inde hausit. Quae vaticinatio quum a scriptis Clementi tributis absit; ex eo colligitur, Lactantianum κήρυγμα diversum a pseudo-Clementinis fuisse.

Fortaſſis ex aliis apocryphis, quae interciderunt, totam hiſtoriam illam arceſſivit Noſter. Hanc quidem ſuſpicionem infra diſſlabimus. Interim cur non, qui juventutem totam Romae tranſegiſſet, eum potius ex ſinceris Eccleſiae Romanae ſive ſcriptis ſive traditis per ſacerdotes memoriis profeciſſe contendimus? Aut quod vero propius ſuſpicor; partim ex ſcriptis narrationibus, partim ſparſis de ea re minime vanis rumoribus eum didiciſſe, quae ſcripſit, facile ſuſpicor, tum quia Auguſtinus in ea re *Diffamandi* verbo (de quo cap. ſeq. dicam) utitur, tum etiam quia hoc ipſum tanta narrationum diverſitas ſuadet: de quo infra uberius.

C A P. III.

De Simonis volatu ac ruina veterum teſtimonia.

Ea tantum loca hoc cap. proferam, quae ad alteram Ambroſianae narrationis partem pertinent, quae de Simonis volatu agit: nam partem tertiam, quae Chriſtum Petro occurrentem facit, cap. V. illuſtrabimus.

Ab Arnobio Afro incipiam, qui circa annum 303. ſuam ſcripſiſſe Apologiam creditur. Is lib. 2. ſic ſcriptum reliquit. *In qua* (Roma) *cum homines ſint Numae regis artibus atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianae. Viderant enim currum Simonis magi & quadrigas igneas Petri ore diſſlatas, & nominato Chriſto evanuiſſe. Viderant inquam fidentem diis falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum, pondere praecipitatum ſuo, cruribus jacuiſſe praefractis: poſt deinde perlatum Brundam* (738) *cruciatibus & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſus praecipitaſſe faſtigio. Quae omnia vos geſta, neque ſcitis, neque ſcire voluiſtis, neque umquam vobis neceſſaria jùdicaſtis.* Diſſidet autem hic Afer ab Ambroſio, tum quod curru ſubvectum inſtar Eliae facit, tum quod poſt caſum Brundam ſive Brundiſium eum ablegat. Etſi nihil impedit, quo minus Ariciam prius, mox conſcenſa navi Brundiſium pervenerit. Illud notabile, quod Arnobius non tamquam de re χθὲς καὶ πρώην vulgata, ſed tamquam de trita narratione ac pervagata [ut quae ab Roma Siccam uſque Veneriam Arnobii patriam manaverat] loquitur.

Afro huic proximus antiquitate ſuccedat Hieroſolymitanus antiſtes Cyrillus, qui Catech. VI. cap. 15. ſic docuit. *Quum vero* [Simonis] *error ſe latius ſpargeret; vitium illud correxit egregium par virorum,*

(738) Tillemontius in S. Petro Artic. 34. conjicit *Brundam* iſtam non alibi quam Romae fuiſſe. Atqui praeſtabat de *Brundiſio* interpretari. Feſtus: *BRVNDISIVM quidam poetae brevitatis cauſa BRENDAM dixere.* Sic optimae editiones habent: etſi ſat ſcio, a quibuſdam ſic afferri: *Brundam dixere.* Nunc quia BRENDAM [ſive BRENTAM] cum E vocali codices Feſti habent, id argumento eſt, ad Graecos poetas ab eo indicem intendi. Nam ſicuti Graecis plena urbis hujus vox eſt βρεντέσιον cum E; ſic idem vocabulum Graecis Poetis βρέντη aut βρένδη contracte efferebatur. Nominis originatio eſt a βρένδον aut βρέντον, quod apud Meſſapios cervi cornua ſignificabat: quod jam viri docti viderunt. At vero diſpar eſt Latinorum ratio. Apud quos ſicuti quadriſyllabi *Brundiſium* primorem ſyllabam V vocalis loco E occupavit; eadem ratio in diſyllabo valebat, ut ex βρένδη fieret *Brunda*. Idque nos Arnobii locus hic docet, *Brundam* non *Brendam* ſcribentis.

Quid ſiquis *Brundam* Arnobianam diverſam a *Brenda* Feſti h. e. Brunduſio fecerit? nam nimium certe ab Roma aberat; ut non immerito videatur veriſimilius Ambroſius magum Ariciam ablegaſſe, ibique mortuum prodidiſſe. Sed tamen ſi *Brundae* nomine Brundiſium Afer intellexit [nec enim alius ejus nominis locus uſquam oſtenditur] id forſitan ei fraudi fuit, quod inaudiſſet, Simonem Appiam viam [in qua Aricia erat] ingreſſum ea mente fuiſſe, ut Brundiſium peteret, inde in transmarinas partes abnavigaturus; ſcitum eſt enim e portu Brunduſino antiquos in loca transmarina ſolviſſe. Ea credo mens mago fuerat: qui tamen debilitate victus, Ariciae ſubſtitit. At Arnobius qua memoria falſus, qua parum locorum gnarus, circulatorem illum re vera Brundiſium, ſicuti in animo habebat, perveniſſe credidit. Vides unde Brunda iſta Arnobiana ad turbandam narrationem proceſſerit.

rum, Petrus & Paulus, Ecclesiae (προςάται) *praesides illuc profecti: qui illum* (τὸν νομιζόμενον θεὸν) *deum putativum Simonem sese ostentantem, subito mortuum repraesentarunt. Quum enim Simon se mox in caelum sublimem sublatum iri praedixisset, jamque adeo* (ἐπ' ὀχήματος δαιμόνων) *daemonum* (739) *vehiculo per aëra vectaretur; servi Dei genibus provolutis, illamque concordiam commonstrantes, de qua Jesus dixerat*: Si duo ex vobis consenserint de omni re quamcumque petierint, fiet eis: *consensionis telum adversus magum ejaculati, in terram praecipitem dejecerunt. Neque tibi hoc mirum videatur, quamvis alioqui per se mirum; Petrus enim is erat, qui caeli claves circumferebat. Nec admiratione dignum; quando & Paulus is erat, qui in tertium caelum atque in paradisum raptus, audierat verba quae non licet homini loqui. Qui quidem ex aëre in terram illum putativum deum depresserunt, mox in inferorum loca deprimendum. Talis ille primus malitiae draco fuit.* Porro quas difficultates in adnotatione huic egregio loco subjecta nuperus editor Benedictinus adversus hanc narrationem ex Cotelerio proposuit, eas toto seq. capite, ubi addubitanti Cotelerio respondebitur, diluemus.

Jam vero quid Legatorum Romanae sedis testificatione locupletius? qui quod scire melius aliis poterant, paucis indicarunt verbis in ea epistola quam ad S. Eusebium Vercellensem scripserunt apud Baronium ad ann. 355. num. 8. Sic igitur ibi Lucifer episc. Pancratius presbyter, & Hilarius Eusebium alloquuntur: *Scit enim Dominus & Christus ejus, quia sicut in adventu beatissimorum Apostolorum glorificatur Dei nomen IN RVINA SIMONIS; ita Valente expulso in adventu tuo, dissoluta blasphemantium Arianorum MACHINA penitus destruetur.* Vbi non tantum *Ruinae Simonis* meminerunt, sed & cum hac *Machinam* Arianorum comparant: quod *Machinae dissolutae* vocabulum haud dubie ad magica illius nebulonis machinamenta, quibus suffultus volare occeperat, mox dissoluta atque destructa, refertur.

Pone hos sequitur S. Pacianus epist. secunda, in qua hoc totum sic tangit, ut tamen integram narrationem, tamquam vulgo notam, praetereat. Sic igitur ad Sympronianum scribit: *Nonne Simonem Petrus, judice* (740) *adstipulante, confundit? Num* (fort. *Nonne*, aut *Non*) *Elymam, favente Sergio, Paulus excaecat?*

His addatur Epiphanius Haer. 21. quae est Simonianor. num. 5. *Nam si ille potentia Dei magna est . . . quo pacto idem praestituto sibi tempore naturae debitum reddidisse in urbe Roma reperitur* (ὅτε ἐν μέσῃ τῇ τῶν Ῥωμαίων πόλει ὁ τάλας καταπεσὼν τέθνηκε) *quum in Romanorum urbe media delapsus* (741) *miser interiit?*

Heic

(739) Eleganter pro eo quod est *Vi daemonum*. Hinc illae apud Arnobium *igneae quadrigae*, quasi Eliae instar, confictae.

(740) Quum quod de Elyma sequitur, id ad narrata ab S. Luca in Actis referatur; poterat & hoc prius ad id quod de fracta a Petro Simonis impudentia Act. VIII. scribitur, pertinere, nisi Pacianus τὸ *Judice adstipulante* [de quo nihil Act. VIII. exstat] interposuisset. Tangitur igitur Romanus Petri cum Simone conflictus. Ac sane familiare hoc antiquis fuit, ut ultimum hoc Petri cum Simone certamen cum illo Pauli cum Elyma congressu componerent. Sic S. Prosper in lib. cui titulus *Dimidium temporis* cap. 13. & Basilius Seleuciensis lib. 1. de S. Thecla, & alii.

Porro illud *Judice adstipulante* posset ad quemvis judicem, qui certamini praefuisset, referri, nisi *Apud Neronem regem* fuisse depugnatum Philastrius mox producendus scripsisset. Suetonius etiam Neronem volanti ac postmodum ruenti scurrae interfuisse narrat: de quo infra.

Quod sequitur CONFVNDIT, id ad Simonis maerorem ex ruinae ignominia contractum [de quo in Excidio Ambrosius] haud dubie pertinet. Adstipulatur Arnobius.

(741) Petavius in sua interpretatione pro *Delapsus* posuit *Ex alto decidens*. At equidem ultro illud *Ex alto* removi. Nam etsi καταπεσεῖν, si vim compositionis spectes, sit *deorsum cadere*; tamen etiam de iis dicitur qui in terram ex aequo loco labuntur. Fatendum ceteroqui est, tum illud ἐν μέσῃ τῇ πόλει, tum etiam ὁ τάλας, ad scurrae istius vulgo celebratam ex alto ruinam pertinere.

Heic loco Ambrosii (quem jam superiore cap. produximus) in aciem procedat vetus scriptor aequalis (742) Ambrosio, auctor commentarii in epist. ad Rom. in appendicem Ambrosianor. operum rejectus. Is ad Rom. VIII.39. sic scriptum reliquit: *Neque si virtus ab aliquo facta fuerit* [*sicut dicitur facta a Simone mago*; *qui dicitur in aëre sursum, ut populum Christi scandalizaret, volasse*] *fidem nostram debebit minuere*.

Adhaec Philastrius Brixiensis ubi de Simonis haeresi, sic desinit: *Qui quum fugeret beatum Petrum Apostolum de Hierosolymitana civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum beato Apostolo apud Neronem regem, devictus undique oratione beati Apostoli, atque percussus ab Angelo sic meruit interire, ut ejus MAGIAE EVIDENS MENDACIVM* (volatum ab impostore tentatum intelligit) *cunctis hominibus patefieret*.

Dabitur heic incerto sed perantiquo scriptori locus, auctori scil. commentarii in omnes Psalmos, qui diu sub Hieronymi nomine circumlatus fuit. Is ad illud Psal. IX. *Dixit in corde suo: Non movebor a generatione in generationem sine malo*: sic commentatur: *Non movebor a generatione carnali in generationem spiritalem* [*id est de terra cum corpore in caelum conscendam*] *sine malo: ac si dicat sine ulla injuria. Cum voluerit ascendere* (Antichristus) *ad Montem Oliveti, Dominus eum interficiet spiritu oris sui. Voluit unus de membris suis* [de membris scil. Antichristi] *Simon magus caelum conscendere, sed interiit*.

Postremo saeculi IV. scriptorum magnus Augustinus agmen ultimus claudat. Is ad idem illud Ps. IX. *Non movebor de generatione in generationem sine malo*, ferme (743) eadem, quae ignotus auctor quem proxime produximus; adnotat his verbis: *Est & alius intellectus, si de generatione mortali ad aeternitatis generationem se venire non posse, vanus & errore plenus animus arbitratur, nisi artibus malis: quod quidem etiam de Simone* (744) *diffamatum est, quum sceleratis artibus caelum se putasset adepturum, & de humana generatione in divinam generationem rebus magicis transiturum*. Porro dicent heic aliqui, hoc tantum affirmare Augustinum, id jactasse Simonem: at quanti laboris erat addere, id etiam conatum, si quidem vera putasset quae narrantur? At inquam, Augustini proposito (explicaturi scil. illud *Dixit in corde suo &c.*) id tantum necesse fuisse, ut ostenderet, magum id in animo habuisse. Sicuti & incertus Auctor proxime laudatus nihilo plus dicit: nisi quod statim addit: SED INTERIIT. At horum verborum loco, quae tunc supervacanea sibi Hipponensis credidit, locupletiora alibi de impostoris a Petro extincti exitu habet. Nam initio lib. de haeresib. de Simone sic desinit: *In qua urbe* [Roma] *apostolus Petrus eum* (Simonem) *vera virtute Dei omnipotentis* [non falsa vi daemonum, qua magus pollebat] *EXTINXIT*. Huc etiam pertinet, quod ubi Augustinus in III. de Trin. 9. negari homini volatum, etiam pravis Angelis permittentibus, statuit, haud obscure meo judi-

(742) Quisquis hic scriptor fuerit (sive Hilarius Ecclesiae Rom. diaconus, in quem tamquam Luciferianum invehitur Hieronymus: quod quidem pluribus, ex Augustino id suadentibus, placuit: sive quivis alius) aequalis certe S. Ambrosii & Damasi Papae fuit; ut qui ad 1. Timoth. III. scripserit, *Cujus* (ecclesiae) *hodie rector est Damasus*. Plurima ex hisce commentariis afferuntur, quae eidem plane antiquitati congruunt.

(743) Eadem quoque propemodum ad eumdem Psalmi locum ab Euthymio & Hesychio notata afferuntur, nempe τὸ *A generatione in generationem* tantumdem esse, quod *A vita praesenti ad eam quae erit post mortem*: usque adeo apud antiquos ea interpretatio invaluerat.

(744) Hoc est, *plurimorum sermonibus dissipatum*. Apulejus IV. Met. 4. *Contentissima voce clamitans . . diffamat, incendio repentino domum suam possideri*. Ibid. cap. 10. *Quarum temperatam formositatem nulli diffamarant* (h. e. pervulgaverant) *populi*. In vet. Glossis *Diffamo* est διαφημίζω & ἐπιφημίζω.

judicio videtur ad historiam volatici Simonis alludere: de quo loco vide inferne (745) adnotata. Est & alius Augustini locus epist. ad Casulanum, aliorsum a Cotelerio acceptus, quem infra seq. cap. proferemus. Plura accurate ex Augustino corradere pensi fuit, quod jure is maximo prae ceteris judicio polluisse videatur.

Jam vero saeculi V. testium agmen Severus Sulpicius ducat. Is in II. Hist. Eccl. ubi de Neronis persecutione, sic narrat. *Eo tempore Divina apud Vrbem religio invaluerat, Petro ibi episcopatum gerente: & Paulo, posteaquam ab injusto praesulis judicio Caesarem appellaverat, Romam deducto, ad quem tum audiendum plures conveniebant: qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebro ediderant, permoti, ad cultum Dei sese conferebant. Etenim tum illustris illa adversus Simonem Petri & Pauli congressio fuit: qui quum magicis artibus ut se Deum probaret, duobus suffultus daemoniis evolasset, orationibus Apostolorum, fugatis daemonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est. Interea abundante jam Christianorum multitudine, accidit ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto.* Tum quo pacto imperator, eo crimine in Christianos rejecto, eos diris modis cruciatos interfecerit, ubi eleganter narrasset; addit. *Tum Paulus ac Petrus capitis damnati: quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est.*

Age vero Isidorum Pelusioten audiamus in epistola ad Lampetium I. 13. *Quamobrem si te Simonis exemplum non terret (qui quum baptizatus fuisset, ac ministris Christi comitem se praebuisset, rursus* [πρὸς τὴν ὕλην] *ad materiam se convertit; ob idque etiam ex alto miser in mortem multorum sermone decantatam praeceps ruit: ut ex una ipsius ruina omnibus perspicuum fiat, quibus suppliciis digni sint, qui caeleste curriculum mentiuntur) Simonis vestigiis animiq. instituto haere. Sin autem &c. pacta cum Deo inita exple.*

Nemo autem copiosior Maximo Taurinensi reperietur, qui Homil. V. de SS. Apost. Petro & Paulo (quam Sigonius ad Sev. Sulpic. historiam, aliiq. sub nomine S. Augustini citant, cui certe olim tribuebatur) prope ab initio sic eloquitur. *Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus causam, quare ista perpessi sunt: scilicet, quod inter cetera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo praecipiti ruina prostraverunt. Quum enim idem Simon se Christum diceret, & tamquam filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare coepisset; tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem. Prior enim ascendit ad Dominum oratio, quam volatus: & ante pervenit justa petitio quam iniqua praesumptio. Ante inquam Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quam Simon perveniret in caelestia, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam praecipitio in saxo elidens, ejus crura confregit. Et hoc in opprobrio factum illius est, ut qui paullo ante volare tentaverat, subito ambulare non posset; & qui pennas assumpserat plantas amitteret. Sed ne forte hoc mirum videatur, quod magus iste praesente Apostolo per aerem aliquandiu volitaverit; hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimius ascendere, ut altius*

(745) Res sic se habet. Augustinus in III. de Trin. 9. dum quousque praestigiatoribus ac magis permissum sit per malos angelos agere, disputat, hoc etiam posuit. *Novimus enim hominem posse ambulare, & neque hoc posse si non permittatur* [per angelos scil. aut divinam prohibitionem]: *VOLARE AVTEM NON POSSE, ETIAM SI* (a pravis angelis) *PERMITTATVR* [quibus verbis haud obscure ad Simonis volatici ruinam alluditur). *Sic & illi angeli quaedam possunt facere, si permittantur ab angelis potentioribus ex imperio Dei; quaedam vero non possunt, nec si ab eis permittantur, quia ille non permittit, a quo illis est talis naturae modus.* Confer omnino Eusebii locum in Damasceno infra ad finem scriptorum V. saeculi: ubi in exemplum negati hominibus volatus Simon adducitur.

altius caderet: voluit eum in excelsum levari ad conspectum omnium, ut ruentem illum de excelso oculi omnium perviderent. Haec igitur iniquitatis est elatio, ut in altum se ferat, in sublime se erigat: sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, universam dejicit vanitatem. Haec tam multa eo libentius ex Maximo descripsi, quod is per omnia Exjosippo cohaereat. Prae ceteris notandum est Ambrosianum *Alarum remigium* in iis Maximi verbis, *Pennas assumpserat*: & quod initio causam passionis Apostolorum hanc cum Ambrosio assignet, quod *Simonem .. praecipiti ruina prostraverunt*; & quod in fine cum eodem Ambrosio non primo nisu Simonem dejectum, sed aliquatenus provectum in altum docet.

Sed & copiose hanc totam narrationem Theodoretus lib. I. haeret. fabular. cap. I. intexuit hisce verbis. *Claudio imperante Romam venit* (Simon) *ac Romanos praestigiis suis sic attonitos reddidit* (ὡς καὶ στήλῃ τιμηθῆναι χαλκῇ) *ut & aenea statua cohonestaretur. At rursus adveniens divinus Petrus* (ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῶν τῆς ἀπάτης πτερῶν) *fraudis illum pennis nudavit. Quem tandem ad miraculorum certamen quum provocasset, atque inter divinam gratiam interque praestigias quantum discrimen esset, ostendisset* (his verbis videtur certamen (746) de adolescente ad vitam reducendo, ab Exjosippo descriptum, designare) *universis Romanis spectantibus, magna illum ex altitudine suis precibus deturbavit, ac miraculi hujus spectatores ad salutem perduxit*.

Basilius Seleuciensis, qui medio V. saeculo floruit (lib. I. de S. Thecla pag. 268.) Οἷος ἦν ὁ Πέτρος, δι' εὐχῆς μόνης . . . Σίμωνα τὸν πολυθρύλλητον μάγον εἰς οὐρανὸν ἀναπτῆναι δοκοῦντα, κατασπάσας τε αὖθις καὶ ἐπὶ γῆς ἐξ αὐτοῦ λοιπὸν τοῦ αἰθερίου κύκλου καταῤῥήξας. καὶ μάρτυς τούτου τοῦ θαύματος ἡ μεγίστη Ῥώμη καὶ βασιλίζουσα πόλις &c. *Qualis erat Petrus qui unius orationis efficacia . . . Simonem magum tantopere celebratum, qui in caelum volare videbatur, rursum in terram detraxit, ipsoque ex aethereo orbe deturbavit: cujus miraculi testis est urbs maxima & regia Roma. Qualis item Paulus erat, qui . . . Elymam magicae artis nomine insignem excaecavit*.

Auctor Praedestinati qui, quod in haereseon catalogo Eutychianae non meminerit, medio V. saec. claruisse videtur, sic lib. I. incipit: *Prima haeresis a Simone sumpsit exordium . . . Hic a beato & sancto Apostolo Petro ita est publice superatus, ut ante pedes ejus cadens, ultra surgere minime potuisset*.

Ad V. saeculi scriptores referri potest Eusebii (I) cujusdam testimonium, quod apud

(746) Videtur inquam suscitati adolescentis historia tangi: in quo facto tum *miraculorum certamen* palam commissum fuit, tum etiam ab omnibus agnitum quid inter Simonis *praestigias*, speciem tantum vitae, non veritatem praestantis, interque *Divinam gratiam*, qua re vera juvenis ad vitam est revocatus, interesset. Hoc totum inquam in priore facto eluxit: nam in posteriore Simonis molimine, nec *certamen* proprie fuit, quia solus Simon professus de se mira fuit: nec secuta prolapsio tam Divinae gratiae, quam potius ultioni tribuenda fuisset.

(I) Diu dubitatum fuit, quis ille sit Eusebius, ex quo plura passim fragmenta Damascenus in Parallelis profert, aliis Caesariensem, aliis Alexandrinum quemdam Eusebium frustra suspicantibus. De quo vide Mich. Lequienii adnotata ad litteram π, Tit. 29. Vbi erudite probat, eum fuisse monachum & episcopum, non quidem ulli sedi affixum, sed vagum, & honoris causa ordinatum: cujusmodi aliquot in Syriae partibus monachos simulque episcopos nullarum urbium V. saeculo fuisse, memorat Sozomenus VI. 33. 34.

Ac re vera hoc fragmentum [ex quo recitata verba desumpsimus] integrum reperitur in opusculo Bibl. Regiae, cujus hic titulus, Εὐσεβίου ἐπισκόπου καὶ μοναχοῦ περὶ ἀστρονόμων. *Eusebii episc. & Monachi de astronomis*. Vbi post duas tresve periodos sequitur, Εἰσί τινες καταρώμενοι &c. cum iis omnibus quae tum in hoc Fragmento leguntur; tum etiam in Rupefucaldinis [Damasceni Parallelis] litt. μ. Tit. 7. Ex quibus liquido constat, superius fragmentum a Damasceno productum

 non

apud Jo: Damascenum lib.I., Parallelor. cap. 56. in Billii interpretatione Latina reperitur. Sed eumdem locum praestabit non tantum Latine sed & Graece depromere ex Mich. Lequien ultima Damasceni editione, tom.2. in Parallelis littera β, Titulo V. his verbis ex Eusebio: *Τίς ἠδυνήθη καταγοητεύσας ἀναβαίνειν εἰς οὐρανόν; ἠβουλήθη Σίμων ὁ Μάγος, ἀλλὰ πεσὼν διεῤῥάγη. Quis ullis praestigiis in caelum potuit* (II) *ascendere? Voluit id quidem Simon magus, sed ruens disruptus est.*

In eadem ferme tempora incidit auctor libelli, qui inter (III) Prosperi Aquitani opera editur, cuique index praescribitur *Dimidium temporis*. Cujus cap. 13. sic scribitur. *Contra Pharaonem duo testes Dei missi sunt, Moyses & Aaron, & duo magi Pharaonis Jamnes & Mambres . . perierunt: & contra Neronem duo, Petrus & Paulus Apostoli: at contrario Simon magus, qui & se perdidit & Neronem decepit.*

Ex VI. jam saeculo paucos testes afferam. Libellus Monachor. Justiniano Imp. oblatus & Actione prima CPolitani conc. sub Menna an. 541. habiti lectus inter cetera sic habet: *Misit Deus huic urbi Agapetum . . veteris Romae Archiepiscopum ad Anthimi & dictorum haereticorum depositionem* (ὥσπερ ποτὲ Πέτρον τὸν μέγαν τοῖς Ῥωμαίοις ἐπὶ καθαιρέσει τῆς Σίμωνος γοητείας) *sicut olim Petrum illum magnum ad magiae Simonis dejectionem.*

Jam vero medio VI. saeculo Turonensis Gregorius in I. Hist. Franc. 25. nihil amplius quam magum Simonem *elisum per Apostolos Domini Petrum atque Paulum* Romae sub Nerone scribit. Vbi vox ELISVM confracti ac debilitati ex ruina cruris historiam satis designat. At in I. Miraculor. 28. idem sic incipit: *Petrus Apostolus . . Romae cathedram locavit. Cujus oratione & Pauli, Simonis magi calliditas vel detecta est, vel obruta. Exstant hodieque apud urbem Romanam duae in lapide fossulae, super quem beati Apostoli deflexo poplite orationem contra ipsum Simonem magum ad Dominum effuderunt. In quibus cum de pluviis lymphae collectae fuerint, a morbidis expetuntur, haustaeque mox sanitatem tribuunt. Sanctus vero Petrus . . quum post Neroniana ac Simoniaca bella ad crucem venisset, impleto jam felicis tropaei certamine, resupinis ad caelum vestigiis se expetiit crucifigi, indignum se vociferans ut Dominum exaltari.*

Huc Jo: Cassiani locus inferendus esset: At eum commodius ad finem subsequentis cap. producemus.

Eodem exeunte saeculo Isidorus Hispalensis in Chronico sic posuit. *Hujus* [Neronis) *temporibus Simon magus quum altercationem proposuisset cum Petro & Paulo Apostolis, dicens se quamdam virtutem esse Dei magnam; medio die dum ad patrem volare promittit in caelum, a daemonibus a quibus in aere ferebatur, adjurante eos Petro per Deum, Paulo vero orante, dimissus crepuit. Ob cujus necem a Nerone Petrus crucifigitur, Paulus gladio caeditur.*

Agmen claudet incertae aetatis auctor (747) Graecorum Petri & Pauli Acto-

non aliunde quam ex illo Biblioth. Regiae contra astronomos opusculo fuisse decerptum: cujus libelli auctor in Mss. Regio dicitur *Eusebius episcopus & monachus*, scriptor, uti videtur, Syrus quinti saeculi.

(II) Confer & Pseudo-Hieronymi in Psalm. & Augustini loca quae supra recitavimus, & simul Adnot. 745.

(III) Is libellus cum praecedente *De promissionibus* S. Prospero tribuitur, inter cujus opera tom. VIII. Bibl. PP. & alibi cernitur. At post Vsserium (in Bibl. Theol. Mss.) & Quesnelium [in vita S. Leonis ad an. 444.] viri docti hos libellos Prospero abjudicatos anonymo alicui Africano [ut qui in persec. Vandalica multa se passum dicit] adscribunt.

(747) Vtinam Graecus hic auctor tantae antiquitatis esset, quantam ei vindicat Combefisius. Qui quum [in Notis ad Andreae Cretensis Encomium Patapii alterum] ex iis Actis pluscula produxisset; acclamatione ejusmodi utitur, qua suadeat, *sapere* illa *quid Apostolicum, nec Lino* aliove viro Apostolico *indignum*. Verum si minus illa supparis Apostolis aetatis [quod

Actorum, quae manu exarata in cod. Regio 1045. continentur: ex quo haec pauca Cotelerius [ad Constit. VI. 9.] protulit ad Simonis exitum spectantia. Ἔπεσεν εἰς τόπον καλέμενον Σάκρα βία, ὅ ἐστιν Ἱερὰ ὁδός· καὶ τέσσαρα μέρη γενόμενος, τέσσαρας σίλικας (IV) συνήνωσεν· οἵ εἰσιν εἰς μαρτύριον τῆς τῶν Αποστόλων νικήσεως ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. Quae verba Pseudo-Marcellus in sua Petri & Pauli Acta a Florentinio edita totidem hisce verbis intulit: *Et continuo* (Simon) *dimissus* [a daemonibus, adjurante eos Petro) *cecidit in locum, qui Sacra* (V) *via dicitur, & in quatuor partes fractus* [corr. *factus*: ex γενόμενος Actor. Graec.], *quatuor silices adunavit, qui sunt ad testimonium victoriae Apostolorum usque in hodiernum diem.*

Atque heic jam licebit subsistere: nam finis nullus erit, si sequentium (748) saeculorum testes plane innumerabiles depromere satagam.

CAP.

[quod vix stipes sibi persuaserit] habenda sunt; bonae tamen frugis plurima ibi contineri auguror. Ex quibus Actis quae sparsim ab eruditis viris deprompta reperi, ea junctim in Adnotat. 752. dabimus. In loco autem heic producto singulare illud est, quod repentinum Simonis interitum astruit: quod & Pseudo-Chrysostomus (quem vide in Adnot. 748.) affirmaverat, & Cedrenus, & Nicephorus lib. II. cap. 36.

(IV) Pro συνήνωσεν (*Coadunavit*) mallet Cotelerius συνήμωσεν, q. d. *concruentavit*. Verum [ut omittam, ex αἷμα non fieri αἱμόω, sed αἱμάτοω, aut αἱματόω] refragatur Pseudo-Marcellus, qui συνήνωσεν se legisse profitetur, dum vertit, *Adunavit*. Hoc credo scriptor sibi voluit, quatuor Sacrae viae silices Simonis sanguine sanieque in tantum fuisse concretos, ut unum videretur continens saxum, juncturis non apparentibus. Id autem hinc novi discitur, lapides illos, ab Simone disrupto cruentatos, Romae aliquando asservatos fuisse.

(V) Quod de Sacra via heic dicitur, id belle cum Ambrosio componitur, Simonem se de colle Capitolino dejecisse narrante: nam Sacra Via ad Capitolium perducebat, eoque usque pertinebat.

(748) *Scriptorum sequentium saeculorum de eodem certamine loca aliquot.*

Auctor sermonis de Pseudo prophetis [inter spuria Chrysostomi tom. VIII. edit. Montfauc. ad fin. num. 3.] Πέτρος ... ὁ τὸν Σίμωνα τὸν μάγον ἐν τῇ Ῥώμῃ ῥίψας. *Petrus.. qui Simonem magum Romae prostravit.* Mox num 5. pag. 78. initio: *Qui* (Petrus) *exsecrando Simone Romae blasphemante ac dicente se esse Virtutem Dei* (οὔτε κἂν πρὸς ὥραν) *ne vel una hora tacuit aut distulit; sed postquam illum confutasset, mendacem, ac furem Deoque adversarium ostendisset* [τῇ ἀπωλείᾳ παρέδωκεν] *internecione perdidit*.

Walafridus Strabo [sive multo antiquior Fortunatus] tom. VI. Antiq. Lect. Canisii.

Insuper & magicum falsi phantasma Simonis
Funditus evacuans, tetras detrusit in umbras,
Romanum vulgus solvens errore vetusto:
Qui praecelsa rudis scandit fastigia turris,
Atque coronatus lauri de fronde volavit:
Sed mox aetherias dimittens furcifer auras,
Cernuus ad terras confractis ossibus ambro
Corruit; & Petro cessit victoria bello.

Vbi notandum est, per omnia huic poetae cum Pseudo-Marcello (sive cum Graecis Regiae Bibliothecae Actis Petri; ex quibus sua videtur decerpsisse Marcellus, ut & alibi innuimus, & plenius in Adnot. 752. ostendemus) convenire. Illinc enim & *praecelsa fastigia turris* desumpsit, & *lauri coronam*. Illud AMBRO [v. penult.] quid sit, Festus ex historia docuerat: cui *Ambrones* sunt turpis vitae homines.

Proderit huc & Graecum quemdam Petri Actorum scriptorem afferre: quem Bollandistae quidem ut anonymum hoc die dederunt: at cum non alium quam Metaphrasten fuisse, ex paucis illis quae Cotelerius [ad Constit. VI. 9. not. 15.] Graece ex Metaphraste protulit [quae quidem αὐτολεξεὶ in anonymo isto Bollandiano reperiuntur] facile intelligitur. Ibi quoque *lauro coronatus* Simon in βωμόν τινα [*Aram quamdam* vertit Bollandianus interpres: sed reddendum erat *Tumulum* aut *Collem*: apud Stephanum Ethnic. Βωμοὶ vocantur quidā λόφοι Αἰτωλίας: quæ vox eo significatu est mere Hebraica] *in tumulum* inquam ascendit, unde volare est aggressus. Verum adjurante daemonas Petro, ὁ Σίμων τοῦ ἀέρος ἐξολισθήσας, & quae cetera tum in Cotelerio, tum Bollandistis sequuntur: quae cupidi possunt in Bollandianis hoc die legere. In sequentibus porro illud est singu-

C A P. IV.

De Simonis volatu ac prolapsione judicium.

Cotelerii de ea narratione in utramque partem disputatio producitur atque expenditur. 1. Eam non videri ex apocryphis haustam, ex utrinque discrepantibus circumstantiis demonstratur. De Constitutoris narratione sententia mitior. 2. Diversas narrantium circumstantias rerum gestarum summae minime officere. 3. Trium priorum saeculorum silentium Dionis, Suetonii, & Apostolicar. Constitutionum suppletur locis: quae explicatiora proponuntur. 4. De Pontificum Roman. reticentia. 5. Augustini epistolam ad Casulanum receptae narrationi non derogare, planissime ostenditur. 6. Sicuti nec ab Libri Pontificalis parum aperta testificatione quidquam imminere periculi.

Hactenus expositam narrationem a quarti usque saeculi initio omnium sequentium saeculorum consensio usque ad superiorem aetatem subsecuta fuit. At ultimis hisce temporibus postquam invalescere crisis severior coepit, de hac historia lis non exigua exarsit, multis eam tamquam ex apocryphis scriptis haustam repudiantibus, aliis non minore numero (inter quos merito recensebimus Tillemon-

singulare, quod Simon toto ex ruina confracto corpore, δευτεραῖος (*postridie*) infelicem animam exhalasse, non sine acerbis doloribus, narratur.

Jam vero missis ceteris aevi sequioris scriptoribus, qui sunt innumeri, ex Cedreno & Nicephoro Callisto, qui rem fusius exposuere, pauca attingam. Ac Cedrenus quidem ubi ex Pseudo-Clementis scriptis aliisque apocryphis plurima de Petri cum illo praestigiatore tū Romae, tum antea in Syria conflictibus decerpsisset; ad extremum sic narrat. *Sed Romae, quum, ut antea diximus, Petrus atque Simon e Neronis conspectu pulsi fuissent; Simon Petro ait: Tu Christum Deum tuum in caelum fuisse sublatum dixisti. En ipse quoque eodem attollor. Quem jam magicis artibus sublimem in aerem ferri Petrus intuens, in media urbe Roma Deum precatus est. Nec mora, decidens Simon atque collisus, occubuit. Porro locus, qui profanum illius atque impurissimum corpus excepit, ab illo tempore* (Σιμώνιον) *Simonium vocatum fuit. De quo facto magnus ille apostolus Petrus in Constitutionibus Apostolicis ita disserit.* Ac statim totum Constitutoris Apostolici locum, quem cap. seq. describemus, subjicit. Quo recitato, addit, ea de causa Sabbata jejunio *insignia* deinceps apud Romanos evasisse: quem locum cap. seq. §. V. illustrabimus. Postremo causam necati Petri in Simonem ab eo peremptum cum Ambrosio confert his verbis: *Nero autem Simonem a Petro enectum intelligens, ac moleste id factum ferens, auctorem interitus agi in crucem jussit. Porro Petrus rogato urbis praefecto, ne recto statu, uti Dominus, cruci suffigeretur, capite in terram converso cruci affixus fuit.* Hactenus Cedrenus: qui mox de Pauli martyrio sic loquitur, quasi qui aliquamdiu post Petrum occubuerit.

Ac multa quidem cum Cedreno communia Nicephorus Callistus habet, in multis interim a Cedreno diversus: qui in II. Hist. Eccles. 36. eodem, quo Cedrenus, exordio usus [quo scil. Simon se instar Christi in caelum sublatū iri promittit] sic pergit. *Ac statim manibus extensis sursum versus, daemonibus eum, quibus se permiserat, ducentibus ferebatur. Petrus autem admodum anxius esse, & cum Deo in corde per precationem colloqui: ac tandem spiritu plenus potestates illas, quae nefarium hominem in sublime tollebant, increpare, & ut ab eo discederent, imperare. At ille statim praeceps deorsum fertur, & humi allisus, mortuus rumpitur. Ibi plures ex populo, qui antea Simonem divinos usurpantem honores laudibus celebraverant, subito ita prostratum videntes, laudesque pristinas per palinodiam recantantes, ingenti claraque voce acclamant: Vnus est magnus Deus, quem Petrus & Paulus aperte & clare praedicant. Locus vero ipse, in quem luctuosum hoc spectaculum cecidit, ad hodiernum usque diem vocatur Simonium, etiamnum Simonis Antichristi perniciem & interitum declarans. Et erant ibi, qui eum revicturum opinarentur; & ob id diutius in publico jacuit. Ceterum ubi cadaver diffluere ac foetere coepit; re desperata in occultis eum sepeliere locis. Nero autem certior factus, a Petro & Paulo Simonem peremptum esse; Petrum quidem pedibus sursum versus sublatis [nam id ita petierat; simul indignum se ratus, qui ut magister, recto corporis statu pateretur, simul ut expeditior ei in caelum esset cursus] in crucem egit; Paulum vero gladio feriens occidit eodem tempore eodemque die.*

montium & Abbatem Fleury, quibus tum doctrinae tum summi judicii laudem nemo denegaverit) amplexantibus. Inter hos medius ambulat Cotelerius, ad negandum & assentiendum aeque(si vera profitetur) anceps. Proinde ex viro doctissimo hujus quaestionis examen in medium proferemus, mox quid ex eo colligi possit, subjiciemus. Is igitur ad Clementis lib. VI. Constit. cap. 9. utriusque partis argumenta proponit, in negantem tamen, uti videtur, aliquanto proclivior, his maxime verbis. „ Quaeres quid sentiendum videatur de stupendo .. Simonis interitu. Ego praeclarae illius sententiae memor,

Periculosum (749) *est credere & non credere*,

„ nec assevero,neque pernego, sed ἐπέχω „ plerumque. Cui cordi erunt hujusmodi „ miracula (sunt autem non paucis) habet in praesenti auctoritatem plurimorum gravissimorumque utriusque Ecclesiae magistrorum ... Qui vero ad diffidentiam propendebit magis [quo morbo magna pars eruditorum hodie jactatur] retardabitur ab assensu, partim narrationis origine e libris apocryphis & pseudepigraphis; partim discrepantia referentium; partim silentio multorum, praesertimque Romanorum Pontificum, qui sua tacere non solent; partim ob adnotationem S. Augustini scribentis ad Casulanum: *Est quidem & haec opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnae tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis ecclesia jejunaverit, & consecuto tam prospero gloriosoque successu, eumdem morem tenuerit; eumque imitatae sint nonnullae Occidentis ecclesiae*. Certe, obscuram valde ac incertam Romae fuisse eam famam, innuit satis Liber Pontificalis, quum habet dumtaxat in Petro (idque juxta quaedam exemplaria, alia enim iis carent) *Et dum diutius altercarentur, Simon Divino nutu interemptus est*. „ Hactenus vir infinitae lectionis parisque judicii. Ex quibus vides quaenam pro negante sententia praecipua argumenta afferantur. Quae jam sigillatim ad examen revocabimus.

§. I.

Exjosippi aliorumque de Simonis ruina narrationem non videri ab apocryphis & pseudepigraphis haustam, ex circumstantiarum utrinque discrimine aliisq. argumentis ostenditur.

Tres maxime sunt Apostolici cū Simone certaminis scriptores apocryphi, Pseudo-Abdias in sua Apostolica historia, Pseudo-Linus in Apostoli Petri Passione [quae tum in Biblioth. Patrum Parisiensi, tum alibi prostat] & Pseudo-Marcellus ille, quem hactenus admiratus est Florentinius,ut saltem quasi non contemnendum, suis in Indiculum Apostolorum notis insereret.

Ac de Abdia quidem parum est laborandum: ut qui adeo non compilatus fuerit ab Ambrosio [quem potissimum nomino, ut qui plura ceteris de eo certamine scripsit: ceterum idem judicium etiam de ceteris Patribus esto, quos testes cap. superiore produxi] ut ille contra totam Exjosippi de hoc certamine narrationem verbis totidem surripuerit: quod facile fatebuntur ii, qui utrumque commiserint. Fortasse dixeris, potuisse ea vicissim ex Abdia in Exjosippum redundare. Atqui res manifesta est, ea in Ambrosii Excidio, tamquam in nativo solo nitescere: at con-

(749) Universe quidem ea γνώμη verissima est. At in hoc facto longe periculosius est τὸ ἄπιθές quam credulitas; ac praestabilius est cum Tillemontio [in S. Petro in fine Artic. 34.] decernere: *Quand il seroit vray que cette histoire seroit une fiction, nous aimerions mieux, tant qu' on n' aura point de preuve claire & convaincante de sa fausseté, nous tromper en ce point avec Arnobe, S. Cyrille* [& ceteris quos testes produximus]... *que d' estre obligez d' accuser d' une credulité indiscrete un grand nombre de plus illustres & de plus graves maistres de l' Eglise Latine & Greque, sans autre raison, sinon qu' il n' est pas absolument certain qu' ils disent uray.*

contra eadem in illius impoſtoris opere, tum a cetera ejus dictione diſſidere, tum cum ſexcentis aliis putidis commentis, tamquam in centone ineptiſſimo inſuta videri. Licebit autē obiter animadvertere, praefationem illam, quae ſub Julii Africani, tamquam Latini de Graeco interpretis, nomine operi Abdiae praefigitur, eſſe vaniſſimam. Nam quum in iſta, uti nunc ſe habet, hiſtoria narrationes integrae αὐτολεξεὶ ab Exjoſippi Latino opere ſublatae reperiantur; quis deinceps ſibi perſuaſerit, Apoſtolicam eamdem hiſtoriam de Graeco fuiſſe traductam?

Sed & de Pſeudo-Lino ſecuri ſumus, ut qui nihil eorum tangat, quae ſive de adoleſcente ad vitam revocato, ſive de Simonis prolapſione ab Exjoſippo produntur. Cetera quae ad Linum iſtum ſpectant (750) omitto.

Poſtremo ne de Pſeudo-Marcello quidem quidquam eſt ſuſpicandum: cui nihil cum Exjoſippo aliiſque probis auctoribus convenit. Mihi ſane is qui ſibi Marcelli perſonam induit, plura per totam ſcriptionem ex Petri ἀναγνωρισμῷ (*Recognitionibus*) ſuſtuliſſe (751) videtur. Plura idem cum Pſeudo-Lino habet communia, ſed ita tamen, ut hic alter videatur Marcello poſterior. Ceterum poſtremam ſaltem Pſeudo-Marcelli partem ex toties laudatis Graecis Mſs. Regiae Biblioth. Actis [num. 1045.] non tantum expreſſam fuiſſe, verum etiam totidem verbis Latine translatam, ex inferne (752) animadverſis perſpicies.

Ex

(750) Eſt ubi Pſeudo-Linus ab Ambroſio diſſentiat, in eo ſaltem quod Petrum, poſtquam diu detentus fuiſſet, tum demum Roma ſeceſſiſſe & obvium habuiſſe Chriſtum narret: quae ὑστερολογία turpis eſt. Idem auctor videtur tum ex Recognitionibus, tum ex Marcello profeciſſe. Quin & ipſum etiam Exjoſippum ſe legiſſe ex eo prodit, quod plura totidem verbis ex hac Excidii narratione ſuſtulit. Cujuſmodi illud eſt Petri reſponſum de non defugienda paſſione pro Chriſto; qui [inquit Linus] *ultro ſe pro noſtra ſalute morti obtulerit*: quod in Exjoſip. ſect. X. legitur. A quo etiam idem impoſtor totam ſectionem XI. exſcripſit, paucis admodum inſcite immutatis. Adhaec quam inſulſe, Deus bone! in fine Actorum corrupit initium ſectionis X. Exjoſippi, ſic a ſe interpolatum! *Querebatur enim* (Nero) *ſe ipſius* (Petri) *praeſtigiis, deſolatum a Simone ſuae ſalutis praeſule, & dolebat pro tanti caſu amici, qui ſibi & reip. commoda praeſtabat innumera*.

Quae heic de Pſeudo-Lino dixi, ea de illo intelligo, quem ex to. 7. Biblioth. PP. Pariſ. ann. 1610. ad manus habeo, quem ſcio & alibi pluries editum fuiſſe. Nam ceteroqui Linus ille, cujus Acta Petri Bollandiſtae ex Mſ. Blumiano hoc die ediderunt, is longe diverſus ab illo, ac totus ex Abdia eſt verbis totidem. Qui tum cetera Abdiae, tum in primis ab eo Ambroſianam narrationem totam deſcripſit. Et tamen notator Bollandianus, Exjoſippum ab hoc ſuo Lino ſuperiorem narrationem tranſcripſiſſe non ſine παραδοξολογίᾳ ſubnotat.

(751) Multas Marcellus iſte [ſicuti & Pſeudo-Linus] fabulas putidiſſimas cum ἀναγνωρισμῷ communes habet. Sed & illud tranſitionis genus, *Haec & his ſimilia dicente Petro aut Paulo* &c. non infrequens Marcello eſt, ſicuti & in Recognitione perpetuum.

(752) *Poſtremam ſaltem Pſeudo-Marcelli narrationem ex Graecis Regiis Petri Actis fuiſſe αὐτολεξεὶ Latine traductam, collatis invicem utrinque fragmentis oſtenditur. Regiis Graecis Actis plus nimio Combefiſium tribuiſſe: eadem tamen apocryphis omnibus Petri actis longe praeſtabiliora videri*.

Ex Graecis hiſce Actis protulit quaedam Cotelerius ad Clementis Conſtit. ſed & pluſcula [in notis ad alterum Eliae Cretenſis Encomium S. Patapii] inde attulit Combefiſius, ubi & acclamat, ea ſibi videri Apoſtolico ſeculo non indigna. Quin & ex iis quae infra dicam, ſuſpicor eadem & Romae ſuperiore ſaeculo lecta fuiſſe. Tamen nemo unus adhuc inventus eſt, qui ea typographicis formis committeret. Forſitan autem ſi minus aevo Apoſtolico digna, aeſtimabiliora tamen ceteris apocryphis de Petro ſcriptis futura confido.

Vt tamen eorum ſpecimen qualecumque edam; ajo ultimam Pſeudo-Marcelli partem non aliud quam Regiorum Actorum meram interpretationem eſſe. Vt ecce quae inde Graece protulit Cotelerius ad Conſtit. VI. 9. quaeque nos ad finem cap. ſuperioris exſcripſimus, ea verbis totidem Marcellus Latina fecit: *Et continuo dimiſſus* [a daemonibus Simon] *cecidit in locum, qui Sacra Via dicitur, & in*

quatuor

quatuor partes fractus quatuor silices adunavit, qui sunt ad testimonium victoriae Apostolorum usque in hodiernum diem. Ex quibus facile aestimatu est, etiam superiorem Marcelli narrationem, quae cum his connexa est, ex Regiis actis Latine traductam fuisse.

Jam vero post non pauca sequitur apud Marcellum. *Petrus autem dum venisset ad crucem ait: Quoniam Dominus meus Jesus Christus de caelo ad terram descendit, recta cruce sublimatus est. Me autem, quem de terra ad caelum vocare dignatur crux mea, caput meum in terra debet ostendere, & pedes ad caelum dirigere. Ergo, quia non sum dignus ita esse sicut Dominus meus, gyrate crucem meam, & capite dimerso* (fort. *diverso*) *crucifigite me. At illi verterunt crucem, & pedes ejus sursum fixerunt, manus autem deorsum. Convenit autem* &c. Quae ex eisdem Graecis actis fuisse a Marcello in Latinum translata, non sinit dubitare Combefisius loco supra cit. ubi horum, sicuti in illis Actis Graece sunt, compendium illud affert: *Sic ergo ibi* (h. e. in Graecis Actis: verba enim sunt Combefisii loco ex illis actis a se depromendo praefantis) *post deprecatam crucifixionem inverso capite ob Domini reverentiam, ac pro votis illatam.* Mox locus ille subjicitur, Συνῆλθε δε.. *Convenit* &c.

Locus vero totus ille apud Combefisium ibidem sic se habet. Συνῆλθε δὲ ἀναρίθμητον πλῆθος λοιδωροῦντες τὸν Καίσαρα, θυμοῦ πεπληρωμένον, ὥστε αὐτὸν βουλόμενοι κατακαῦσαι. Ὁ δὲ Πέτρος διεκέλευσεν αὐτοὺς λέγων· πρὸ ολιγων ἡμερῶν παρακληθεὶς ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν, ἀνεχώρουν. Καὶ εἶδον· καὶ ἰδοὺ ἐθεώρουν τὸν Κύριόν μου Ἰησοῦν Χριστόν· καὶ προσεκύνησα αὐτῷ, καὶ εἶπον· Κύριε ποῦ πορεύῃ. Καὶ εἶπέ μοι, Ὅτι ἐν Ῥώμῃ απέρχομαι πάλιν σταυρωθῆναι. Καὶ ἐν τῷ ἀκολουθεῖν με αὐτῷ, ὑπέστρεψα πάλιν ἐν Ῥώμῃ, καὶ εἶπέ μοι. Μὴ φοβοῦ, ὅτι μετά σοῦ εἰμί, ἕως οὗ εἰσάγω σε εἰς τὸν οἶκον τοῦ Πατρός μου. Διὰ τοῦτο τεκνία μου, μὴ ἐμποδίσητε τὴν ὁδόν μου· ἤδη γὰρ οἱ πόδες μου τὴν οὐρανίαν ὁδεύουσιν ὁδόν. Μὴ οὖν λυπεῖσθε, αλλὰ συγχάρητέ μοι μᾶλλον, ὅτι σήμερον τῶν πόνων τῶν καρπῶν μου ἐπιτυγχάνω. Καὶ τοῦτο εἰπὼν προσεύξατο οὕτως. Εὐχαριστῶ σε ἀγαθὲ ποιμὴν, ὅτι κατηξίωσάς με τῆς ὥρας ταύτης· ἀλλὰ δέομαί σου. Τὰ πρόβατα, ἃ ἐπίστευσάς μοι, μὴ αἰσθανθῶσι τοῦ χωρισμοῦ μου, σὲ ἔχοντα δι᾽ οὗ ἐγὼ τὴν ποίμνην ταύτην ἠδυνήθην ποιμᾶναι. Καὶ τοῦτο εἰπὼν παρέδωκε τὸ πνεῦμα. Quorum Marcellus post verba superius adscripta, sic ferme verbum verbo reddidit. *Convenit autem ibi innumerabilis populi multitudo, maledicentes Caesarem Neronem, ita furore pleni, ut vellent ipsum Neronem incendere. Petrus autem prohibebat eos dicens: Nolite filioli, nolite quaeso hoc agere, sed magis quod loquor auscultate. Ante paucos enim dies rogatus a fratribus ascendebam hinc, & occurrit mihi in via Dominus meus Jesus Christus ad portam hujus urbis, & adoravi eum & dixi: DOMINE QVO VADIS? Et dixit mihi: Sequere me, quia VADO ROMAM ITERVM CRVCIFIGI. Et dum sequerer eum, redii Romam, & dixit mihi: Noli timere, quia tecum sum quousque introducam te in domum Patris mei. Et ideo filioli nolite impedire iter meum. Jam pedes mei viam caelestem ambulant: nolite tristari, sed gaudete mecum, quia hodie fructum laborum meorum consequor. Et haec quum dixisset, ait: Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oves quas mihi tradidisti, compatiuntur mihi: peto ut participent mecum de gratia tua. Commendo tibi oves, quas mihi credidisti, ut non sentiant sine me esse, qui te habent; & oro ut semper auxilio tuo protegantur, Domine Jesu Christe, per quem ego gregem hunc regere potui. Et haec dicens emisit spiritum.*

Sed & ex eisdem illis Graecis Actis ea, quae apud Pseudo-Marcellum statim sequuntur, Latine translata esse vix est dubitandum: quae sunt ejusmodi: *Statim apparuerunt ibi viri sancti, quos nemo unquam viderat ante, nec postea videre potuerunt. Isti enim dicebant, se propter ipsos de Hierosolymis advenisse. Et ipsi una cum Marcello Inlustri viro, qui crediderat, & relinquens Simonem* (Magum), *Petrum secutus fuerat, abstulerunt corpus ejus occulte, et posuerunt eum ad terebinthum juxta Naumachiam in locum, qui appellatur Vaticanus.* Haec inquam cum Graecis actis Vaticanis consentiunt: ex quibus Aringhius lib. 2. cap. 5. n. 4. ultima haec tantum Latine reddita posuit: *Sustulerunt corpus S. Petri clam, & posuerunt illud sub Terebintho prope Naumachiam, in loco qui dicitur Vaticanus.* Quae quum eadem plane sint, ac superiora Marcelli; ex eo non leve indicium fit, inter Graeca Regia, & Graeca Vaticana, quae laudat Aringhius, nihil forsitan esse discriminis.

Optandum sane esset, ut Graeca illa Regia Acta in lucem protraherentur, ex quibus non parum utilitatis capi posse augurarer. Certe enim fragmento Graeco superius recitato Combefisius satis prolixum atque benignum ἐπιφώνημα istud adtexuit: *Sapiunt haec re vera quid Apostolicum, nec Lino* ... (aliove

Ex his jam liquido conſtat, nec Mediolanenſem antiſtitem, nec ceteros, quos cap. 2. produximus, ex tam turbidis lacunis hauſiſſe. Nunc illud diſcutiamus numquid a Pſeudo-Clementis Conſtitutionibus [quas certum eſt ab Epiphanio ſaltem pluries citari, proinde Ambroſio antiquiores eſſe]ſumpſerit Mediolanenſis Antiſtes. Volantis autem Simonis bis meminit Conſtitutionum auctor, ſemel II. 14. hiſce verbis: *Hic vero* (παρὰ φύσιν ἱπτάμενος, συντρίβη) *praeter naturam volitans, eliſus eſt*. Iterum vero VI. 9. copioſe rem geſtam enarrat in hunc modum. *Romam autem adveniens* (Simon) *eccleſiam magnopere vexavit, multos evertens ac ſibi comparans, gentileſque peritia magica percellens, itaut aliquando quum in eorum theatrum meridie proceſſiſſet, praecepiſſetque multitudini, ut me quoque* (Petrum) *in theatrum raperent; ſe promitteret in aëre volaturum. Cunctis vero eam in rem intendentibus, ego apud me precabar. Jamque a daemonibus in altum ſublatus volabat ſublimis per aerem, dicens ſe in caelum aſcendere, indeque ipſis bona ſuppeditaturum. Quumque univerſa turba illum fauſtis acclamationibus ut Deum proſequeretur; ego mente ac manibus in caelum protentis ſupplicabam Deo per Jeſum dominum, ut exitioſum hominem deturbaret, & daemonum vim accideret, qui viribus ad hominum fraudem & interitum uteretur; deturbatum autem non occideret, ſed confringeret. Et ſubjiciens atque intuitus ad Simonem, dixi: Si ego homo Dei ſum & verus Apoſtolus Jeſu Chriſti, ac pietatis doctor non autem erroris, qualis tu Simon, praecipio malis poteſtatibus illius, qui a pietate deſcivit, Simonem magum vehentibus, ut* (ἀφεῖναι τῆς κρατήσεως) *ab eo ſuſtinendo deſiſtant, quo ex alto collabatur, & iis quos deceperat habeatur ludibrio. His a me pronuntiatis, Simon ſpoliatus poteſtatibus cum magno fragore corruit, ac vehementi caſu eliſus, coxam & pedum extrema frangit. Tunc vulgus exclamavit: Vnus Deus, quem Petrus juſte annuntiat re vera ſolum. Et multi a Simone deſcecerunt: aliqui tamen digni illius interitu in doctrina ejus nefaria perſeverarunt. Atque hoc pacto prima Simonianorum haereſis impiiſſima Romae* (*) *coaluit.*

Ex

Apoſtolico) *indignum. Deſunt ab his Actis illa de mulieribus conjugio prohibitis, ac maritis ſubtractis* (*in quibus Baronius adſperſam Manichaeorum fuliginem Actis Petri & Pauli ſub Lini nomine agnoſcit*) *ut proxima ratio necis Petri & Pauli fuerit Simonis extinctio.* Quamquam, ut ingenue fatear, laudo quidem quod ab his actis fuligo illa abeſt, quodque in tradenda proxima paſſionis Apoſtolorum cauſa (nempe non alia quam Simonis interitu) cum Ambroſio conſentiat, cumque perſonato illo Marcello, qui pleraque ab illis Regiis Actis mutuatus αὐτολεξεὶ videtur. Id quidem laetor. Sed tamen nimium benigne de iis ſenſiſſe videtur Combefiſius. Nam in illis ipſis, quae protulit, eſtne Lino dignum, aut credibile, multitudinem voluiſſe Neronem incendere? Chriſtiani ne an gentiles id moliebantur? Atqui id Chriſtianis indignum. Ac ne de gentilibus quidem id credi poteſt; eſtque id totum a Chriſtianiſmi ſatis obſcuris Romae initiis prorſus abhorrens. Deinde ſi tantus in Apoſtolum favor erat, cur eum clam efferre ac ſepelire penſi habuerunt Chriſtiani? Verum cujuſcui pretii Acta illa Regia fuerint, certe ea cum Marcello conferre profuerit. Quae quidem longe minore cum nauſea, quam apocrypha cetera, lectum iri polliceor.

(*)Graece erat ἐπάγη a πήγνυμαι: quod *concreſcendi* & *coagmentandi* notione ſumptum, verti *Coaluit*, ſive *Coagmentata fuit*. Reddi etiam poterat (ſi quidem *figendi* & *pangendi* ſignificatu accipias) *Conſtituta eſt*. At vero Cedrenus (cujus integrum locum attuli Adnot. 748.) hunc eumd. Clementis locum contrahens, tamen illud Clementinum ἐπάγη ſenſu contrario accepit, quippe quod paraphraſi expreſſit hujuſmodi: κατελύθη, inquit, καὶ τέλεον ἀπέσβη, *Diſſoluta ac penitus extincta eſt*: forſitan enim, uti putat Cotelerius, τὸ ἐπάγη ad ἐπάγνυμι, *Frango*, retulit. Quod non credo. Nec enim compoſitum ἐπάγνυμι reperitur, multo vero eſt inſolentior ejus aoriſtus. Mihi quidem haud dubie videtur Georgius aoriſtum illum a πήγνυμαι derivaſſe, ſed ea notione, qua πήγνυσθαι h. e. *figi*, tantumdem ei videbatur, quod *Interquieſcere* planeque extingui. Sed falſus animi Cedrenus fuit; quia & Conſtitutor, multos in doctrina illius perſeveraſſe, proxime dixerat; & eam haereſim diu Romae perduraſſe, docet hiſtoria.

Ex his vides, nihil prope in hac tota narratione esse, quod ab Exjosippo discrepet; imo & plura esse, quae non aliunde auctor Excidii quam ab isto Pseudo-Clemente (753) accepisse videatur.

Ac nihil sane propius fuerat quam ut manus darem, idque nullo cum hujus historiae detrimento. Quid enim? Sint licet Clementinae Constitutiones ψευδεπίγραφον opus; nemo tamen inficiatur, quin res complectatur optimae frugis, quibus ut majorem auctoritatem scriptor conciliaret, Romani Clementis nomen operi, pro captu scil. priorum saeculorum, praefixit. Darem igitur manus; nisi & in loco certaminis ingens discrimen esset (quum Pseudo-Clemens in theatro (754) ea gesta significet, Ambrosius autem in clivo Capitolino) & in eo in primis, quod auctor Excidii justam totius ab initio certaminis narrationem contexuerit, cujus tantummodo exitum Constitutor descripsit. Ex quibus vides, sua Ambrosium a personato Clemente nō mutuatum. Id potius adducor ut credam, extitisse aliud rei gestae commentarium, ex quo fonte tum Ambrosius tum etiam Constitutor sua quisque scripta irrigarint.

§. II.

Circumstantiarum discrepantias, ex vulgi sermonibus ortas, rerum gestarum summae minime obesse.

De narrantium inter se discrepantiis expostulatio apud Cotelerium sequitur: quas quidem ex supra recitatis scriptorum locis satis animadvertere licet. Veluti illud est, quod Petri oratione dejectum Simonem Ambrosius, Philastrius, Augustinus, & alii memorant: at Petro oranti Paulum adjungunt Cyrillus Hierosol. Severus Sulpic. Maximus Taurin. aliique. Item illud quod alas tamquam Icarias Simoni applicant Ambrosius in Excidio, item Maximus, Patres VI. synodi sub Menna, & quotquot eum volasse narrant: at Arnobius ignearum quadrigarum & currus meminit, Cyrillus ὀχήματος, alii universe vi daemonum raptum Simonem agnoscunt. Est & in loco spectaculi, & in crurifragio aliove Simonis damno dissidium; & quonam post ruinam magus concesserit: quae ἀντιλεγόμενα melius ex ipsis testimoniis cap. sup. recensitis cognosci poterunt. Ex his autem quantiscumque narrationum discidiis nihil aliud colligitur, nisi rei gestae summam, utpote tot testimoniis confirmatam, fuisse verissimam, eamque facile brevi aliquo antiquo commentario fuisse comprehensam: cetera vulgi sermonibus fuisse jactata, cui familiare est plura addere, remque unam pro locorum temporumque diversitate aliter atq. aliter narrare. Rerum igitur summam

(753) Cujus modi illud est quod de *faustis acclamationibus*, quibus illum *ut Deum prosequebantur*, a Clemente narratur: itemque illa Petri oratio, ne Simonem *deturbatum occideret, sed confringeret*: quae haud secius in Ambrosio leguntur.

(754) *Theatri* nomine quemvis locum, quo ad spectandum multitudo conflueret, Clemens iste intellexisse videri poterat [est enim nonnumquam γενικωτέρα ejus vocis acceptio] nisi illud, *αὐτῶν* adjecisset: *προελθὼν* ait *εἰς τὸ θέατρον αὐτῶν*, *In eorum* [nim. Romanorum] *theatrum progressus*. Quo aperte significat, se de certo Romanae urbis loco narrasse, qui *Theatrum* nuncupabatur, quod esset ad ludos scaenicos spectandos destinatus. Nec dubium mihi videtur, quin Apostolicus Constitutor Graecorum mori obsecutus fuerit, dum in theatro ea gesta significat. Apud Graecos enim theatra non ludis tantum inserviebant, sed & audiendis orationibus [quo illud Juvenalis de Demosthene pertinet: *Pleni moderantem frena theatri*] & ad disceptandum de summa reipublicae: quo etiam populus turbata civitate concurrebat. Confer Lucam Act. XIX. 29. Diodorum lib. 16. Plutarchum in Arato, Livium lib. 24. de Ennensibus in theatrum coactis, & quae plura similia loca Heraldus collegit in Adversariis. Ex Graecorum igitur more res Romanorum aestimabat scriptor ceteroqui antiquus & minime ineptus.

At cum Ambrosio facit Regius auctor anonymus Actorum Petri alibi laudatus, qui in Sacram viam prolapsum Simonem docet. Recte: quia Sacra via ad Capitolium usque pertinet: ex quo clivo volare adorsus est Simon, si Exjosippo credimus.

teneamus, de circumstantiarum quantocumq. discrimine parum offensi. Vt omittam, me plura ejusmodi ἐναντιοφανῆ alibi alia obiter conciliasse.

§. III.

De trium priorum saeculorum silentio. Ejus causa quaenam fuerit. Eidem silentio duo alterius Christi saeculi profani scriptores suppetias ferunt. Eorum loca illustrantur. Constitutionum Apostolicarum illustre testimonium hiatum tertii saeculi supplet. Obiter statuae Simonis & Helenae comparantur, earumque par ratio proponitur.

Sequitur de antiquorum silentio multo gravissima querimonia: quam miror cur Cotelerius enervaverit. *Partim*, inquit, *silentio multorum*. Atqui perparum objecit; quum potius antiquiores ad unum omnes de eo siluerint, quotquot scil. a re gesta h. e. a vergente primo saeculo ad usque annum Christi trecentesimum scripserunt. Credi ne vero potest, tot apologiarum pro Christianis scriptores de tam sonoro miraculo palam Romanorum multitudine patrato fuisse tacituros, si quidem rescivissent; aut omnino ignoraturos rem tantam in urbe principe gestam, si vera fuisset? Atqui de eo siluit Tertullianus, siluit Irenaeus, ambo ceteroqui de Simone eique posito simulacro loquaces: siluit, in quo rei caput est, Martyr Justinus, vel tum maxime, quum id referre summopere ad causam quam agebat intererat. Quid enim? [enitar autem argumentum ab Justini silentio ductum non modo non deterere, sed in majus augere] in eo erat Justinus, ut Romanos ad dejiciendam foedissimi praestigiatoris (755) statuam horta-

(755) *Justini locus, quo ad dejiciendam Simonis statuam hortatur.*

DIGRESSIO qua pro ejus statuae veritate adversus criticorum cavillationes auguratio haud laeva proponitur.

In Apologia II. ad Imperatores, Senatum, populumque Rom. scripta sic loquitur. *Nam apud vos, uti diximus, in regia urbe Roma sub Claudio Caesare Simon fuit, qui sacrum senatum populumque Rom. eo stuporis perduxit, ut deus haberetur, & statua, ut alii dii quos colitis, cohonestaretur. Quocirca ut sacer senatus populusque Romanus una vobiscum postulata haec nostra cognoscant, petimus; ut siquis inter eos doctrinis illius detinetur, vero cognito errorem valeat effugere* (καὶ τὸν ἀνδριάντα, εἰ βούλεσθε, καθαιρήσατε) *ac, si videtur, STATVAM illam DEIICITE.*

Quando autem in statuae Simonis mentionem incidimus; fateor equidem Tillemontii diligentiae, qua ejus historiae veritatem adversus criticorum cavillationes egregie [tom. 2. in Simone Nota 2.] tuetur, nihil addi, nihil demi posse: cui non possum non per omnia subscribere. Tamen quia adhuc eruditorum mentibus scrupulus ille insidet, ne Martyr sanctissimus SEMONIS SANCI nomen in veteribus basibus obvium cum Simone Samaritano confuderit; dabo operam ut eam dubitationem, conjectura quidem, sed haudquaquam forsitan ἀσόχῳ, amoliar.

Augustinus in De haeresibus memoriae prodidit, circulatorem istum non sibi solum, sed & scorto illi impurissimo, quod Tyro abductum, secum una circumferebat, erigi simulacra curasse: quam etiam sub Minervae effigie a suis sectatoribus coli jussisse memorat Epiphanius haer. 21. c. 3. Huic porro mulierculae *Helenae* nomen erat: quam illam ipsam fuisse, quae Trojani belli causa exstitit, impostor teste Epiphanio [loco cit.] persuasit. Videtur is igitur, qua arte concubinae suae divinum cultum asseruit, eâdem & ad divinos sibi honores comparandos usus. Et ut Helenam quidem suam, eamdem illam a Graecis decantatam suaderet, nihil aliud apud ineptum vulgus quam nomen valuit: nec, mihi crede, aliud quam nominis convenientia suasit, uti se eumdem illum deum faceret, cui *Semoni Sanco* nomen erat. Id vero ex eo quoque suaderi potest, quod per ea tempora imperatores aliique clari viri, hujus aut illius dei nomine ab assentatoribus cohonestabantur: sicuti & plures Augustae dearum nomina assumebant: de quo vide Fabrettum de Col. Trajana pag. 247. Id quum a Graecis fiebat, dei illius nomini νέος aut νέα (*novus, nova*) addi solebat. Cujus moris exempla in Phil. Bonarotio in Observat. ad maximi moduli numismata, & apud alios reperies. Itaque si statuae Simonis magi Graeca inscriptio subjecta fuisset; ea forsitan sic incepisset, ΣΗΜΩΝΙ ΝΕΩ &c. *Semoni novo* &c.

Tantum igitur abest, ut statuae Semoni

hortaretur. Poterat ne eo loci Martyr majus ullũ ad suadendam signi *καθαίρεσιν* argumentum urgere, quam quod hunc ipsum nebulonem in ostentum divinitatis volare magicis incantamentis adortum Petrus ex alto summa cum ignominia deturbásset? Id autem quum praetermiserit; nonne prae se aperte tulit, hanc totam de Simonis volatu narrationem ab Justino [qui quod diutiuscule Romae fuisset moratus, id nescire non debuisset] ignoratam: sive, ut aperte dicam, Justino vivente nondum id commentum fuisse compositum?

Fateor equidem, utut argumentis *ἀρνητικοῖς* (*negativis*) a silentio petitis fidem derogemus, deque aliorum omnium in re tanta silentio securi simus; at ex Justini certe [cui quidem nulla causa fuit cur id tacitus premeret, imo tunc gravissima fuit ut eloqueretur] silentio posse conjici, volantis Simonis dejectionem a Martyre fuisse ignoratam. Detur id igitur: quamvis si praefracte agerem, impune id negare possim. Nesciverit sane id Martyr. Quid tum vero postea? Num continuo id totum commentitium suspicabimur? Non crediderim. Causae enim plures incidere potuerunt, cur id fortasse Martyr nesciverit. Acerba tunc temporis insectatio saeviebat: qua grassante suis se latebris contexisse, nec libere invicem consuevisse Christianos, necesse fuit. Adhaec siquid modo (756) ante Justinum de Simone volatico antiquitus conscriptum exstabat, id sive in abdito retrusum jacebat, sive (quod non raro accidit) ab Roma in alias terras avectum ab aliquo harum rerum studioso (757) fuerat. His aliisque de causis miramur, si Justinus homo advena, quum apologiae operam daret, eam de mago narrationem tam alieno rei Christianae tempore forsitan ignoraverit? Quam quidem arridente ecclesiarum pace facile ex libera fidelium consuetudine didicisset. Atque haec de Justini silentio sufficiant. Nam de Irenaeo & aliis ab Justini ore pendentibus minus miror.

Ceterum quia grave est, per ducentos ipsos & quod excurrit annos nihil de illo volatu magico litteris traditum reperiri; in hoc negotio hominum nostrorum negligentiae opportune, sicut interdum alibi, exterorum minus suspecta diligentia suppetias feret. Nota enim sunt Dionis Chrysostomi, qui ineunte altero Christi saeculo sub Trajano claruit, atque Suetonii, qui non sub Trajano tantum sed etiam sub Hadriano floruit, testimonia: quae vix aliorsum quam ad magum istum volaticum referri possunt.

Et Dionis quidem locus exstat in Orat. XXI. quae *de pulchritudine* inscribitur: ubi quum quaedam de Neronis insania, qua

ni Sanco positae ab fide hujus historiae [quam ceteroqui Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Eusebius, Cyrillus Hierosl. Augustinus, Theodoretus viri summi testatam reliquerunt] deterrere debeant, ut potius ex pervulgato Semonis Sanci cultu, conjectura obstetricante, assequamur artes, per quas erigi sibi statuas praestigiator suaserit. Haec obiter: nec enim id nunc agimus.

(756) Jure dubitari potest, an de Petro, ejusque cum Simone altercatione quidquam primitus scriptum fuerit; nam satis perspecta illa est gravissimorum Patrum sententia, primos Christianorum parum pensi duxisse res gestas ad posterorum memoriam scriptas transmittere, magis adeo de colendis atque instillandis Christianae vitae institutis, quam de historicis commentariis conscribendis sollicitos.

(757) Est illa pervagatissima S. Gregorii M. narratio de orientalibus Christianis, qui paullo post horum Apostolorum Passionem Romam profecti, eorum sacras Reliquias in Orientem auferre adorti fuerant. Ac perfecissent, nisi iis Romani fideles restitissent. At qui sacra Lipsana prope rapuerant, eos etiam quidquid de Apostolis hisce scriptum repererunt, surripuisse ac secum, quod omnium facillimum fuit, asportasse credibile est. Hinc prima certaminis hujus mentio, ac Simonis ex alto dejecti apud Graecum scriptorem reperitur, Constitutionum scil. Apostolicar. auctorem [qui, ut infra monebimus, haud serius tertio Christi saeculo suas *διατάξεις* scripsisse videtur] post quem Cyrillus Hierosolymorum episcopus, aliique turmatim Graeci id scripto postea tradiderunt.

qua res impoſſibiles fieri jubebat, praefatus eſſet, addit: *Hac vero parte maxime excellebat Nero: nec adeo illi quiſquam de re ulla quamcumque dixiſſet contradicebat, aut impoſſibile quod juſſiſſet, eſſe affirmabat* (ὥς τε καὶ εἰ πέτεσθαί κελεύοι τινὰ, καὶ τοῦτο ὑπίσχετο αὐτῷ, καὶ συχνὸν χρόνον ἐτρέφετο ἔνδον παρ᾽ αὐτῷ ἐν τοῖς βασιλείοις, ὡς πτησόμενος) *ita ut etiam ſiquem forte volare juſſiſſet; & ille id ei ſponderet, & multo tempore intus apud eum in aula, tamquam volaturus, nutriretur*. Nemo non videt, Simonem his verbis deſignari. Nec enim Tillemontii (qui tamen nihilo ſecius de Samaritano impoſtore id intelligit) exceptio valet, notantis, promiſſum volatum, non item praeſtitum aut tentatum, a Dione tradi: id enim tantum ibi ſibi propoſuerat Dio, ut oſtenderet, quidvis & a Nerone exigi, & ei ab aſſentatoribus promitti conſueviſſe: quo expoſito, de promiſſorum eventu ſe minime ſollicitum praebuit. Adde quod is locus parum fideliter ab interprete (758) redditus, fraudi Tillemontio fuit.

Ceterum rei exitum, de quo Pruſaeenſis ſophiſta tacuit, Suetonius in Nerone cap. 12. paucis hiſce verbis tetigit: *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus* (Neronis) *decidit, ipſumque cruore reſperſit*. Vbi cave putes, ei qui volare eſt aggreſſus, *Icaro* proprium nomen fuiſſe; ſed ita vocatum ſcito, quod Icarum ageret. Proderit autem Tranquilli locum altius repetere. *Item* (exhibuit) *Pyrrhicas* (ſupple ſaltationes) *quaſdam e numero epheborum* (h. e. juvenum Aſiaticorum, quibus etiam Caligula apud Suet. cap. 58. ad edendas in ſcaena operas uſus fuit) *quibus poſt editam operam diplomata civitatis Romanae ſingulis obtulit. Inter Pyrrhicarum argumenta, Taurus Paſiphaen* &c. . . *Icarus primo ſtatim conatu* . . *decidit*. Quem locum Torrentius ex Dionyſii Antiq. Rom. lib. 7. ſic interpretatur, ut dum Paſiphaës & Icari fabulae ab ſuis artificibus re ipſa exprimerentur, eaedem interim concinnis illis epheborum Pyrrhicam ſaltantium geſticulationibus comitatae prodirent: in quo toto ſpectaculo *Taurus, Paſiphaë, Icarus* non aliud ſunt quam qui tauri, Paſiphaës, Icarique perſonam ſuſtinerent exprimerentque. Ex quo etiam notabis, non praeter verum ab Exjoſippo & aliis pennas veluti Icarias Simoni volaturo admotas fuiſſe. Jam vero cetera Tranquilli videamus. *Icarus* (is vero Simon eſt, Icarum gerens) *primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit*. Quid vero *cubiculum* Neronis vocet, ſtatim ipſemet vitae ſcriptor declarat. *Nam perraro praeſidere* (palam in ſuggeſto), *ceterum accubans primum parvis foraminibus deinde toto podio adaperto ſpectare conſuerat*. Id ergo ſuggeſtum undique aulaeis contectum, ex quo modo per foramina, modo toto podio adaperto ſpectabat Nero, Suetonii aetas *cubiculum* nuncupabat. Ex qua tota narratione, praeter *alarum remigium* Ambroſianum, etiam cur in *theatro* haec geſta Conſtitutiones dixerint (θεάτρῳ enim nomine locus ſpectaculorum, quicumque is fuerit, intelligitur) deprehendis, & quam recte Philaſtrius aliique hoc magi ſpecimen coram Nerone editum narraverint; poſtremo quam non temere anonymus Actorum Petri auctor Coteleriianus ſilices ſanguine Simonis reſperſos & (συνήνωσεν) *coadunatos* ſcripſerit.

Poſſim & ad ejuſdem volatici magi portenta etiam auctorem Philopatridis trahere, ſi liberiores conjecturis (759) hapere & ab ſcopo & a verbis auctoris recedat, lector paullo ſubtilior intelliget. Quamquam ad rei, quam agimus, ſummam perparum, utro modo verteris, momenti eſt.

(758) Loco illorum verborum, quae Graece ex Dione interpoſui, ac totidem verbis fidus interpres reddidi, in vulgata interpretatione ſic legitur: *Ita ut quum quemdam etiam volare juſſiſſet, ille ei promiſerit: multoque tempore nutriebatur intus apud eum in aula tamquam volaturus*. Quae interpretatio quanto-

(759) Pervetus auctor Philopatridis inter Lucianeos dialogos celeberrimi Chriſtianos modo uti πεδαρσίους (*per ſublime evectos*) modo

habenas permittere ſit animus. Sed me retineo.

Haec ſunt gentilium alterius Chriſti ſaeculi teſtimonia. Ac ne tertium quidem ſaeculum vacat teſtibus, iis vero, quod longe praeſtabilius eſt, Chriſtianis, ac diſertim ex ordine rem univerſam narrantibus. Ad hoc enim maxime ſaeculum (760) referenda eſt luculentiſſima τῶν διαταγῶν (*Conſtitutionum*) teſtificatio, quam ſupra §. 1. produximus, cum qua perbelle Ambroſio convenire ibidem docuimus. At enim iſtius auctoris fidem nutare dicent. Verum hanc Conſtitutoris ὀκτάβιβλον, etſi ψευδεπίγραφον, in pleriſq. tamen optimae frugis refertam eſſe juxta cum eruditiſſimo quoque fatendum eſt. Nam eſt venia auctori danda, ſi plurimorum ſuae aetatis morem ſecutus, libro ceteroqui utiliſſimo [uti quidem is initio, antequam alicubi interpolaretur, prodiit] ex praeclaro Apoſtolorum & B. Clementis nomine auctoritatem conciliare geſtierit. Adde quod (ut in re ſimili alibi obſervavimus) id ſibi pius auctor licere credidit, quod ſibi ſinceriſſimus quiſque antiquorum ſive in dramaticis operibus, ſive in dialogis paſſim permiſit, ut hanc illamque perſonam pro ſua maxima voluntate loquentem faciat, quaeque velit nomina opuſculis illis inſcribat; nullo id adeo cum fraudis periculo.

§. IV.

Pontificum Romanorum ſilentio occurritur.

Mox de ſilentio Romanorum Pontificum Noſter expoſtulat: *qui ſua*, inquit, *tacere non ſolent*. At nec εὐκαίρως ἀκαίρως (*opportune*, *importune*) ſua eloqui conſueverunt, ea praeſertim quae per alios ſatis vulgata noſſent. Quamquam ne ipſi quidem, ubi opus fuit, victoriam quam Petrus de Simone retulerat diſſimularunt. Vide initio cap. ſuperioris quid Romanae ſedis legati de *Ruina Simonis in adventu beatiſſimorum Apoſtolorum* ad S. Euſebium Vercellenſem ſcripſerint. Mitto jam illud, quod ex S. Gregorio M. teſtimonium de eodem facto affertur ex Commentario ad Pſal. 101. quippe quum is commentarius recentior Gregorio videatur.

§. V.

Fruſtra Auguſtinum, quaſi de Petri volatu ac ruina dubitantem, produci: quum apertum ſit alio Auguſtini dubitationem ſpectaſſe. Tò Plerique quid Hipponenſi ſignificet. Caſſiani locus. Cedreni locus obſcurior corrigitur exponiturque.

Illud vero doleo quod viro ſummo Auguſtinus, cujus aperta de magi ruina teſtimonia cap. 2. protulimus, quaſi de hac hiſtoria dubitans ſuboluerit. Qua quidem ſuſpicione nihil levius. Nam quod apud Auguſtinum plerique Romanorum ibant inficias, non celeberrimum Apoſtolorum cum Simone certamen, nec magi prolapſio erat, ſed quod praevium ei pugnae jejunium a Petro indictum fuiſſe dicatur, aut quod omnino ea prima

origo

modo ut αἰθεροβατοῦντας (*per aethera ingreſſos*) aut αἰθερίους (*aetherios*) jlocalariter taxat: de quo ad Acta S. Juſtini ad Kal. Jun. Adnot. 63. quaedam adſperſi. Per eam vero appellationem alluditur ne ad Simonis [qui ut Chriſtiano tinctus lavacro fuit, ita certum eſt, pro Chriſtiano habitum] volatus Icarios? Sicuti & de Pauli in tertium caelum aſcenſu ibidem mentio injicitur.

(760) *Apoſtolicas* διαταγάς (*conſtitutiones*) ſive ut aliter inſcribunt, καθολικὴν διδασκαλίαν (*catholicam doctrinam*) haud ſerius tertio Chriſti ſaeculo prodiiſse, tum ſtylus cultior, ei aetati conveniens, tum e iam vetus eccleſiae πολιτεία eiſdem maxime temporibus congruens, propemodum clamitat. Id opus ab Epiphanio non ſemel laudatur, & ex eo teſtimonia decerpuntur. Et diu ante Epiphanium ab Euſebio τῶν ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί (*Apoſtolicae doctrinae* ſeu *inſtitutiones*) lib. III. c. 25. inter ſpurios Scripturarum ſacrarum libros memorantur: quas eaſdem ac διαταγάς fuiſse, etiam hodiernus *Conſtitutionum* titulus, Καθολικὴ διδασκαλία, *Catholica doctrina*, demonſtrat. Incredibile autem dictu eſt quantopere in eum librum ſibi licere manus interpolatorum ſiverint. Itaque & inſcriptio mire variaſse deprehenditur, nec minus liber ipſe diverſis in locis adulteratus fuit: de quibus Cotelerius aliique monuerunt.

origo jejunii Sabbati apud Romanos fuerit. Expende Auguſtini verba, quae initio hujus cap. a Cotelerio recitata adſcripſimus, eaque cum praecedente Vrbici objectione (761) comparato: non aliam in partem, ac dixi, ſat ſcio accipies.

Non eſt autem ſilentio praetereundum, quid eo loci τὸ *Plerique* apud Auguſtinum valeat. *Eſt*, inquit, *& haec opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant eſſe falſam PLERIQVE Romani, quod.. Petrus cum Simone.. certaturus.. pridie cum ejuſd. urbis eccleſia jejunaverit.* Non enim heic *Plerique* tantumdem eſt quod οἱ πλείονες, h. e. *major pars*, aut quod aliter dicebatur, *Plerique omnes:* quin potius minime dubito, quin *Plerique* Auguſtino idem ſit quod τινὲς, *Nonnulli*. Hoc primum ſuadet, quod τὸ *Plerique Romani* opponat *opinioni plurimorum*. Deinde Auguſtini aevo *Pleroſque* idem fuiſſe quod *Nonnullos* vel unus Chalcidius, qui eo vocabulo hac ſemper notione utitur, ſuadere poteſt. Adde Ambroſium ſic paſſim uſurpaſſe; ut lib. 1. in Luc. n. 2. *Plerique* (h. e. quidam) *ex quatuor Evangelii libris in unum.. venenatis.. aſſertionibus convenientia referſerunt*: quod Marcio fecit. Ac ſaepe alibi. Nec aliter ejuſd. aevi ſcriptores fere omnes. Quinimo eadem notio etiam apud antiquiores (762) ſcriptores eſt haud raro obvia.

Accedit, quod hoc, de quo *pleroſque Romanos* addubitaſſe Auguſtinus refert, id tamquam opinionem receptiſſimam, Caſſianus agnovit. Exſtat ejus locus in III. de inſtit. Monach. cap. 10. his verbis. *Idcirco putant abſolutionem Sabbati* (h. e. relaxationem ab jejunio ſabbati) *minime debere praeſumi, quod Apoſtolum Petrum eodem die contra Simonem conflicturum aſſerant jejunaſſe. Ex quo magis apparet, hoc eum non conſuetudine canonica feciſſe, ſed praeſentis potius neceſſitate conflictus*. Et quae ſequuntur.

Quin etiam id quoque mihi ſignificaſſe videtur Cedrenus, ubi poſt narratam Simonis ex alto ruinam addit: *Ita eo tempore prima Simonianorum haereſis Romae deleta ac prorſus extincta fuit: itaque etiam illius ſabbati diem Romani ſollemnem agunt.* Atqui feſtivitas nulla Romae ob id inſtituta legitur. Verum is locus partim leviſſime

(761) Epiſt. 36. ad Caſulanum Vrbicus [ſic vocatur quidam e Romana urbe, auctor diſſertationis pro jejunio Sabbati ab Auguſtino confutatae] ſic cap. 21. opponebat: *Petrus etiam inquit Apoſtolorum caput, caeli janitor, & Eccleſiae fundamentum, EXTINCTO Simone, qui diaboli fuerat, nonniſi jejunio vincendi, figura, id ipſum* (nim. Sabbati jejunium) *Romanos edocuit, quorum fides annuntiatur univerſo orbi terrarum*. Ei argumento Auguſtinus poſt quamdam reſponſionem adhibitam, adhibet & hanc alteram. *Eſt quidem & haec opinio plurimorum.* Cetera vide in Cotelerio ſupra initio hujus cap. IV. In his primum vides, in tranſitu ab Vrbico affirmari, Simonem a Petro *extinctum* fuiſſe, idque Auguſtinum minime inficiatum. Qui enim id iret inficias, quod ipſemet alibi docuerat, eodem plane verbo uſus? Vide ſup. cap. 3. in Auguſtino. Deinde (quod huc attinet) ſcopus Vrbici is tantum fuit, ut oſtenderet, Sabbati jejunium ab omnibus eſſe ſervandum, utpote a Petro inſtitutum, quum eſſet cum Simone certaturus. Ex quo fit, nihilo plus Auguſtino propoſitum fuiſſe, quam ut oſtenderet, primum non eſſe certum, a Petro certaturo jejunium Sabbati indictum fuiſſe, quia id nonnulli Romanorum negabant. Deinde etiam hoc conceſſo, demonſtrat, ex eo non effici, id jejunium (quod praeſens neceſſitas exegiſſet) omni tempore & in omnibus eccleſiis valiturum.

(762) Praeſertim apud veteres JCtos ea notio obtinet. Sic l. 32. §. 10. D. de donat. inter vir. & uxor. ſcribitur: *Plerique cum bona gratia diſcedunt, plerique cum ira ſui animi & offenſa*. Ex quo uno loco ſatis aeſtimari poteſt, qua potiſſimum notione ſint illae locutiones JCtorum accipiendae, *Plerique dixerunt, reſponderunt, putaverunt, exiſtimant, opinantur, probant* &c. itemque illae, *Plerisque placuit, videtur, a plerisque dictum eſt*: quas locutiones modo patentiore, modo artiore ſignificatu eſſe capiendas non dubito. Sicuti etiam *Plerumque* etſi multis in locis apud eoſdem eſt idem quod *Vt plurimum*; tamen aeque multa afferuntur loca, in quibus non plus valet quam *Interdum*. Etiam ex Quintiliano ejuſdem notionis loca de *Plerumque* & *Pleroſque* produci video.

vissime corrigendus mihi videtur, partim in una vocula rectius, quam Xylander fecit, reddendus. Graeca sic habent: *Ideo diem* ἐκείνου τοῦ σαββάτου ἐπίσημον ἄγουσι *Romani*. Vbi illud ἐπίσημον vertendum fuit *nota Insignem* h. e. ob rei gestae memoriam jejunio insignitum. Deinde non illud unum sabbatum jejunio insignitum erat, quo Simon prostratus fuit, sed omnia prorsus anni sabbata. Quocirca penultima litterula [nam ultimam υ, parum moror, ut quae ex consimili ν orta videatur] in η mutata, lege ἐκείνην, h. e. *diem illum* [non vero *illius*] *Sabbati*: non qui scil. quotannis, sed qui per singulas hebdomadas redit. Ac sero tandem, postquam haec dudum scripsissem, animadverti, hanc emendationem ex Glycae (I) annalibus certissimam reddi.

§. VI.

De libri Pontificalis parum aperto suffragio.

Vltima est de reticentia libri Pontificalis conquestio. Quasi vero liber ille aut maximae sit antiquitatis, aut justas Pontificum vitas complectatur. Imo [quantum ex antiquioribus Pontificum catalogis, quos Bollandistae dederunt, licet intelligere] is liber mire jejunus initio fuerit oportet, cui sequens aetas identidem alia aliis temporibus addidit. Hinc illa verba, *Dum diutius altercarentur*, *Simon divino nutu interemptus est* [quo quidem satis vulgata narratio confirmatur] ex eo quod a quibusdam codicibus absunt, a posteriore manu addita fuisse, haud aegre concesserim. Etsi tamen non desunt alii probae notae codices a Blanchino ad Anastasium relati, in quibus tota haec de certamine narratio multo est amplior: quamquã de volatu diserte nihil usquam; nec enim ad hujus generis λεπτολογίας Pontificalis liber in antiquis Pontificibus se demittit.

Ex hactenus dictis vides nihil obstare, quo minus vulgatae ab Ambrosio totque aliis antiquis de volantis magi prolapsione [quam ne profanis quidem scriptoribus inauditam fuisse animadvertimus] narrationi subscribamus.

C A P. V.

Quid de Christi occursu ac voce VENIO ITERVM CRVCIFIGI sit sentiendum. Origenis de ea locus exponitur. Petri Actorum manu scriptorum testimonium: deque iis Actis judicium.

Sequitur tertia & ultima Exjosippi narrationis pars de Christi Petro occurrentis voce, *Venio iterum crucifigi*: quae historia quum nusquam ferme alibi quam in Ambrosio legatur, tamen miror, cur minus criticorum suspicionibus patuerit. Tantoque id magis miror, quod Origenes, qui unus diu antea ejus meminerat, eam ex apocrypho libro eruisse videatur, ac Paulo potius quam Petro dictum id putasse, ac postremo totum id inter dubias historias videatur numerare. Exstat is locus in commentariis in Joannem tom.21.[pag.298. edit. Huetianae] quem parum accurate redditum, curabo totidem ferme ex Graeco verbis exprimere,

(I) Poteram tota illa Cedreni correctione atque expositione supersedere (quum tanto antea idem hoc Mich. Glycas homo Siculus abunde praestiterit) si praevidissem. Is enim in annalium parte tertia quum in rebus Simonis non aliud agat, quam ut Cedrenum in pauca contrahat [nam ab eo exorsus, quod causa interfecti ab Nerone Petri non alia quam Simonis ruina fuerit, eumdem Georgium κατὰ πόδα sequitur usque ad ruentis magi narrationem] non est dubium quin eumdem illustrare voluerit, ubi Simonis prolapsioni, verbis semper Cedreni usus, haec subjicit. διό δὴ καὶ τὴν ἡμέραν ΕΚΕΙΝΗΝ ἐπίσημον ἄγουσιν οἱ Ρωμαῖοι. σάββατον γάρ ἦν, ἐν ᾧ καὶ προσευχὴ καὶ νηστεία τοῖς πιστοῖς, καὶ μᾶλλον ὑπὲρ τοῦ διδασκάλου. τοῦτο δὲ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐκεῖσε κρατεῖ. *Propterea & dies ille*[*veluti nota*]*signatus apud Romanos habetur* (heic quoque interpres negligenter agit, interpretatus: *Sollemniter Romani celebrant*: quid enim voci ἐπίσημος cum *Sollemnis* commune?) *Sabbatum enim erat, in quo & oratio & jejunium fidelibus, maxime pro magistro* (*indictum erat*). *Id quod ibi hodieque obtinet*.

re, ac simul a falsi suspicionibus vindicare.

Ibi igitur Origenes dum in eo esset, ut locum ad Heb. *Iterum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, explanaret, sic pergit. *Quod sicui placet admittere, quod in Actis Pauli scriptum est, tamquam a Servatore dictum*, *VENIO ITERUM CRUCIFIGI*; *is quemadmodum post* (Christi) *adventum illud VENIO ITERUM CRUCIFIGI*, *evenisse* (spirituali scil. intelligentia] *admittit*, *sic etiam & ante adventum* [id admittat necesse est] *quandocumq. eadem exstitisset causa dicendi*, *EN IAM CRUCIFIGAR*. *Cur enim, sicuti VENIT ITERUM CRUCIFIGI, non prius etiam crucifixus fuisset?* Ac statim haec subjicit, quae ad intelligentiam verborum superiorum ponam. *Vide vero an non ea vox* (ad Gal. II. 19.) *Christo confixus sum cruci, non tantum ad Sanctos, qui post Christi adventum fuere, sed aeque ad priores pertineat; ne sanctos Christi adventum subsecutos a Mose, Prophetis & Patriarchis differre dicamus*.

Qui quidem locus adeo non videtur Ambrosianam narrationem juvare, ut potius turbet. Nam primum quum id ex Pauli (παύλυ πράξεσιν) *Actis* citet; videtur Paulo potius quam Petro id fuisse dictu, subinnuere. Ac Perionius quidem Ambrosii auctoritate motus, id Petro dictum testantis, Πέτρυ corrigendum putavit. Et certe *Petri Acta* in Hieronymi catalogo memorantur & ab ejusd. *Praedicatione* distinguuntur: sed & antea Eusebius III. 3. eorumdem Petri Actorum meminerat. Sed tamen cum *Actorum Pauli* in I. περὶ ἀρχῶν c. 2. (II) mentio ab Origene fiat, nihil esse mutandum Huetius censuit. Nec tamen id impedit quominus id Petro dictum intelligatur; nā idem opus fortassis Πέτρυ καὶ Παύλυ πράξεις [*Petri & Pauli acta*) inscribebatur; sicuti & toties laudatis Mss. Regiae Biblioth. Actis, & Pseudo-Marcello, & Pseudo-Lino communiter *Petri & Pauli Actorum* nomen praescribitur. Aut si postremo ei opusculo, quod vidit Origenes, Pauli tantum nomen in indice visebatur; nihil prohibet, quo minus ibi etiam Petri passio simul cum Paulo interfecti, & Christi occursus, qui martyrium antecessit, breviter ex occasione describeretur.

Sequitur difficultas altera de narrationis incerto. Ait enim εἰ τῷ δέξασθαι φίλον, *Sicui placet admittere* illud Servatoris dictum: quae locutio non nisi de dubiis narrationibus usurpari solet. At facilis est responsio. Quū plura Origenes Scripturarum loca supra & infra pro more contexuisset, quae nemini inficiari liceret; subtexuit & ex Pauli Actis dictum Servatoris. Nequis vero parem certitudinis praerogativam Pauli Actis atque illis aliis Scripturae divinae locis tribueret; merito praefatur: *Sicui admittere id libitum fuerit*. Nam hic liber humana non item divina auctoritate fulciebatur. Ceterum quum non levi manu dictum istud Servatoris expolierit; satis eo declarat, apud se dicti illius *Venio iterum crucifigi* haudquam nutare fidem.

Porro Ambrosius ex eodem ne fonte, unde Origenes, an aliunde id historiae didicerit, non habeo dicere.

Praeter autem hos duos, etiam incertae aetatis manu scriptus auctor Actorum Petri & Pauli (quem Combefisius magni fecit, atque ex eo fragmentum protulit, a nobis in Adnot. 752. recitatum) is inquam auctor Petrum cruci affixum circumfusae multitudini haec narrantem inducit: quae praestabit ex Pseudo-Marcello, fido interprete, huc iterato afferre. *Ante paucos enim dies rogatus a fratribus abscedebam hinc; & occurrit mihi in via Dominus meus Jesus Christus ad portam hujus Urbis, & adoravi eum & dixi: DOMINE QUO VADIS?* *Et*

(II) Ejus capitis haud longe ab initio sic legitur: *Sermo ille, qui in Actibus Pauli scriptus est, Quia hic est verbum animal vivens. Joannes vero excelsius .. in initio Evangelii sui dicit* &c.

Et dixit mihi: Sequere (763) *me, quia VADO ROMAM iterum crucifigi. Et dum sequerer eum, redii Romam, & dixit mihi: Noli timere, quia tecum sum, quousque introducam te in domum Patris mei.* Cetera si lubet, in ead. Adnot. 752. Graece & Latine reperies.

De lapide, cui impressa [uti narrant] Christi Petro occurrentis vestigia adhuc supersunt, deque sacello, cui ob ejus rei memoriam Card. Polus nomen indidit, *Domine quo vadis*, videatur Aringhius tom. 1. Rom. subt. pag. 490. n. 15. & alii.

AVCTARIVM

Quo de Petro & Paulo reliqua perstringuntur.

Quum superiorem utramque partem mihi longiorem, quam provideram, processisse animadverterim; eo brevior in ceteris quibusdam, quae adhuc restant, expediendis ero. Sunt enim adhuc pauca quae primum de horum Apostolorum anno dieque emortuali moneam, deinde de diversis eorumdem Translationibus, postremo cur Neapolitani die 29. de Petro dumtaxat, die vero 30. de Paulo seorsum fecerint.

CAP. I.

De die & anno passionis amborum Apostolorum.

Cur annus Christi LXVI. (quem post Tillemontium hodie non pauci triumpho Apostolorum assignant) cum Ambrosii nostri narratione de Petro & Paulo componi nequeat, jam supra ad ejus narrationis initium in fine Adnot. 679. exposui. Nec idem annus aut quivis ex praecedentibus cum Eusebio, & Hieronymo conciliari potest. Quare non aliud relinquitur, nisi ut Apostoli sive anno LXVII. sive LXVIII. [qui fuit Neronis ultimus] sanguinem fuderint. Vtriusque sententiae praecipua momenta lectori proponentur, eidemque arbitrium controversiae integrum permittetur.

§. I.

Cur videri possint Apostoli anno LXVIII. die XXII. Febr. palmam tulisse.

Anno Neronis XIV. id martyrium contigisse testatur in Chronico Eusebius, & Hieronymus tum in Chronico tum etiam in Catalogo de vir. illustr. At annus Neronis XIV. incipit a die 13. Octobris anni LXVII. & in annum LXVIII. incurrit: in quem proinde caedes Apostolorum inciderit necesse est. Quumque Nero sub initia Junii anni ejusdem sibi manus intulerit; non potuere Apostoli exeunte eodem Junio mactari. Quocirca si nos annus LXVIII. cum Eusebio & Hieronymo delectat, tum alius ab die 29. Junii quaerendus erit emortualis dies; isque facile dies XXII. Februarii fuisse videbitur.

Nam commode accidit quod hic, quem dixi, martyrii dies tum ex Bucheriano laterculo, tum Polemii Silvii firmatur. In Bucheriano enim Kalendario, quod IV. saeculo compositum perhibent, sic scribitur: *III. Kal. Jul.* [h. e. die 29. Junii] *Petri in Catacumbas & Pauli Ostiense, Tusco & Basso Coss.* Quibus profecto verbis non eorum martyrium sed translationem eo die factam anno 258. qui illos habuit consules, significari, paria ejusdem Bucheriani catalogi exempla (764) consulibus insignita demonstrant. Et heic quidem martyrium in 29. Junii in-

(763) Istud *Sequere me* abest a Graecis Actis, in quibus tantum legitur, *καὶ εἶπέ μοι, Ὅτι ἐν Ῥώμῃ ἀπέρχομαι πάλιν σταυρωθῆναι.* Ad verbum: *Et dixit mihi: Quia vado Romam iterum crucifigi.* Vbi illud Ὅτι, (*Quia*) non *αἰτιολογικόν* (*causale*) est, sed *διηγηματικὸν*; atque initiis responsionum aut dictorum servit, nec ejus in vertendo ratio habetur. At interpres tamquam causale reddidit, *Quia*. Eoque factum, ut illud insuper adderet, *Sequere me*, ut esset scil. cujus ratio redderetur per sequens *Quia*.

(764) In eod. enim laterculo proxime ante Apostolor. festum legitur: *XIV. Kal. Jun. Parthini & Caloceri in Callisti Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss.* Verum hi sub Decio anno 250. passi, postmodum his coss. anno 304. translati in Callisti intelliguntur. Ibi-

incurriſſe negari videtur: at quo die primitus celebratum fuerit, ſatis indicat Polemii Silvii Kalendarium anno 449. ſcriptum, in quo ſic legitur: *VIII. Kal. Mart.* [h. e. die 22. Febr.] *Depoſitio S. Petri & Pauli*. Ac meminiſſe proderit eorum quae ſaepe de vocibus *Natalis* & *Depoſitionis* notavimus, nim. priorem vocem generalem eſſe, & de quovis anniverſario feſto uſurpari, non item *Depoſitionis* nomen, quod non niſi de die emortuali poteſt intelligi. Hinc quia in hiſce Neapolitanis Faſtis diebus 29. & 30. Junii *NATalis* nota praefigitur; non aliud ſignificatur, quam Neapoli Petrum die 29. Junii, Paulum trigeſimo fuiſſe celebratum. Hoc ipſum poterit & de aliis Kalendariis atque ſcriptoribus dici, quoties Natale principum Apoſtolorum die 29. Junii celebratum ſignificant.

Sunt autem inter ſe apti quodammodo atque conſerti annus ac dies emortualis Apoſtolorum. Nam ſive cum Euſebio & Hieronymo Apoſtolos anno Neronis XIV. h. e. Chriſti 68. necatos dixeris, non niſi Februario menſe enectos fuiſſe accipiemus cum laudato Polemio Silvio (nec enim ad diem 29 Junii differre paſſionem licebit; quia jam ante extremum Junium ſe Nero confoderat) ſive cum eodem Polemio DEPOSITIONEM die 22. Febr. conſignaveris; id multo commodius anno LXVIII. quam ſuperiore acciderit neceſſe eſt, idque non tantum propter Euſebii & Hieronymi de Neronis anno XIV. teſtantium auctoritatem, verum etiam potiorem aliam ob cauſam.

Nam ſi antiquis (765) habenda eſt fides; non tantum Nerone imperante Apoſtoli interfecti fuerunt, ſed juſſu ipſo Neronis, eoque adeo praeſente. At anno LXVI. ſive medio ſive paullo provectiore, in Achaiam Caeſar profectus, ibi toto aut pleroque anno LXVII. ludis, certaminibus, effodiendoque iſthmo occupatus fuit, nec niſi ſequente hyeme Romam rediit, nim. ineunte anno LXVIII. Dixeris, ne eo quidem anno Neronem menſe Febr. Romae moratum, ut qui die XIX. Martii (766) Neapoli fuerit. At id nihili eſt. Nam irrequieto Neronis ingenio quanti laboris fuerat poſt Apoſtolorum necem advolaſſe Neapolim?

Fateor tamen cum Polemiano laterculo videri Bucherianum [quod & paullo antiquius praedicant] parum conſentire: in quo altero ſcribitur: *VIII. Kal. Mart.* [h. e. 22. Febr.] *Natale Petri de cathedra*. Ergo jam ante Polemium non *Depoſitio* ſed Petri cathedra die 22. Febr. colebatur. Vtcumque tamen reſponderi poteſt, poſtquam ſollemnitas Apoſtolorum major die 29. Junii agitari coepit [quod facile aevo Conſtantiniano evenit] tum diei 22. Febr. [qui primitus Depoſitionis erat] cathedrae (767) commemorationem ſuperaddi coepiſſe, idque eo proceſſiſſe, ut volventibus annis oblitterata *Depoſitionis* memoria, cathedrae feſtum praecipue eo die ageretur. At credibile eſt, Polemium in antiquius

Ibidem: *X. Kal. Oct. Baſſillae Salaria vetere Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coſſ.* Atqui ea paſsa ſub Gallieno fuerat. Idem dicendum erit de Cyriaco, Largo & Smaragdo: item de Gorgonio: item de filiis S. Felicitatis: quos quum aliis diebus, quam qui ibi notantur, paſsos conſtet, relinquitur ut ibi notati dies non paſſionum, ſed translationum fuerint.

(765) Haud pauca hujuſmodi antiquorum loca Tillemontius indicavit in S. Petro Not. 40. verſus finem. Quibus locis addendus procul dubio erit Ambroſiana Exjoſippi narratio, quam Parte II. protulimus & illuſtravimus. Ibi ſect. X. diſertiſſimis verbis non tantum praeſente Nerone, ſed & ejus praecepto enecti Apoſtoli dicuntur, ſimulque ea cauſa additur, quod nempe Simonis ruina Caeſarem Apoſtolis infenſum fecerat. Adde & illuſtrem Lactantii locum lib. de mort. perſec. cap. 2.

(766) Colligitur id ex Suetonii Nerone cap. 40. ubi ſcribitur: *Neapoli de motu Galliarum cognovit* [anno utique 68.] *die ipſo* [anniverſario] *quo matrem occiderat*. Atqui eam die 29. Martii olim peremerat.

(767) Certe cur Cathedrae natale diei potiſſimum 22. Febr. affigeretur, non videtur alia cauſa fuiſſe, quam quod olim is dies aliqua ſollemnitate inſignis extiterit.

quius aliquod laterculum incidisse, in quo eo die *Depositio* Apostolorum consignabatur.

§. II.

Quibus rationibus ostendi possit, Apostolos anno LXVII. die 29. Junii coronatos.

Heic etiam uno posito, alterum necessario sequitur. Nam si demonstretur, re vera Apostolos die 29. Junii sanguinem profudisse; jam eorum annus emortualis non LXVIII. erit [quo anno jam antea Nero sub Junii initia αὐτόχειρ perierat] sed LXVII. Ceterum cur non anno LXVI. aut LXV. id martyrium consignari liceat, jam ipso initio hujus cap. (768) indicaveram. Itaque ut eo redeam: quandoquidem Apostolis die 29. Junii Romam suo sanguine consecrasse, & Mrologia passim & Patrum homiliae eloquuntur [de quo vide tum alios, tum Tillemontium in Petro Not. 44.] necesse est anno LXVII. id contigisse, quoniam superioribus annis non licuit.

Potest idem annus etiam directe ex eo suaderi quod Hieronymus in Catalogo cap. 12. Senecam biennio ante Apostolos interfectum tradit: quem tamen mense Aprili anni LXV. Vestino consule interiisse compertum est. Sed Hieronymi sententiam non hinc, sed ex locis §. superiore indicatis tutius aestimandam esse censeo.

§. III.

Vtra ex his opinionibus praestabilior.

Sane priori facilius assentirer, neque id solum ob allatas §. I. rationes, sed etiam quod satis sciam saepissime id accidisse, ut quia interdum translationum festa sollemniora diebus θανασίμοις evaserunt, ea postmodum pro diebus ipsis triumphalibus haberentur: cujus moris innumera exempla (769) proferre possem. Accedit quod ea sententia duas affert egregias commoditates: quarum ea prior est, quod quum toto anno LXVII. Roma Caesar abfuerit; sequens omnino annus sit deligendus, si quidem antiquis credimus, qui Nerone praesente ac jubente interemptos Apostolos tradiderunt. Commodum vero alterum in eo est, quod si nos numerus Eusebianus annorum XXV. Romanae Petri cathedrae delectat; necesse erit cum eodem Eusebio triumphum Apostolicum XIV. Neronis anno affigere, ne priorem Petri Romanam profectionem plus nimio maturari necesse sit.

Tamen illud quoque fateor grave esse, receptam plurium saeculorum de Apostolica passione in 29. Junii incidente persuasionem subvertere. Quare praestabilius est ἐπέχειν, quam quidquam temere decidere.

C A P. II.

De variis diverso tempore amborum Apostolorum translationibus.

Statueram labore hoc penitus supersedere; est enim maxime arduum dissonas valde narrationes & inde natas opiniones conjecturasque in foedus aliquod adsciscere. Quid enim tam ἀσύστατον erit quam tradita ab S. Gregorio Magno historiola [de viris scil. orientalibus, qui statim ab Apostolorum passione corpora eorum sustulerint, sed deterrente Numine, eadem ad Catacumbas Coemeterii Callistiani reliquerint] si quidem cum Caii testimonio conferatur, qui post ann. 203. Petri corpus in Vaticano, Pauli ad Viam Ostiensem fuisse apud Eusebium testatur? Quis enim ex Catacumbis Callistianis in loca propria redu-

(768) Nempe quod diserte Ambrosius in Apostolorum certamine [quod suo Exjosippo inseruit, quodque Parte II. recitavimus] Apostolorum passionem posteriorem anno LXVI. vergente faciat. Vide ejus narrationis initium. *Nero, inquit, cum Judaeorum bello afflictam Romani exercitus validam manum cognovisset* [atqui id incommodum mense Novembri anni LXVI. contigit] *adversus Christianos insurrexit*. Insurrexerat quidem antea; sed ab eo tempore renovatam vexationem doces, ac post id tempus in principes ipsos sectae Christianorum saevitum.

(769) Vide prae ceteris domesticum hujus rei exemplum ad Acta S. Januarii M. num. 1. pag. 270. Adnot. 4. & copiosius pag. 279. Adnot. 39.

reduxerat? Sed esto: ante Caium reportatae Reliquiae utriusque in loca pristina fuerint: necesse est iterum Petri saltem corpus in Callistianas *Catacumbas* anno 258. fuisse translatum, h.e. *Tusco & Basso Coss.* sub quibus id factum refert Bucherianum laterculum. Confer laterculi verba a me proxime exposita cap. I. §. I.

Jam vero videmus, in eodem laterculo de Paulo in Viam Ostiensem translato mentionem fieri: quod tamen ibi jampridem a Caii tempore requiescebat. Sed demus unius Petri pignora in easdem *Catacumbas Tusco & Basso Coss.* relata: cedo, quandonam Petri Lipsana in Vaticanum ultimo redierunt? Haec quidem satis repugnantia quis mihi, rogo, conciliaverit?

Verumtamen ut eadem in canorum concentum redigantur, duo mihi sumo ab rei veritate non aliena. I. narrationem illam Gregorianam, quam infra subjiciam, non statim a martyrio contigisse, sed ferme post sesquisaeculum. II. *Catacumbarum* nomine non eas tantum olim venisse, quae ad S. Sebastiani, sive Callisti coemeterium erant, sed etiam Vaticanas, ubi Petri Reliquiae condebantur. De horum utroque uberius infra. Nunc quemadmodum inextricabilium narrationum labyrinthus sit explicandus, ordine exponam.

§. I.

Quibus in locis Apostolorum sacra pignora diversis temporibus requieverint.

Principio ex Eusebio (II. Hist. eccl. 25.) ubi Caium presbyterum in testimonium vocat, egregium locum producam: qui sic Latine sonat. *Sed & Caius quidam vir* (770) *Ecclesiasticus, qui Zephyrini Romanae urbis episcopi temporibus floruit ... de loco, in quo praedictorum Apostolorum sacra corpora fuere deposita* [notabis, κατατέθηται dixisse, h. e. ab initio *deposita*: alioqui *transferendi* verbum usurpasset] *ita loquitur: Ego vero, inquit, Apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere volueris, tropaea illorum, qui* (771) *hanc Ecclesiam fundaverunt reperies*. Ergo Apostolorum exuviae ubi initio repositae fuerant, ibi adhuc sub Zephyrino h. e. circ. ann. Christi ducentesimum fidelium venerationi patebant. Quo fit, Gregorianae narrationi non nisi post hoc tempus relinqui locum.

Gregorii autem verba proderit huc adscribere ex lib. III. ep. 30. Ea in epistola dum rationes Constantiae Aug. quae S. Pauli caput flagitaverat, affert, cur id salva Ecclesiae Romanae consuetudine, diminutiones Reliquiarum vetantis, fieri nequeat, hanc insuper admetitur narra-

(770) Malui id retinere, quod in Graeco erat ἐκκλησιαστικὸς ἀνὴρ quam quod Valesius reddidit, *Vir catholicus*. Qui in suis adnotationibus triplicem vocis ἐκκλησιαστικὸς notionem affert: I. pro *Christiano*, quatenus gentili opponitur: II. pro *Catholico*, qua haereticum excludit: III. pro *Clerico*, quatenus differt a laico. Ex his igitur notionibus secundam delegit, quae tamen minime idonea huic loco videtur. Nam quum Caii opus adversus Proclum Montanistam memorasset; supervacaneum erat eumdem Caium *Catholici* elogio cohonestare: quod elogium satis ex eo poterat intelligi, quod contra haereticum scriberet. Atqui tertia notio huic loco convenientior erat. Nec dubito quin eam Valesius antepositurus fuisset, si animadvertisset, Caium clero Romano adscriptum fuisse. Quod fugisse virum summum, in seq. Adnot. planius faciam. Ceterum Photius cod. 48. diserte prodidit: *Hunc Caium presbyterum Romanae ecclesiae fuisse affirmant sub Victore & Zephyrino archiepiscopis: eum praeterea & gentium episcopum fuisse ordinatum.*

(771) *HANC ecclesiam* reddendum fuit, non ILLAM, ut in Valesiana interpretatione legitur: neque id solum ob eam rationem quod Graece ταύτην non ἐκείνην legitur, verum etiam quod Caius opus illud Romae [cujus ecclesiae presbyterum fuisse in superiore Adnot. ex Photio docuimus] sub Zephyrino scripserit; ubi positus, si *Illam ecclesiam*, Romanam intelligens, dixisset, nae is immaniter ineptivisset. Atqui id viro summo fraudi fuit, ut in super. Adnot. innuimus, quod Caii Romanum presbyteratum ignoraverit: quem tamen ex eo ipso demonstrativo pronomine ταύτην arguere potuisset.

narrationem. *De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum? dum constet quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut* (772) *CIVIVM suorum repeterent: quae ducta usque ad secundum Vrbis milliarium, in loco qui dicitur Ad Catacumbas collocata sunt. Sed dum ea inde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur; ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt.*

Haec est πολυθρύλλητος illa Gregorii narratio. In qua tamen cave putes, verbis illis: *Eo tempore, quo passi sunt* (Apostoli) *ex Oriente fideles venerunt*, significari, statim ab eorum passione venisse raptores Reliquiarum: sicuti nec quae postea sequuntur, *TVNC exeuntes Romani eorum corpora ... in locis quibus nunc sunt condita posuerunt*, per ea notatur, e vestigio Romanos exeuntes, sacra corpora in loca pristina reduxisse. Non enim id tum Pontifex agebat, ut accurate singulos temporum articulos explicatos traderet, satis habens Augustam a deminuendis reliquiis absterrere. Ceterum sicuti posteriora verba, *TVNC exeuntes Romani*, παχύτερον scripta fuerunt, quia satis constat, ad Catacumbas Callistianas per plusculos annos [ac facile ad quadraginta] Apostolicas exuvias jacuisse; sic & illa priora, *Eo tempore, quo passi sunt*, non proximum passioni tempus necessario designant; verum latiore ambitu esse accipienda, vel id omnino suadet, quod statim ab Apostolorum certamine illa orientalium (773) conspiratio vix intelligi queat. Per illud quidem latrocinium transiisse ad Catacumbas Callistianas Apostolorum tropaea certissimum est, sed non illico post passionem, imo post sesquisaeculum a peracto martyrio id accidit; quia usque ad ducentesimum Christi annum ad tropaea illa, adhuc pristinis in locis fulgentia, Caius digitum intendebat.

Ceterum Apostolorum sacra pignora aliquamdiu apud Catacumbas Callistiani coemeterii, uti monebam, resedisse, satis antea Damasi epigramma declaraverat: quod epigramma in ea *platonia* [uti vocat liber pontificalis in Damaso] inscriptum fuisse constat, quam idem pontifex ad Catacumbas fecit. Eos versus ex Mss. tum Baronius ad ann. 284. num. 23. tum etiam Gruterus pag. 1172. num. 12. protulere: quos, ad Gregorianam narrationem illustrandam mirifice valituros, huc libens adscribam.

Hic habitasse prius Sanctos cognoscere debes,
Nomina quisque [pro *quisquis*, more ejus aetatis] *Petri pariter Paulique requiris.*
Discipulos Oriens misit, quod sponte fatemur.
Sanguinis ob meritum Christum per (cor. *super*) *astra secuti*,
Aetherios petiere sinus regnaque [cor. & *regna*] *piorum*.
Roma suos potius meruit defendere cives.
Haec (fort. *Has*) *Damasus vestras referat*, *nova siderà* (vocandi casu) *laudes*.

Non tantum autem mendosi hi versiculi mihi visi fuere [sicuti & cetera ejusdem Damasi epigrammata ex membranis eruta] verũ etiam luxati. Mendas sustulimus: nunc age sede motos reponamus. Tertius cũ penultimo jungendus videtur hoc ordine: *Discipulos Oriens misit, quod sponte*

(772) *Civium* nomine aevum Gregorianum *populares* intelligebat. Ex quo colligitur, illos Apostolicarum reliquiarum raptores fuisse Judaeos Christianos. Quumque omni tempore Vrbs referta Judaeis fuerit, facile cum Judaeis incolis conspirare Judaei advenae in latrocinium potuerunt.

(773) Nam tunc quidem nec res Christiana satis coaluerat; & in quo caput est, nondum tantum acquirendarum reliquiarum acuebat studium, ut ex Palaestina usque Judaei venirent ad auferenda lipsana Apostolorum. Pia istiusmodi reliquiarum latrocinia multo convenientiora sunt tertio saeculo, quo ea certatim factitata legimus, quam in ipsis Fidei incunabulis.

ſponte ſatemur: *Roma*(vero) *ſuos potius meruit defendere* (h.e.ſibi adſerere,vindicare) *cives*. Minime divellendi hi verſus fuere, per quos Gregoriana tota narratio adumbratur. Deinde reliqui tres hexametri [*Sanguinis* . . . *Aetherios* . . *Has* . .] epigramma concludent.

Praeterea hoc ipſum plurima rei veſtigia, quae adhuc aetatem ferunt, ſuadent, apſis, cathedra pontificalis, Altare, & ſub eo puteus, in quo ſacra Apoſtolorum ſpolia condita fuiſſe memorant [de quibus videatur Paulus Aringhius tom. 1. lib.3. cap. 12.] & plures aevi (774) medii ſcriptores firmant.

Quae quum ita ſe habuerint; turbat tamen Bucherianum laterculum, quod Petri Reliquias in Catacumbas[illas certe quae ad S. Sebaſtiani, ſeu ad Calliſti coemeterium hodiedum *Catacumbae* vocantur] *Tuſco & Baſſo Coſſ.* h. e. anno 258.translatas ſignificat. Hunc enim ſenſum eſſe illorum verborum *III. Kal. Jul.* (h.e. die 29.Junii) *Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe*, *Tuſco & Baſſo coſſ.* ad hunc uſque diem viri eruditi cenſuerunt. De translatione, non die θανασίμῳ heic certe agi, adſcripti conſules docent, uti cap. I. §. 1. demonſtravimus. Ac propemodum aſſentirer, de Gregoriana narratione his verbis agi, niſi de Paulo in Oſtienſem viam translato ibidem doceretur: quem Paulum e contrario Gregorius ſimul cum Petro abductum, unaque cum eo in Catacumbis relictum narravit. Verum quid moror? Viros eruditos non aliud quam *Catacumbarum* nomen tranſverſos egit: quod peculiare coemeterii Calliſtiani Catacumbis fuiſſe cenſuerunt; quum tamen ſi minus commune cryptis Chriſtianorum omnibus [quod quidam exiſtimarunt] at certe de utroque Apoſtoli Petri ſepulcro [tum Vaticano ſcil. tum altero ad Calliſti coemeterium] fuiſſe intellectum, certiſſimum habeam: de quo videſis, quae ſejunctim §.ſeq. dicam. Id vero eis vel hic unus Bucheriani catalogi locus ſuadere potuiſſet: in quo quia τὸ *In Catacumbas* opponitur Pauli ad Viam Oſtienſem ſepulcro; palam eſt, de Vaticano coemeterio (quod nihilo minus *Catacumbarum* vocis ambitu initio continebatur) non de Calliſtiano agi. Notatur ergo hoc loco, anno 258. die 29.Junii, ſub S. Xyſto II. Pontifice Apoſtolos ex Catacumbis Calliſtianis in priſtinas ſedes ſuas,Petrum ſcil. in Vaticanas Catacumbas, Paulum ad Oſtienſem viam, fuiſſe reductos. Ac non inepte cum hoc temporis articulo convenit perſecutionum hiſtoria. Vexatio recruduerat Macriani ope paullo ante Xyſti necem, qui die VI. Auguſti ejuſdem anni primus recens renovatae inſectationi jugulum praebuit. Quocirca quia Chriſtianos ad Calliſti Catacumbas [in quibus ipſe Xyſtus deprehenſus fuiſſe ſcribitur] convenire, vulgatum fuerat; imminente procella mutandus locus Apoſtolicorum pignorum fuit; nec eadem gentilium ludibrio permittenda fuerunt.

Atque haec quidem altera itemque ultima translatio Apoſtolorum fuit: quam [quia non tam nova advectio, quam reductio, ac veteris poſſeſſionis reſtitutio fuerat] non immerito omnis ſecuta poſteritas

(774) Teſtatur id liber Pontificalis in Damaſo: *Hic fecit* . . . *aliam* [baſilicam] *via Ardeatina* [quae Catacumbis Calliſtianis adjacebat] . . *& aedificavit platoniam* [vide de hac voce Cangianum Gloſſarium] *ubi corpora Apoſtolorum* [aliquando] *jacuerunt, ideſt B. Petri & Pauli, quam & verſibus ornavit*: illis ſcil. hexametris ſeptem, quos modo narrationi Gregorii ſubjecimus, quos conferre ne pigeat. Adhaec Rudolphus Monachus in vita B. Rhabani Mauri cap. 30. *Acceptoque corpore B. Quirini M. Romam fugit, & ſacras reliquias via Appia, tertio milliario ab Urbe, in eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, UBI ALIQUAMDIU IACUERUNT, ſepelierunt in loco qui dicitur AD CATACUMBAS*. Ejuſdem Eccleſiae SS. Petri & Pauli meminit Anaſtaſius in vita Hadriani I. *Eccleſiam Apoſtolorum foris portam Appiam milliario tertio in loco qui appellatur Catacumbas* . . . *a novo reſtauravit*. Et in Nicolao I. *Via Appia coemeterium S. Chriſti Mart. Sebaſtiani in Catacumbas, ubi Apoſtolorum corpora jacuerunt, quod multis ab annis ruerat, renovavit*.

ſteritas impenſiſſime celebravit ; in tantum ut exeunte V. ſaeculo ac ſequentibus pro die paſſionis haberetur: ſive quod Chriſtiani conſulto ad transferendas reliquias diem ipſum paſſionis delegiſſent [id quod Pagius , & plures poſt eum cenſuerunt]ſive quia potius non raro accidit, translationum feſta mox celebriora diebus emortualibus evaſiſſe , eamque exſtitiſſe cauſam , uti tandem cum diebus triumphalibus confunderentur .

Et ex hactenus quidem diſputatis duo temporis puncta eliquata fuerunt : I. circa annum Chriſti ducenteſimum adhuc in ſuis locis tropaea Apoſtolica ex Caii teſtimonio reſtitiſſe : II. anno 258. eaſdem reliquias in ſua priſtina loca rediiſſe. Ex quo haud dubie ſequitur , intermedio tempore celebrem traductionem illam a Gregorio memoratam , contigiſſe . At in quem potiſſimum articulum temporis ea inciderit , nondum liquet . Verum quum in Pontificali libro meminiſſem, loca ſepulturae veterum pontificum accurate notari [quod & ad heſternum diem in Leone M. obſervabam] & ea maxime parte librum illum eſſe antiquiorem ; eo libro in conſilium adhibito facile tempus abductorum ab orientalibus Apoſtolicorum tropaeorum dignoſcere licuit . Recordabar equidem , duorum priorum ſaeculorum Pontifices in Vaticano apud S. Petrum ſepeliri conſueviſſe : itaque quouſque ea conſuetudo manſit , eouſque manſiſſe in Vaticano Petri lipſana augurabar . Nec me fefellit opinio . Nam per duo integra ſaecula Romani Pontifices [exceptis Clemente & Alexandro in loco martyrii tumulatis, nec non Aniceto & Sotere in Coemeterio Calliſti conditis] ad unum omnes ſepulti dicuntur *juxta corpus beati Petri in Vaticano* . Vltimus ibi tumulatorum Victor fuit : cui qui ſucceſſit Zephyrinus , primus eorum fuit qui alibi quam apud B. Petrum ſepeliretur . Quod argumento eſt , extremis Zephyrini temporibus Gregorianam illam narrationem contigiſſe . Niſi ſi forte malumus ſub Calliſto Zephyrini ſucceſſore id eveniſſe, uti mox indicabimus . Hinc ſicuti ſuperiores pontifices , ut apud B. Petrum requieſcerent , in Vaticano tumulabantur ; ſic poſtquam Calliſtus coemeterium ſui nominis fecit ; Antherus & eum ſecuti pontifices in Calliſtiano requietorio compoſiti leguntur , certe ut juxta B. Petrum more majorum ſepelirentur . Id vero manſit uſque ad Leonem Magnum : qui diu intermiſſum Vaticanae ſepulturae honorem eſt aſſecutus .

Et hactenus quidem dicta intento prope digito tempus ablatarum ab Orientalibus Reliquiarum utriuſque Apoſtoli deſignant : cui tempori etiam diruta ab Heliogabalo Vaticana ſepulcra , ut ex Lampridio obſervavit (775) Onuphrius , forſitan adſtipulantur .

At interim idem Pontificalis liber, ex quo hactenus tot commoda adepti ſumus, turbat mirifice , dum diſerte ac ſine ullis ambagibus Reliquiarum utriuſque Apoſtoli ad priſtina ſua loca reductarum decus S. Cornelio [qui ab anno 251. ad 252. ſedit] vindicat . Verum in hoc facto malim equidem Bucheriano laterculo , quod medio IV. ſaeculo ſcriptum volunt , credere , quam vitae Cornelii

(775) Lampridius de Heliogabalo cap. 23. *Fertur in euripis vino plenis navales circenſes exhibuiſſe ... & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitaſſe , dirutis ſepulcris quae obſiſtebant* . Equidem utrum ab hac ſepulcrorum ſub Heliogabalo diſſipatione quidquam damni Apoſtolorum pignoribus impenderit , eſt quod dubitem , ut ad finem ſeq. Adnotationis dicam . Verumtamen ſi disjecta ab hoc foediſſimo monſtro Vaticana ſepulcra ſurripiendarum Petri Reliquiarum opportunitatem orientalibus praebuerunt ; aut ſi quid omnino Heliogabali factum cum orientalium illorum auſis commune habet ; tum non ſub Zephyrino [qui ante Heliogabalum occubuit] ſed ſub ejus ſucceſſore Calliſto , ſub annum 220. id totum eveniſſe neceſſe erit . Eodem forſitan pertinet quod idem Calliſtus , ut Apoſtolorum ſepulcrum celebrius efficeret , coemeterium ſui nominis in proximo fecit : quod omnium frequentiſſimum ſepulcretis evaſit .

quae in Pontificali legitur, quam ex falsis Cornelii ejus actis pinguefactam manifestum (776) est.

Sic igitur statuamus, Apostolorum tropaea, quae adhuc ducentesimo Christi anno in pristinis suis conditoriis colebantur, sub annum 220. fuisse ab orientalibus inde subducta, sed tamen cogente Numine ad Callistianas Catacumbas relicta: ibi vero a fidelibus culta fuisse ad annum usq.458. quo anno ea S.Xystus in pristinas sedes suas reportavit III.Kal. Julias. In quem profecto diem non tantum ea celeberrima translatio incidit, verum etiam [si Pagio & quibusdam eum secutis id dare volumus] dies Passionis.

Et haec quidem quae hoc toto capite edisserui, ubi jam chartis illevissem, eorum quaedam animadverti Papebrochio acuti ingenii viro jamdiu in mentem venisse: quem vide in Analectis diei 29. Junii §.IV.Id si praevidissem; ea tantum notassem, in quibus mihi cum V.Cl. minime convenit. Nunc quia jam tradita scripto fuere; non erit inutile si ex eo, quod ego post annos XL. in eadem illius vestigia nescius incurrerim, utrumque nostrum veritatis iter[quod aeque omnibus patet] ingressos, lectores arguant.

§. II.

DISQUISITIO de vocabulo CATACUMBAS.

Vox CATACUMBAS diu indeclinabilis fuit, nec simplex, sed duas complexa voces: quarum prior est κατὰ, AD, posterior κύμβας, h. e. Cymbas, Cumbas, Naviculas. *Ceteris etymologiis improbatis, haec una firmatur, praesertim Odilonis loco. Duplex τὸ* Cata-Cumbas *fuit, Vaticanum unum ubi Apostolorum initio tropaea erant, alterum ad Callisti coemeterium [quod etiam* Vestigia Apostolorum *ob conditas ibi aliquandiu eorum reliquias dicebatur] sed prius proprie sic vocabatur ob cymbarum in proxima Naumachia [quam ibi fuisse, appellatio AD NAUMACHIAM praeter cetera satis ostendit] ludentium stationem: posterius autem καταχρηστικῶς sic dictum fuit, quod vicem τὸ κατὰ κύμβας prioris aliquando suppleverit. Etsi postea vox* Cata-Cumbas *loco posteriori peculiariter inhaeserit. Quae appellatio Romae propria sepulcri Apostolici fuit, extra Romam ad quaevis coemeteria pertinebat.*

Vox CATACUMBAS diu indeclinabilis fuit, ac sero admodum flecti per casus

(776) Cornelii vita quum sit adhaerentibus vitis haud paullo longior; id non obscuro est indicio, eam variis supra ceteras accessionibus fuisse ditatam, idque ex Actorum S.Cornelii penore, quae Tillemontius in Cornel. Nota 13. jure improbat. Ab iis igitur Actis in Pontificalem librum redundavit I. quod Cornelius passus sub Decio dicitur, qui tamen teste Eusebio & Hieronymo in Catalogo sub Gallo sedit: II. quod qui Centumcellis, ubi exsulabat, vitam finivit, tamen Romam a Decio reductus ibique interfectus traditur: III. quod omnes martyrii circumstantiae quae in Pontificali referuntur, eaedem & in illis Actis copiose describuntur: IV. quod in laudato Pontificali mense Martio mortem oppetiisse scribitur; quem tamen & ex Hieronymo & aliunde constat die XIV. Septembris [eodem scil. die quo & postea Cyprianus] pro Christo mortuum. Haec omnia quum sint falsi manifesta; quid mirum si & illud sit fallissimum, quod de relatis ab hoc Pontifice Reliquiis Apostolorum narratur, quas postea revocatas ab S. Xysto certo constat?

De ea vero falsa translatione tributa Cornelio haec Pontificale habet: *Hic temporibus suis rogatus a quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem corpus B. Pauli B. Lucina posuit in praedio suo via Ostiensi ad latus ubi decollatus est. B. vero Cornelius episcopus accepit corpus B. Petri Apostoli & posuit juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctor. episcoporum* [decessorum scil. qui *juxta corpus beati Petri in Vaticano* olim sepeliebantur] *in templo Apollinis in Montem Aureum in Vaticano palatii Neroniani VI. Kal.* [sed in aliis Mss.rectius *III.Kal.*] *Julii.* Quae verba ob eam adscripsi caussam, ut hinc melius elucescat quid de disjectis ab Heliogabalo sepulcris sit sentiendum. Nam si inde nihil damni ceteris pontificibus juxta B. Petrum sepultis impendit; ne Apostolorum quidem sepulcro pertimescendum fuit, ut ob eam caussam orientalium ausis id ansam praebuerit. Confer superiorem adnotationem.

casus coepit: id quod subjecta (777) exempla declarant. Videndum igitur quid ea vox primitus significaverit. Et hoc quidem non unum sed duplex erat nomen, nempe CATA CVMBAS, sive *Ad Cumbas*. Nam aevo sequiore Christiani graecissantes praepositione Graeca *Cata* (κατὰ) passim pro *Ad* sive (778) pro *Apud* utebantur. *Catacumbas* igitur tantumdem est, quod *Ad Cumbas*, *Apud* aut *Juxta Cumbas*. Ad posteriorem vero vocem quod attinet, dubitari nequit quin *Cumba* non tantum apud Latinos, sed & apud Graecos *Navem* aut naviculae (779) genus significaverit. Ex dictis igitur ostenditur *Catacumbas* non aliud fuisse, quam *Ad naves*, *Apud naves*. Scio sat multa hujus controversi vocabuli ad hunc diem veriloquia prodiisse, & alia plura tradi posse: quae tamen omnia facessere (780) jubeo, simulque pro certo haberi, CATACVMBAS plane non aliud fuisse, quam *Apud naves*.

Hanc vero etymologiam sive potius nati-

(777) Primo loco prodeat toties laudatum Bucherianum Depositionum laterculum, in quo bis id nomen usurpatur: semel his verbis, *XIII. Kal. Feb. Fabiani in Callisti, & Sebastiani in Catacumbas*: iterum vero in toties laudato loco: *III. Kal. Jul. Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense, Tusco & Basso cons.* Vtrobique, uti vides, ea vox auferendi casu ponitur, etsi posteriore loco de translatione agatur Tusco & Basso consulib. facta. Adhaec in Actis S. Sebastiani num. 87. Sebastianus Lucinae per visum ait: *Perduces* [corpus meum] *ad Catacumbas*: quarto casu. At S. Gregorius lib. III. ep. 30. *In loco qui dicitur Ad Catacumbas*: ubi tamen melius alibi legitur, *qui dicitur Catacumbas*. Sic enim id nominis ἄκλιτον usurpabant. Vsuardus ad 20. Januar. *Eodem die Catacumbas, S. Sebastiani Martyris*. Ita enim (sine praepositione *Ad*, quam posteriores codices infarsere) libri omnes vetusti habent, ut & membranae Vsuardi meae a docta manu profectae. Sic etiam Odilo X. saeculi scriptor quem infra proferemus, *In loco qui . . Catacumbas dicebatur*. In S. Birgittae Revel. (locum vide apud Canonicum Boldettum de Coemeteriis extremo cap. primo libri tertii) *Sic iste locus Catacumbas*. Postremo in Pontificali libro haud raro quidem ea vox ἄκλιτος est (ut in Hadriano I. & Nicol. I. quae loca protuli in Adnot. 774.) alibi tamen flectitur; ut in S. Cornelio, *De Catacumbis*: in Damaso, *In Catacumbis*.

(778) Exempla vide apud Fresnium. Cujusmodi illud est Stephani II. PP. epist. ad Fuldradum Abb. *Monasterium B. Martini . . Cata Galla Patricia*. Anastasius in Hadriano, *In monasterio S. Stephani Cata Barbara Patricia situm* (pro *Sito*). Et plura ejusdem modi apud Filesacum ad Vinc. Lirinensem. Glossae Mss. apud eumd. Fresnium: *Secundum, Juxta, Cata, Circa*.

(779) *Cymba* trita vox apud Latinos est, qua naviculae genus significatur: quam etiam Graeci adoptasse reperiuntur. Apud Suidam & in Glossis Mss. κύμβαι sunt πλοῖα περιφερῆ παρὰ Ρωμαίοις, *Rotunda apud Romanos navigia*. Eadem fere totidem verbis reperiuntur in Etymologici auctore, & in Eustathio. Quocirca perverse faciunt, qui *Cymbam* a Graeco Κύμβη deducunt, quum Graeci ipsi fateantur *Cymbam* (sive potius *Cumbam* cum V Latiali) nomen Romanum esse.

Nec enim aliud *Cumba* quam Cymba est, quum nemo ignoret, non tantum antiquos V pro Y saepe substituisse, sed & cadentis Latii scriptores: sicuti contra Graecos V Latino interdum suum Y subrogasse. *Cumbam* usurpat Festus Avienus in Descript. orae maritimae;

. . . Cumbis turgidum late fretum
Et beluosi gurgitem Oceani secant.

Legitur vero id vocabulū pluries in Prudentio Peristeph. & contra Sym. & in Notis Tyronis, & in Flodoardo, & apud alios. In veter. Glossis a Labbeo editis Vox *Cumba* respondet nunc voci Σκάφος, aut Σκάφη, aut πλοιάριον, nunc voci Ἀκάτιον: quae sunt minorum navigiorum nomina. Mitto alios glossographos a Cangio productos. Ac forsitan ex Latino *Cumba* Graeci posteriores suum Κομπάριον aut Κομβάριον sive Κυμβάριον detorserunt: de quibus vide alterum Fresnii Glossarium.

(780) De originatione Catacumbarum alii alia tradiderunt. Videatur prae ceteris Baronius ad 3. & 20. Januar. Aringhius, qua parte de Catacumbis agit, & qui plura complexus est, Fresnius in Glossario. Ego quoque hoc ipso mense in S. Fortunato pag. 616. Adnot. 350. quiddam eo pertinens protuli. Quae omnes etymologiae ea praecepta opinione laborant, quasi *Catacumbarum* nomen generale sit, ad omnia subterranea coemeteria pertinens: quod tamen falsum est, quia ut ostende-

nativam vocis notionem veriſſimam eſſe, non tantum duo componentia μόρια [quae plane non aliud quam quod ſupra poſui, ſignificant] oſtendunt, verum etiam non inepti ſcriptoris auctoritas. Odilonem (781) intelligo auctorem Translationis S.Sebaſtiani in Sueſſionenſe S.Medardi monaſterium. Is igitur monachus eo in opuſculo [apud Bollandum ad XX. Januarii n.23. ſic narrat: *Alacres ſimul vadunt ad locum* [ubi S. Sebaſtiani corpus jacebat] *non jam ignotum*; *ſiquidem ex ſerie paſſionis ejus a S. Ambroſio luculenter editae didicerant*, *milliario tertio ab Vrbe*, *loco qui OB STATIONEM NAVIVM Catacumbas dicebatur*, *praecepiſſe per viſum eumdem beatiſſimum Martyrem Lucinae cuidam matronae ſepeliri ſe ad veſtigia Apoſtolorum Petri & Pauli*. Cum his ſi Acta S.Sebaſtiani (782) num. 87. componas, haud verba nobis dediſſe hunc hiſtoricum reperies: niſi quod ab vetuſtis illis S. Sebaſtiani Actis abeſt etymologia. Quam quia monachus de ſuo attulit; ex eo conficitur, ſaltem decimo ſaeculo eam Romanis & exteris perſuaſionem vulgo inſediſſe, *Catacumbas* idem fuiſſe quod κατὰ κύμβας, *Apud naves*, ob neſcio quam ſcil. *Navium ſtationem* in proximo ſitam.

Atqui quas mihi naves, quamve navium ſtationem ſive in Calliſti coemeterio, ſive proximo in loco ubi quondam Apoſtolorum exuviae jacuerunt, oſtendere potes? Tiberis hinc longe abeſt,& tū quoque aberat: nec porro ullum in vicino rei navalis veſtigium apud antiquae urbis deſcriptores extat. Quo igitur vox *Catacumbas* ab navium ſtatione arceſſitur.

De ea difficultate quid ſentiam,paucis exponam. Primitus quidem, opinor, vox *Catacumbas* de loco dumtaxat illo apud Vaticanum, in quo SS.Apoſtolorum reliquiae recondebantur, uſurpabatur, ducta a *Cum-*

tur, τὸ *Catacumbas* locus Apoſtolici ſepulcri SS. Petri & Pauli proprie fuit.

Ceterum ſi generalis ea vox eſſet; poſſet & illud addi, in Gloſſis Iſidori ſic reperiri, *GVMBA* [pro *Cumba* ſcil.] *Cuneus*, *Cripa*. Sed in alio vet. Gloſſario Ms. [apud Cangium in *Cumba*] ultima vox non *Cripa*, ſed *Crypta* ſcribitur; ut & penultima non *Cuneus*, ſed *Cuniculus*: utrumque non inepte, quaſi *Cumba* tantumdem quod *Crypta* ſit, h. e. Chriſtianorum coemeterium.

Adde etiam quae ex S. Audoeno [ſaeculi VII. auctore] in vita S. Eligii recitat idem Cangius in *Cumba*: *Arrepto Eligius ſarculo.. coepit terram effodere .. mox reperit CVMBVM ſane veterrimum*, *tegentem corpus ſacratum*. Ergo *Cumbus* ſepulcrum eſt aut ſepulcri pars, forſitan a ſimplici verbo *Cumbo* pro *Jaceo*. Itaque *Cata cumbas* tantumdem erit quod *Ad cryptas*, aut *Ad ſepulcreta* Chriſtianorum.

Hac vero, ut & ſimiles ab aliis traditae originationes tum demum defendi poſſent, ſi ea appellatio ad omnes illas veteres Chriſtianorum cryptas pertineret. Quod tamen falſiſſimum eſt; quia ex uſu Romanae eccleſiae τὸ *Catacumbas* peculiare ejus loci fuit, ubi Apoſtolor. Petri & Pauli Reliquiae jacuerunt. Hinc duplex *Catacumbas* fuit, Vaticanum unum (ubi primitus Apoſtolorum tropaea fulſerunt) ad Coemeterium Calliſti alterum.

(781) Eum ſcriptorem tamquam anonymum ediderat Bollandus ad 20. Januar. Sed Mabillonius ſaec. IV. Benedict. id opus Odiloni monacho, qui circ. ann. 930. florebat, aſſeruit.

(782) In Actis S.Sebaſtiani n.87. idem Martyr Lucinae per viſum ait: *Hoc* [corpus meum] *tu dum levaveris*, *perduces ad Catacumbas*, *& ſepelies in initio cryptae ad veſtigia Apoſtolorum*. Vbi illud *Ad veſtigia Apoſtolorum* perquam notari velim. Significatur enim iis verbis, eum locum non aliam ob cauſam apud poſteros venerationi fuiſſe, quam quod ibi aliquandiu Apoſtolica tropaea refulſiſſent. Alluditur autem ad illud, *Adorabimus in loco*, *ubi ſteterunt pedes ejus*. Ac notandum eſt, ea verba non tantum Odilonem diſertim uſurpare voluiſſe, ſed & antea Adonem ad 20. Januar. *Dum levaveris*, *perduc ad Catacumbas*, *& ſepelies me in crypta juxta veſtigia Apoſtolorum*. Adoni vero Romanum Mrologium parvum praiverat, ad 20. Januar. ſic ſcribens: *Romae Fabiani PP. & M. & Sebaſtiani in Veſtigiis Apoſtolorum*. Mira ſane hujus antiquiſſimi Mrologii locutio! ex qua datur intelligi, eum locum aliquandiu *Veſtigia Apoſtolorum* vulgo nuncupatum fuiſſe, petita ab Actis S. Sebaſtiani nomenclatione.

a *Cumbis* h. e. navibus appellatione, propter vicinam scil. celebrem Naumachiam: de qua proxima Naumachia stultum est (783) dubitare. Ille igitur Apostolicorum pignorum locus a Christianis graecissantibus κατὰ κύμβας h. e. *Ad Cumbas* vocabatur, propter cumbarum sive cymbarum in Naumachia ludentium vicinitatem. At postquam ab orientalibus viris surreptae Reliquiae, manifesta vi Numinis in eo loco, qui ad ingressum Callistiani coemeterii pertinet, substiterunt; appellatio κατὰ κύμβας *Catacumbas* [quae jam ora fidelium occupaverat, quoties Apostolica tropaea significare vellent] cum eo quoque loco communicata fuit, in quo ceteroqui cymbae nullae visebantur. Et, quod magis mirere, etiam post reductas Reliquias, haesit tamen *Vestigiis Apostolicis* [ut eum locum eleganter Acta S. Sebastiani & Romanum mrologium parvum vocant] eadem vox *Catacumbas*; & ita quidem, ut per illa tempora duplex κατὰ κύμβας, *Cata Cumbas* esse videretur, Vaticanum unū [quod & initium appellationi dederat] ad Callisti alterum. At Vaticano interim sepulcro [cui uti diximus, nativa primitus ac peculiaris ea nomenclatio fuerat] id nomen fuisse nesciremus, nisi ab auctore Bucheriani laterculi usurpatum reperiretur, dum ad notandam Reliquiarum S. Petri reductionem in Vaticanum, scripsit, *Petri in Catacumbas* &c. Nec aliud hujus redivivae appellationis exemplum proferre possum. Nam interim quia Apostolicis vestigiis vox *Catacumbas* inhaeserat [ut ex Actis S. Sebastiani num. 83. cernere licet, ut de libro Pontificali, & aliis monumentis taceam] ad tollendam aequivocationem, locus pristinus, in quem relatae reliquiae fuerunt, *Vaticanus*, aut quo alio nomine magis ex usu nuncupatus fuit.

Atque ea mihi circumspicienti omnia sese probavit *Catacumbarum* nominis ratio, quemadmodum ea vox Romae accipiebatur. Quae tandem peculiaris Apostolorum vestigiis ad Viam Appiam evasit: cui loco quia Callisti coemeterium, omnium hujusmodi cryptarum maximum, adhaerebat; hinc nonnumquam ea vox etiam cum eo coemeterio communicata fuit. Ac postremo eo ventum fuit, ut extra Romam plura ejusmodi vetera Christianorum subterranea sepulcreta tamquam communi nomine *Catacumbae* [aut ut interdum scribitur, *Catatumbae*] nuncuparentur: cujusmodi exempla (784) sane plurima a me produci

(783) Fuisse celebrem apud Vaticanum Naumachiam tradiderant olim Fulvius, Marlianus, Faunus, aliique Vrbis descriptores. Id postea evertisse sibi visus est Baronius. Nardinus tamen accuratissimus harum rerum scriptor VII. 13. non dubitat eo loci insignem Naumachiam extitisse. Id quod pluribus antea defenderat Aringhius: quem vide tum alibi, tum in primis lib. 2. c. 5. num. 3. & 4. Mitto quod Victor Reg. XIV. NAVMACHIAE num. plurativo posuerat, ut & alia ejus rei documenta. Illud magis huc pertinet, quod in Actis S. Sebastiani [quae IV. saeculo scripta fuisse nemo dubitat] legitur, gentiles in beatam Zoen, dum ad S. Petri sepulcrum intentius oraret, impressionem fecisse, eamq. ad regionis Naumachiae patronum illico perduxisse. Quem porro hic scriptor *patronum regionis Naumachiae* vocat, unus fortitan erat ex iis *Curatoribus*, aut saltem *Vicomagistris* (sed prius malo) quos singulis regionibus plures Victor assignat. Meminit ejusdem Naumachiae ad Vaticanum pluries liber Pontificalis. In Paschalis PP. litteris memoratur S. Peregrini xenodochium cum cognomento *In Naumachia*, quod S. Petri basilicae proximum erat. Sed & tota Vaticana planicies vocabatur olim *Ad Naumachiam*: quod ex pluribus basilicae Vaticanae documentis compertum Aringhius praedicat. Hoc ipsum ex S. Petri gestis, quae Lino inscribuntur, patet, & magis ex Graecis ejusd. Apostoli Actis: ex quibus haec Latine recitat idem Aringhius: *Sustulerunt corpus S. Petri clam, & posuerunt illud sub terebintho prope Naumachiam, in loco qui dicitur Vaticanus*. Qui auctor eodem loco Petrum in crucem actum proxime dixerat hisce verbis: *Deducitur Petrus in eam partem montis Vaticani, quae superne arborem terebinthum habet, & inferne in subjecta planitie Naumachiam*.

(784) Sic Joannes Diac. in S. Fortunato episc. Neap. Catacumbam [sive *Catatumbam*, ut in ejus codicib. legitur, sicuti etiam apud S. Gregorium III. epist. 30. & alibi] in basilica Ste-

ci possent. Ea, inquam, κατάχρησις [*abusio vocabuli*] extra Romam, non item Romae invaluit. Nam in Vrbe, ut toties dixi, duplex antiquitus *Catacumbas* erat, Vaticanum unum, ad Callisti alterum; antequam scil. ea appellatio *Vestigiis Apostolorum* apud Callisti coemeterium veluti peculiaris adhaereret.

Ac scio equidem non defuturos, qui duplicibus istis, de quibus tamdiu loquor, Catacumbis sint refragaturi. Quorum objecta (quae quidem providere potui) cum suis solutionib. in subjectam (785) adnotationem, ne morae sim, contuli.

C A P. III.

Cur in hisce marmoreis fastis seorsum Petrus die 29. seorsum Paulus postridie colantur.

Olim quidem IV. saeculo uno eodemque die utrumque Apostolum fuisse celebratum Bucherianus index nos admonet, cui adstipulatur ejusdem saeculi scriptor (786) Ambrosius: quod & sequenti saeculo

Stephania agnoscit: *In caput*, inquit, *Catatumbae*. Sed & acta S. Isidori Agricolae apud Frelnium sic habent num. 28. *Ipsum trahentes duxerunt ad B. Isidori Catacumbam*. Videatur Canonicus M. Ant. Boldettus to. 2. qua parte agit de coemeteriis extra Romam, ubi plurima hujusmodi affert, quibus hodieque *Catacumbarum* nomen vulgo haeret. Sicuti, ne longe abeam, cryptae quae Neapoli juxta basilicam S. Januarii extra moenia visuntur, eae hodienum *Catacumbae* ab omnibus appellantur.

(785) *Objectionibus adversus binas Catacumbas occurritur.*

Principio grave esse dicent, nusquam alibi quam in uno illo Bucheriano indiculo de Vaticanis Catacumbis mentionem occurrere. At equidem pluries id fassus ingenue sum: imo & illud fateor, nihil a me reliquum diligentiae factum, quo par aliud exemplum reperirem, sed incassum; quum priorum trium saeculorum monumentis eo pertinentibus careamus.

At illud gravius, quod ne locum quidem, quem ex Bucheriano laterculo deprompsi, idoneum esse ad id probandum, dicent. Nam quum in hoc laterculo bis IN CATACVMBAS reperiatur; utrobique pro eodem coemeterio accipi debuit. Ergo quum priore loco [qui talis est: *XIII. Kal. Feb. Fabiani in Callisti, & Sebastiani in Catacumbas*] certissimum sit *Catacumbarum* nomine *Vestigia Apostolorum*, ad quae Sebastianus se sepeliri jussit [vide Adnot. 782.] intelligi; ex eo fit consequens, etiam altero loco (ubi scribitur: *III. Kal. Jul. Petri IN CATACVMBAS, & Pauli Ostiense, Tusco & Basso Coss.*) non aliud quam eadem *Vestigia*, Catacumbarum nomine significari.

Ac darem equidem manus, siqua ratio aut via pateret, qua & hoc altero loco Catacumbae, quae ad S. Sebastiani sunt, capi possent, aut qua non Vaticanum Petri sepulcrum iis verbis se proderet. Etenim paucis illis, quae proxime adscripsi, verbis duo maxime docentur, locus synaxeos sive stationis, ac tempus translationis. Et stationis quidem locus traditur illis verbis: *Petri in CATACVMBAS* [auferendi casu, ut etiam priore loco, *Sebastiani in Catacumbas*: vide Adnot. 777.] *& Pauli Ostiense*. Quum igitur IV. saeculo (quo hoc laterculum scriptum fuit) certum sit, Petri reliquias in Vaticano fuisse; ibi etiam statio fuerit necesse est. Itaque τὸ *In Catacumb.* non aliud quam Vaticanum Petri conditorium notat. Nam certe in toto hoc laterculo ibi statio futura adnuntiatur, ubi corpus requiescebat: excepto Cypriano, de quo sic scribitur: *XVIII. Kal. Oct. Cypriani Africae: Romae celebratur in Callisti*. Vbi verbum *Celebratur* satis ostenditur in omnibus aliis esse supplendum, quia semper de loco stationis agitur. Quod ii quoque fatentur, quos quum locus ille, *Petri in Catacumbas* &c. torsisset; ad extremum nescio quam apud Catacumbas coemeterii Callistiani die 29. Junii peculiarem celebritatem commenti fuere. At vero id commentum antiquis latuit. Imo contra Prudentius, qui extremo IV. saeculo hymnis scribendis inclaruit, quid sit istud, *Petri in Catac. & Pauli Ostiense*, planissime exposuit, dum uno eodemque die prius summo mane ad Petri Reliquias in Vaticano conventum fuisse, mox procedente die in viam Ostiensem itatum ab universa plebe & Clero Romano canit: cujus locum vide seq. capite. Hactenus de loco stationis. At etiam tempus translationis ibidem notatur iis verbis, *Tusco & Basso Coss.* Nam quoties in hoc laterculo consules adscribuntur, iis annus Translationis in locum stationis, qui ibi notatur, factae designatur, uti dictum in Adnot. 764. Quum ergo ante dictis consulib. h. e. anno 258. Petri reliquias in Vaticanum reductas docuerim; non est dubitandum quin illud in CATACVMBAS non aliud quam sepulcrum Apostoli Vaticanum [quo reportatum eo anno corpus illius fuit] designet.

(786) Lib. de virginitate cap. 19. num. 124. *Dies factus est Petrus, dies Paulus, ideoque hodie natali eorum* [quo haec concionabatur] *Spiritus Sanctus increpuit dicens* ...

lo factitatum, testes innumeri clamitant, & Mrologium Hieronymo adscriptum confirmat. Hodie vero longe aliter se res habet. Nam die quidem XXIX. in commune ambo coluntur, sed ita tamen, ut officium fere totum de Petro sit, nec alibi quam in Oratione & in Hymnis Pauli audiatur nomen: qui, ne indictus abeat, die sequenti [quo Pauli non *natale* sed *Commemoratio* colitur] solus toto in officio personat. At vero IX. saeculo Neapoli mos ab utroque diversus obtinebat, ut die 29. de solius Petri, postridie solius Pauli non mera *Commemoratio* sed *Natale* celebraretur: id quod ex duobus marmorum nostrorum versibus liquet, in hunc modum scalptis:

XXVIIII NT S PETRI
XXX NT S PAVLI

Vndenam hanc consuetudinem imitatos Neapolitanos dicemus? A Graecis ne? Verum hi post celebratum junctim die XXIX. Petri & Pauli certamen, postridie junctim *Synaxin XII. SS. Apostolorum* inferunt, ut ex Menologio & Menaeis liquet. Anne a Romanis? Alterum hoc verum est. Per quos vero gradus Romani in hanc dividendorum festorum consuetudinem, quam in Fastis nostris cernimus, devenerint, videamus.

Ex quo Apostolorum Reliquiae anno 258. in sua cujusque loca reductae fuerunt, uno eodemque die apud utrumque Apostolum stationem fuisse celebratam, Bucherianum laterculum satis indicat. Nam ubi dicitur, *III Kal. Jul. Petri in Catacumbas & Pauli Via Ostiense*, per ea verba significatur, duas eo die fuisse distinctas stationes, priorem in Vaticano [id enim heic τὸ Catacumbas designat, ut ad finem cap. superioris ostendimus] apud S. Petrum, alteram apud Paulum via Ostiense. Et hanc prorsus fuisse primitus Romanorum consuetudinem, Prudentius hisce versibus eleganter declarat:

Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas:
Lux in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato:
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius qua fert via pontis Hadriani:
Laevam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,
Mox huc recurrit duplicatque vota.

Et pulchre huic prisco mori respondere Sacramentarium Gelasianum, apposite Thomasius in praefat. ad eumdem monuit: in quo duae sunt peculiares hujus diei Missae, una quae inscribitur, *In NATL. sancti Petri proprie* [cujus oratio, *Deus qui B. Petro Apost. tuo collatis clavib. . .*] altera *In NATL. sancti Pauli proprie*: praeter aliam Missam inscriptam *In NATL. Apostolor. Petri & Pauli* [cujus, utpote utrique communis, oratio est, *Deus qui hunc diem beator. Apostolor. Petri & Pauli*] aliis Vrbis ecclesiis usui futuram. Haec igitur consuetudo a medio usque tertio saeculo per totum quintum, imo etiam sextum saeculum tenuit. Nam Magnus Gregorius demum, teste Micrologo cap. 4. & 13. synaxes illas duas duobus distinctis diebus assignavit, ut die 29. proprie de Petro, die sequenti proprie de Paulo fieret: cujus facti causam eam assignat Baronius ad Mrologium, quod uno eodemque die non sine magno labore ex una basilica in alteram satis remotam utrobique sacris operaturi recurrerent. Hanc dierum utrique peculiarium consuetudinem demonstrat Missale plenarium Vatic. 4770. [apud Georgium ad Adonis 29. Junii] in quo die 29. Jun. titulus praefigitur, *S. Petri Apostoli* tantum [cujus Missae Introitus, *Nunc scio vere*] dies vero crastinus est de *S. Paulo*. Ita quoque apud eumdem habet Sacramentar. Vatic. 4772. Sed & in Sacramentariis Pamelii, Menardi, Angeli Rocchae & Reginae Suecorum aliisque Mss. diei 30. Junii Missa inscribitur, *In natali* [non *in Commemoratione*, ut hodie fit] *sancti Pauli*. Hunc vero ipsum morem adhuc octavo saeculo perdurasse, Allatianum Kalendarium eo saeculo scriptum docet, in quo diei 29. Junii inscribitur *Natale S. Petri*, diei vero sequenti *Natale S. Pauli*. Iisdem vero prorsus

ſus vocabulis, ne ſyllaba minus, & noſtrum IX. ſaeculi Kalendarium, utitur.

Ac ne illud quidem praetermiſerim, per haec intermedia tempora hos duos Apoſtolos non tantum diſpertitos Natalium h. e. feſtivitatum dies habuiſſe, ſed & Vigiliarum: quod diſertim in eod. Allatiano Kalendario legitur, in quo ſic una ſerie notatur: *Eodem die* [nim. IV. Kal: Jul.] *Vigilia S. Petri. III. Cal. Julii Natale S. Petri. Eadem die Vigilia S. Pauli. Pridie Calend. Julii Natale S. Pauli.* Nec aliter in Capitulari Vatic. 5465. haberi ex Georgio ad 30 Junii didici. Mitto quod in laudato Allatiano ab hiſce Apoſtolor. feſtis Dominicae (787) ſequentes aliquot appellationem adipiſcuntur.

Ex hactenus dictis vides, Neapolitanos noſtros in hujuſce bidui ſollemnitatibus Romanam Eccleſiam imitatos. Nunc ſi a me quaeras, cur citimis hiſce ſaeculis a noni ſaeculi more ita migratum ſit, ut die 29. Junii de utroque Apoſtolo in commune fiat, poſtridie vero non *Natale* ſed *Commemoratio* S. Pauli celebretur: ſi id inquam a me quaeſieris; reſponſionem expeditiſſimam habeto ejuſmodi, non in re, ſed in vocabulis fuiſſe factam mutationem. Vt paucis expediam: hoc quidquid mutationis eſt, ea cauſa invexit, quod poſt non multa ſaecula ea paſſim inſedit animis perſuaſio, *Natalis* vocabulo diem θανάσιμον [*emortualem*] deſignari: falſiſſima quidem, quia [ut ad ſingulos ferme horum faſtorum dies oſtendimus] *Natalis* vox quodlibet feſtum anniverſarium notabat, ſive θανάσιμον eſſet, ſive alterius generis. Verum poſtquam de ante dicta notione ſic falſo cenſuerunt; ſimul abſurdum videri coepit, ſi horum Apoſtolorum (quos probe ſcirent, uno eodemque die paſſos) unius *Natale* [h. e. ut interpretabantur, dies martyrii] diei 29. alterius itē *Natale* diei 30. affigeretur. Placuit igitur mutari vocabula. Itaque diei 29. praeſcripſerunt, *In Natali Apoſt. Petri & Pauli*; diei vero ſequenti, *In Commemoratione S. Pauli* &c. At mutatis tantum inſcriptionibus, tota interim utriuſque die ἀκολουθία manſit nihilominus eadem. Nam diei 29. tum Officium tum Miſſa, excepta oratione, de uno Petro eſt; ſicuti diei ſequentis utrumq. de uno eſt Paulo, ut olim IX. ſaeculo erat. Atque ex hoc uno documento intelligis, quanta ex vocabulorum notionibus, hoc aut illo modo acceptis, rerum momenta dependeant: cujus plura in aliis vocabulis exempla me protuliſſe non raro memini. Et tamen hanc totam nominum curam non ceſſant damnare quidam, tamquam futilem ſcil. & in grammaticorum quiſquiliis occupatam.

(787) Sic Dominica quae ſtatim ſequitur, vocatur *Dominica I. poſt Nat. Apoſtolorum*. Deinde altera, *Dominica I. poſt Octabam Apoſtolor.* Et ſic porro *Dominica II. poſt Octabam*, ac deinceps uſque ad V. Poſt quam ſequentes a feſto S. Laurentii nomen accipiunt.

ADMONITIO

Ad 29. Jun. Par. I. cap. V. §. 10. Adnot. 654. itemque cap. VI. §. 2. Adnot. 671. Appendicem quamdam Ambroſianam pollicitus fui, in qua tum de Apologia David altera, tum de Actis S. Sebaſtiani, eſſent ne S. Ambroſio tribuenda plenius differerem. Verum ne diei hujus commentarius jam longius progreſſus, in juſtum volumen excreſceret; ea Appendix ad calcem ADDITAMENTORVM ſequentium commodius inſeretur.

MENSIS IVNII FINIS.

ADDITA-

ADDITAMENTA

QVAEDAM AD SEX PRIORES MENSES

ADDITIO ad praeſationem pag.XVI. v.1.

Ibi dictum fuit, nullum adhuc ſciri marmoreum Kalendarium Eccleſiaſticum praeter Neapolitanum. Recte. Nec enim marmor illud Romanum quod Muratorius pag.*1966*.ex Vignolio dedit, Kalendarium jure vocabimus, ſed tantum peculiarem unius baſilicae *Notitiam*. Sic enim incipit:

✱ IN N DNI HEC EST NOTICIA NATALICIORVM
SCORVM HIC REQVIESCENTIVM
MENSE IANVARIO DIE III NAT SCI ANTHERI PAPAE &c.

Mox per ſequentes menſes ſequuntur alii duo & viginti dies diverſis Sanctorum in ea baſilica requieſcentium Natalitiis inſignes. Porro *Natalitia* quum audis, cave putes notatos in eo marmore natalitios dies eoſdem ac *θανασίμους* fuiſſe. Imo contra *Nataliciorum* vox in eo marmore non ferme aliud quam anniverſarios translationis feſtivos dies ſignificat, quibus eorum Reliquiae translatae in illam Baſilicam fuerant. Certe ſi *Antherum* [de quo verſu 3.] & pauciſſimos alios excipias, ceteri non diebus ſuis coluntur, ſed quibus illuc translati fuerant: id quod periculum facienti conſtabit. Verum quid moror totam inſcriptionem huc adſcribere, verſibus XXXI. conſtantem? quae talis eſt,

✱ In N̄ Dni hec eſt noticia nataliciorum
ſcorum hic requieſcentium
Menſe Januario die III Nat. SCI Antheri Papae
Menſe Febr. die XI N ſcorum Caloceri
& Parthenii
Menſe Martio D. II. N. SCI Lucii Papae
Die VIIII M. SS. N. SCOR. Quor. nom. DS Scit
Die XVIII M. SS. N. SCI Pymenii PB & Mart
Menſe April die XXII N SCI GAII Papae
Die XXV M. SS. NA. SCI Militi Mart
Menſe Majo die XII SCOR. Trofimi
Et Caloceri
Menſe Julio die XXVI N SCOR Zefe
rini Papae & Tarſicii Martyris
Menſe Auguſto die VIII NA SCORVM
Quiriaci Largi & Smaragdi Archel
Die XIII M SS NA SCI Yppoliti
Menſe Septembrio die X N SCI Gor
conii & aliorum quorum nom. DS ſcit
Die XX M SS N SCI Januarii D. XXI N
SCOR Pamfili & Pauli Mitis
Menſe Oct. D. VIIII N SCOR multor. Mart.

Die XIII M SS N SCOR Projecti & Seberi
Mense Nov. D. XXVII N S Optati & Polychami
D XI M SS N SCOR viginti quinque
Mense Dec. D XXVII N SCI DYONISII Papae
Die XXVIIII M SS N SCI Nemesii Diaconi

In his, uti vides, SCOR SCI &c. est *Sanctorum* aut *Sancti*. M SS est *Mensis suprascripti*. D. est *Die*. N aut NA est *Natale*. PB est *Presbyter*. DS est *Deus*.

Porro si de aetate hujus monumenti quaeras: etsi Muratorius videatur aliquanto antiquius suspicatus; mihi non videtur ante IX. saeculum scalpi potuisse. Argumento est, quod in Frontonis & Allatii Kalendariis octavo saeculo scriptis dies antiquo more per Kalendas, Nonas, Idus signantur. At heic ut & in marmoreis Neapolitanis Fastis ab initio ad finem cujusque mensis dies naturali ordine suo [ut hodienum vulgo fit] a primo usque ad ultimum deinceps notantur: quod nono saeculo fieri coepisse ex nostris marmoribus, quorum aetatem exploratam habemus, constat. Adde illud MENSE SEPTEMBRIO, quod Graeco more versu 21. legitur, aliasque plures novitatis notas. Quod hujusmet vero mensis die XX. *Nat. S. Januarii* notetur, non vero pridie, ut Neapoli; id ne mireris, quia dies translationis reliquiarum is est. Ac passim hoc laterculo *dies natalicii* non alii, quam translationis illuc factae sunt accipiendi.

Postremo quia Muratorius non significavit, quanam in Vrbis basilica id marmor reperiatur; non gravabor id ex Baronio notare. Qui ad III. Januarii (ubi de Coemeterio Callisti) haec scripta reliquit: *Ex coemeterio Callisti .. effossum corpus S. Anteri Papae translatum est intra Vrbem in ecclesiam S. Silvestri in Campo Martio, ubi in lapidea tabula ejusmodi vetus inscriptio legitur: HAEC EST NOTICIA NATALICIORVM SANCTOR. HIC REQVIESCENTIVM. MENSE IANVARIO DIE III. NAT S. ANTHERI PAPAE &c.*

ADDITIO ad Diatribam praeviam de Aet.&c.pag. XXVII. ubi post finem Adnot. IX. sic addes. Quod in eod. Jo: Diaconi loco Missa publica jubetur *Cum diptychis* celebrari, ex eo intelligitur, fuisse hoc unum utriusque Missae discrimen, ut *Publica cum diptychis*, at vero privata Missa sine diptychis absolveretur.

IN EADEM Diatriba pag. XXX. ante medium, ubi dicitur, τὸ LEVARI tantum de sacris Lipsanis usurpari, id de aevo sequiore est intelligendum. Nam primitus verbum LEVO tantumdem in re funebri fuisse quod EFFERO, ac de quibuscumque cadaveribus usurpatum, in seq. Additione ex loco Ambrosii lib. de Tob. docebitur.

ADDITIO ad eamd. Diatr. pag. XXXI. & ad VI. Jun. pag. 522.

In Diatriba quidem Adnot.XIII. pag. XXXI. §. 2. hanc LEVANDI verbo [quod saeculo VIII. IX. & sequentibus perfrequens fuit] notionem simul atque originationem ex Mabillonio assignavimus, quasi *Levari* h. e. attolli tunc sanctorum corpora dicerentur, quando ea ex locis profundioribus eruta, supra pavimentum honorifice collocabantur. Ac fortassis ea notio VIII. IX. & sequentibus saeculis non male congruit: quantum exempla, quae ibi ex Mabillonio & aliis produximus docent.

At postea quum animadvertissem, *Levandi* verbum jam inde a IV. saeculo pluries fuisse de prima Sanctorum sepultura usurpatum; hinc ad VI. Jun. pag. 522. adnotavi, LEVO non fuisse merae translationis verbum, sed tum primae sepulturae, tum etiam translationi commune, proinde etymologiam a Mabillonio & aliis traditam haud recto talo consistere.

Atqui

Atqui tunc mihi [pag. 522.] ad S. Anthimi acta [in quibus ea vox usurpatur] commentanti, nondum nativum verbi LEVO, quatenus funebre est, veriloquium suboluerat: de quo jam dicendum, ac simul persuasio vetus evellenda.

Apud antiquos quidem EFFERRI dicebantur, qui ad sepulturam portabantur. Cur vero *efferri* dicerentur, ea adhuc visa est expeditissima ratio, quod tunc mortui *extra aedes* bajularentur, aut si mavis, *extra urbem*: quippe olim intra urbem sepeliri non licuit. Ac fateor quidem, interdum EFFERO tantumdem esse quod *extra fero*. At vero multo saepius id verbum pro *Attollo* sumitur. Nec mirum, quando in EXTOLLO similis compositio, non *Extra*, sed *In altum tollo* significat. Verum ne quemquam morer; *Efferri* ad sepulturam cadavera ex eo apud antiquos dicebantur, quod in exsequiis mortualis lectica supra succollantium humeros attollebatur, eorum scil. qui sive officii sive lucri gratia id munus praestarent. *Efferre* igitur *in humeros* (1) plena locutio esse debuit: pro qua tamen simpliciter EFFERRE [subauditis scil. *humeris*] uti fit, usurparunt.

Et hactenus quidem quae de EFFERO dixi, conjecturam (2) esse dices. Esto sane. Quid si vero doceo, in eadem re funebre verbum LEVO perinde atque *Effero* promiscue usurpatum fuisse? An quisquam tam stipes erit, qui *Levare* idem valere contenderit, quod Extrahere aut extra ferre? Luculentus Ambrosii locus est lib. de Tob. ubi LEVO non de sanctorum, sed de vulgaribus ac promiscuis exsequiis pulchre usurpatur. Nam quum cap. 10. truculenti cujusdam foeneratoris, ne debitoris sui corpus ad sepulturam efferretur, donec ei pecunia debita numeraretur, prohibentis factum narraret; quid ipse contra ad frangendam foeneratoris duritiam excogitasset, eleganter num. 37. exponit: *Jussi igitur* [inquit] *LEVARI corpus* [mortui debitoris] *& ad foeneratoris domum exsequiarum ordinem duci*. Mitto cetera narratu jucunda. An quisquam hoc loco *Levari corpus* aliud esse dicet, quam *corpus efferri*? Ex quo uno loco hoc primum discimus, eamdem plane notionem utrique horum synonymorum verborum fuisse subjectam; nec aliud utroque verbo fuisse significatum, quam supra vespillonum, sive [uti Christiani vocarunt] *fossariorum* humeros cadavera extollere ad sepulturam portanda. Deinde ex eodem loco & hoc discimus, IV. saeculo *Levandi* verbum non fuisse sacrarum reliquiarum peculiare, sed plane vulgaris usus atque promiscui.

Hinc ubi idem Ambrosius in S. Sebastiani Passione [quam ab Ambrosio puero vere fuisse scriptam, ad calcem hujus voluminis in Append. Ambrosiana suadebitur] num. 88. dixit: *Hoc* [Sebastiani corpus] *tu dum levaveris*: nihilo plus dixit, quam *Extuleris*; necdum enim id verbum usu ecclesiae diuturno consecratum atque addictum sanctor. reliquiis fuerat. Similiter num. 89. *Tunc B. Lucina.. levans eum* [Sebastianum] *posuit in pavone suo*: quod est feretri aut vehiculi genus. De ead. historia concinunt S. Anthimi acta: *Cum* [Lucina] *levasset & sepelisset* corpus S. Sebastiani: ad quem locum vide die VI. Junii, ubi & Paulini in vita Ambrosii locum attulimus de corporibus Vitalis & Agricolae: *Quorum*,

(1) Qua locutione [extra tamen rei funebris significantiam] usus est Tullius in I. de Orat. *Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii .. pupillum filium ipse paene in humeros suos extulisset*. Quae φράσις ead. ratione usurpatur, qua Varro in II. de R. R. *Extollere onera in jumenta* dixit.

(2) Antea quidem quum non aperte auderem funebris verbi *Effero* tritae originationi contraire, malui meam etymologiam conjecturae saltem loco haberi velle. At postquam haec scripsissem, animadverti, Archiep. Sipontinum, doctissimum sui temporis grammaticum, huic uni originationi nostrae adhaesisse, vulgatam vero ceu falsam contempsisse: quem vide, si tanti est. Quem longe majore confidentia id fuisse decreturum censeo, si quidem ei locus Ambrosii a me mox producendus, in quo pro *Effero* verbum *Levo* substituitur, innotuisset.

rum, inquit, *corpora in Bononiensi civitate LEVAVERAT*, ac postea in Basilica Florentina ab se dedicata deposuit. In ead. vita: *Sed ubi sanctor. martyrum* [Protasii & Gervasii] *corpora sunt levata, & in lectis posita; multorum ibi sanatae aegritudines perdocentur*. Ex his fateor Paulini locis [ineunte opinor V. saec. scriptis] & aliis quae rimantibus facile occurrent [in Gregorio M. certe idem verbum usurpatum legi] paullatim usu receptum fuit, ut *Levandi* verbum in sanctorum corporum peculium cederet.

Atqui Actorum S. Vincentii [quae facile haud serius IV. saeculo scripta fuerunt, quandoquidem ad ea pluries Augustinus digitum intendit] locum cur praeterieram? In quorum fine sic legitur. *Propter gentilium furorem non valentes eum* [Vincentium] *digno VENERATIONIS tumulare CVLTV, ad quamdam parvulam detulerunt basilicam sepeliendum. Tandem autem cessante perfidorum crudelitate, ac fidelium crescente DEVOTIONE beatiss. Martyr ad sepulturae HONORIFICENTIAM inde LEVATVS, digna cum reverentia deportatur, & sub sacro altari ... reponitur*. Quibus Prudentius concinit Hymno de S. Vincentio v.129. *Jam pace justis reddita, Altar quietem debitam Praestat beatis ossibus. Subjecta nam Sacrario, Imamque ad aram condita, Caelestis auram muneris Perfusa subtus hauriunt.*

ADDITIO ad Commentarii pag. 2. ubi ad finem diei II. Januar. sic adde. Ac porro de S. Sylvestro in hisce marmoreis fastis ultimo die Decembr. iterato agitur: ut hic unus ex illis Caelicolis fuerit, qui bis Neapoli colebantur, semel scil. postrid. Kal. Januar. in Graecorum, iterum vero prid. Kal. ejusd. mensis in Latinorum ecclesiis. Quo altero die NAT. nota praefigitur. Neapolitanis enim Graecorum opinio magis placuit, qui Sylvestri depositionem in alterum Januarii diem conjecerunt: ex quo sequitur, ut alterum illud festum diei 31. Dec. sive pro Translationis, sive alterius rei die haberi debuerit. At interim Latinis praeter Anastasii librum Pontificalem, etiam Bucherianus Depositionum index adstipulatur, in quo legitur, *Pridie Kal. Jan. Sylvestri in Priscillae*, ut de Hieronymiano mrologio, & Greg. Sacramentario taceam. Nisi forte ea ratio placeat, Sylvestrum prid. Kal. mortuum, postridie vero Kal. tumulatum: ex eo vero factum, ut Latini mortis diem quotannis coluerint, Graeci vero sepulturae. *Depositionis* autem vox de utroque die usurpatur.

AD PAG. 4. col. 1. v. 10. notandum est, Castellani in Rom. mrologium labores re vera non ultra Februarium lucem vidisse.

ADDITIO ad pag. 10. col. 2. v. 10. Post τὸ distingueretur *adde in parenthesi*: (& si hanc rationem parum moror, quia etiam mox die 17. Januar. S. Antonii illius monachorum patris inscriptio similis est: S. ANTONI MONachi.)

ADDITIO ad pag. 12. Post finem diei XII. adde. Hujus Theodorae acta exstant inaestimabilia apud Bollandianos ad 28. Aprilis, eademque apud Ruinartum inter martyres anni 304.

Ad pag. 14. die XVI. pro Galactione [*ut sit idem ac* Galatianus] *hoc etiam afferri posset, quod apud Ruinartum in Actis SS. Saturnini, Dativi &c. unus idemque martyr, qui num. 2. vocatur* Hilarion, *demum num. 17. semper* Hilarianus *scribitur. Tamen* [*ut cod. loco confirmavi*] *nihil est probabilius, quam* Galatianum *harum ephemeridum marmorearum, eumdem esse atque is, qui in Hieronymianis* Galacius, *nuncupatur*.

EAD. PAG. in inscriptione diei XVII. pro ANTONINI [*quod nescio quomodo in meum apographum irrepsit*] *corr.* ANTONI. *Porro iis, quae ibid. in commentario attuli, etsi post detectam inscriptionis mendam locus non sit; verissimum tamen est, nomina propria diminutiva cum suis primitivis alternasse. Quo etiam illud pertinet, quod in Bucheriano Kalendario quarti saeculi scribitur:* XVIII. Kal. Febr. Marcellini in Priscillae: *quum tamen is* Marcellus, *non* Marcellinus *fuisse credatur*.

PAG. 17. col. 2. post finem v. 1. adde. In Acta

Acta S. Sebastiani ad diem XVIII. Jun. commentati sumus. Eadem vero acta re ipsa ab S. Ambrosio Mediolanensi adhuc juvenculo scripta fuisse, suadebimus in Appendicis Ambrosianae [quae ad finem hujus tertii voluminis dabitur] Disquisitione altera: ubi etiam Sebastiani historia iterato percurretur & illustrabitur.

ADDITIO
Ad pag. 17. ad diem XXI. Januar.

SVPPLEMENTVM

Actorum S. Agnetis ex Damasi epigrammate:

Quod ex marmoris fide correctum, & cum Ambrosio, Prudentio, Maximo Taurinensi, Actis vulgaribus, alteroque Damasi elogio commissum, justae historiae effigiem hujus Martyris plane integrat. De vulgatis Actis S. Ambrosio falso inscriptis judicium.

CAP. I.

Damasi egregium de S. Agnete epigramma prius ex Milesio Sarazanio corruptissimum, mox ex Rom. marmoris fide incorruptum exhibetur, et subjectis animadversionibus illustratur.

Fuit illa scriptorum ἁγιογράφων expostulatio bene vetus, heroinae tantae nullam ab aequali aut suppare scriptore contextam exstare historiam. Itaque satis habuit Ruinartus ex Ambrosio atque Prudentio elogia arcessere. Potuisset sane & ex Damaso repetere, teste tanto locupletiore, quanto [praeter temporum vicinitatem] ejusdem urbis, in qua illa egregie decertavit, Papa fuit, & quidem historiae martyrum perscrutator tantus, quantum elogia ab eo marmoribus olim incisa declarant. Verum Ruinartus Damasum in sua Admon. praevia nominasse contentus, ejus elogium praetermisit; haud dubie quia ex editione Sarazanii adeo obscurum atque corruptum circumfertur, vix ut sententia ulla [ex initio praesertim] exsculpi Damaso digna posset. Videsis Tillemontium Not. 1. in S. Agnete, ubi primor. praecipue versuum obscuritate offensus, eo progreditur, ut de ejus monumenti (3) sinceritate, haud minus quam de S. Maximi homilia dubitet. Juvabit adeo id epigramma ex editione primum Martii Milesii Sarazanii [vide to. 27. Biblioth. Pat. pag. 82.] in medium proferre: quo in exemplo quae Italico [uti vocant] charactere edita reperies, ea scito ex marmore, quod mox repraesentabimus, esse castiganda.

1. Fama refert sanctos dudum *genuisse* parentes:
2. *Augmentum lugubris* cantus tuba *cum crepuisset*,
3. Nutricis gremium subito liquisse puellam,
4. Sponte *truces* calcasse minas rabiemque tyranni,
5. Vrere cum flammis voluisset nobile corpus,
6. Viribus immensum parvis *superare* timorem,
7. *Nudam persusos crines et* membra dedisse,
8. Ne Domini templum facies peritura videret.
9. *O Agnes verum decus alma pudoris imago.*
10. Vt Damasi precibus faveas precor inclyta *virgo*.

Et hactenus *Disjecti membra poetae* fuerant. At anno demum 1728. marmor illud, in quo Damasus scalpi elogium fecerat, effossum fuit: cujus elogii exemplum a March. Alexandro Capponio sibi submissum Lud. Ant. Muratorius exhibuit tom. 4. sui Thes. inscript. pag. 1823. num. 4. quod est ejusmodi.

S. Da-

(3) Sane quod Tillemontius in Agnete Art. 1. de epigrammatis sinceritate dubitat, id nollem ab eo factum. Nam quamlibet inquinatissimum, duobus praesertim primis versibus, illud Sarazanius ex membranis edidisset; at qua parte sanum erat, tantam praeferebat styli Damasiani effigiem in oculos incurrentem, ut de illo ipso auctore, quem ultimus versus ostentat, dubitari nequiverit.

S. Damasi epigramma marmori incisum & anno 1728. in S. Agnetis effossum.

1. Fama (4) refert (5) sanctos (6) dudum retulisse parentes
2. Agnen

(4) Hinc discimus, nulla Agnetis Acta Damasum ad manus habuisse, nec omnino ejus aetate ulla fuisse, ut qui nullam historiam, sed unice famam ex parentum ore propagatam auctorem laudat. Quin & Prudentius, qui Damasi aetati succrevit, alicubi ex sparsis rumoribus haurit: ut v. 57.

Sunt qui rogatam RETTVLERINT preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti: tum juveni halitum
Vitae innovatum visibus integris.

Nec mirum, ejus Heroinae gesta intercidisse, quippe quam ante Diocletianum passam, mox suadebimus. Diocletianea autem insectatio [quod millies alibi conquesti fuimus] plerasque martyrum historias cum ceteris Christianor. codicibus absumpsit. Porro ne de suo haec, quae dicit, attulisse Damasus videretur, parentes ea narrasse memorat; sicuti & de S. Marcellino & Petro dicturus, ea se a percussore ipso didicisse, testatur: de quo jam refricanda memoria est.

Nam in eo elogio, quod de hisce Martyribus contexuit [quod ad 2. Junii pag. 495. integrum dedimus] sic incipit:

Marcelline, tuos, pariter Petre, nosse triumphos
Percussor retulit Damaso mihi, cum puer essem.

Multum vero inter utriusque elogii initium interest. In hoc, quia Marcellinus ultima persecutione cum Petro occubuerat; potuit ejus percussor eo usque vitam protendere, donec Damaso puero martyrum gesta narraret. At vero de S. Agnete sic Damasus loquitur, ut quia nullum oculatum testem auctorem citare queat, famam, neque hanc recentem, sed paullo antiquiorem ad dicendum testimonium provocet. Ergo ex ea se scire testatur, Agnetis parentes, non χθὲς καὶ πρώην, sed *olim* ea facta retulisse. Nam DVDVM quod sequitur, hoc saltem loco sine controversia est idem quod πάλαι, *Olim*, ut Adnot. 6. ostendam. Alioqui si ibi *Dudum* sit *Nuper*; potuisset a parentibus ipsemet discere, aut saltem eos laudasset, qui NVPER ab iis audivissent. Ad summam: *famam* adhuc *referre* ait, quid *Olim* parentes de aliqua superiore persecutione *retulerint*, non quid *nuper* de ultima. Vide mox Cap. 3. ubi hoc martyrium non ad Diocletiani, sed ad Valeriani tempora esse referendum ostendam.

(5) *Sanctos parentes* vocat, h. e. Christianos [qui *Sancti*, teste pluribus in locis Chrysostomo, dicebantur] non gentiles. Vtrum post natae martyrium Christo nomen dederint, an ab initio tales fuerint, dubitari forsan poterit. Verum cur posterius omnino malim, videbis mox cap. 2. §. 1. num. 4.

(6) DVDVM aevo meliore modo ad vicinius, modo ad remotius tempus referebatur. Imo si vocis origo spectetur, magis est ut remotius notet; fit enim ex DIV DVM. Itaque praeter exempla quae ex Terentio, Plauto, Cicerone, Plinio lexicographi afferunt; utitur eadem notione Apuleius in Apologia: *Vidi ego dudum* [pro *jampridem*] *vix risum quosdam tenentes, cum . . . dentifricium* &c. Idem Floridor. cap. 9. *Non penuria laudis, quae mihi dudum* [h. e. *jamdiu*] *integra & florens .. reservata est*. Nec aliter usurpat Virg. Aen. 2. v. 726. Idque poetis non est insolens. Aaevo autem sequiore multo id frequentius fuit. Documento esse possunt tum Cyrilli, tum Philoxeni Glossae, & aliud vetus Onomasticum, in quibus omnibus DVDVM tantundem est, quod πάλαι h. e. *Olim*, *Quondam*. Videatur etiam Gothofredus ad l. 6. Cod. Theod. *de contrah. empt.* quo in codice haud raro ad plures retro annos *Dudum* refertur: etsi incertum limitem habet. In Actis S. Vincentii M. ineunte IV. saec. scriptis num. 4. *Et B. Valerius* (S. Vincentio ait): *DVDVM, fili carissime, divini verbi tibi curam COMMISERAM*. S. Gregorius M. in S. Hermenegildi historia, de S. Leandro ait: *DVDVM mihi in amicitiis familiariter juncto*. Quis autem dubitat, quin veterem amicitiam laudet? nec enim recens laudari solet..

Quamquam omnino hoc mihi satis est, si possit id μόριον, ubi necesse est, ad remotius tempus referri. Atqui apud Damasum perquam necesse videtur. Apud quem si pro *Dudum* substituas *Olim*, apte locutio procedet: non item si subroges *Nuper*. Nam quid rogo ineptius, quam si sic aliquis eloquatur?

Fama refert sanctos NVPER retulisse parentes.

Dixisset enim potius, *Nuper retulere parentes*; nec ad famae praeconium in rebus proximo tempore in ipsa urbe media transactis recurrisset.

2. Agnen (7) cum lugubres cantus (8) tuba concrepuisset

3. Nu-

(7) AGNEN. Hoc loco retractanda mihi quaedam sunt, quae de orthographia hujus nominis dixi in Commentario, ubi de S. Agnete in Adnot. 20. §. 1. Postquam enim hoc nomen, Graeco more inflecti, ac proinde pro Graeco habendum esse demonstrassem, ut sit scil. ἁγνὴ, ἁγνῆς; ex eo etiam asperandum fuisse, ostendi, non tantum quia Graeci cum spiritu denso scribunt, verum quia sic etiam in Latinis marmoribus Gruterianis, quae ibi produximus, legitur: quibus duos ex Muratorio titulos addere potuissem, apud quem pag. 1344. 11. HAGNE scribitur, & pag. 904. 1. HAGNVS. Hactenus recte habet: nec dictorum poenitet. Verum ibid. postquam martyris hujus nomen fuisse asperandum docuissem; ad finem ejus §. haud dubitare me dixi, quin in antiquis titulis, siqui forte aequales aut suppares huic martyri exstarent, ejus nomen asperatum cerneretur. At contra evenit; quia tum heic AGNEN spiritu leni scalptum fuit, tum etiam in alio epigrammate, quod incipit CONSTANTINA DEVM [de quo cap. 5. dicam] in cujus fine legitur VICTRICIS VIRGINIS AGNES. Verum hi duo marmorei tituli parum me movent; quos constat S. Virgini nec pares fuisse nec suppares. Quid interim illis antiquioribus vasorum vitreorum inscriptionibus faciemus, in quibus hoc nomen corrupte quidem, sed tamen sine aspiratione reperitur? Vide Philippum Bonarotium in *Vitris coemet.* tab. XXI. n. 1. ubi circa hujus Martyris effigiem AGNE recto casu legitur. Ac paullo corruptius & tamen sine aspirata littera tab. XVIII. n. 2. & 3. ubi circa ejusd. imaginem alibi ANNE [quia tunc duplex N uti GN efferebatur] alibi ANGNE; & alibi postremo (ut in tab. XIV. num. 1.) ANE scribitur. Et haec quidem vitra tertio saeculo fabricata fuisse non dubitat Bonarotius: quod tamen valde dubium est, etsi concedam Agnetem sub Valeriano decertasse. At sunt tamen facile Damasi elogiis antiquiora.

Quae quum ita sint, ipse me recipio; ac fateor, nomen hujus Virginis inflexionem quidem Graecae originis retinuisse, at densiorem spiritum [quocum in antiquioribus Gruterianis feminarum cognominum inscriptionibus id nomen perscribebatur] sensim amisisse. Id quod in hac Virgine tum primum usurpari coepisse suspicor, ubi virginitatis ejus candor cum agni candore conferri coepit. Quare eo sensim progressi sunt, ut quo *Agnetis* nomen ab *Agno* deducerent, aspirationem removerint. Itaque Augustinus serm. 273. ad vulgarem etymologiam Latinam ita allusit, ut tamen veriorem Graecam minime dissimulaverit. *Agnes* (inquit) *Latine Agnam significat, Graece Castam. Erat quod vocabatur: merito coronabatur.* Ac tandem VIII. & IX. saeculo etiam Graeca inflexio desiit, & AGNA, AGNAE scribi coepit; sic enim in pluribus ejus aetatis Kalendariis, & in nostris fastis marmoreis scriptum reperitur.

Quamquam etiam sine ulla ad *agnum* allusione, familiare fuit gliscente barbarie aspirationes debitas tollere, aut indebitas addere. Sic pro HIPPOLYTVS saepe IPPOLITVS aut YPPOLITVS in titulis Christianis legitur, & ejusmodi plura.

(8) Quo *Tuba haec* pertineat, tum facile existimabimus, si ejus usum non tantum in pugnarum initiis, & in castrensibus signis, verum & in praeconiis locum dederimus. Nam praecinente tuba, ita demum praecones contentissima voce praedicabant. Ex hodiernis inquis moribus a me ista aestimari. Non ita. Nam habeo testem locupletissimum Senecam epist. 78. ubi sic Lucilium hortatur. *Athletae quantum plagarum ore, quantum toto corpore excipiunt? Ferunt tamen omne tormentum gloriae cupiditate ... Nos quoque evincamus omnia, quorum praemium non corona, nec palma est* [sicuti in illis certaminibus] *nec TVBICEN PRAEDICATIONI NOMINIS NOSTRI* [per praeconem faciendae, ubi victorem renuntiabat] *SILENTIVM FACIENS; sed virtus & firmitas animi, & pax in ceterum parta, si semel in aliquo certamine debellata fortuna fuerit.* Ex quibus perspicue vides, quo tuba in praeconiis faciendis valuerit. Adhaec quia non tantum victoribus renuntiandis praecones adhibebantur, verum etiam ut ad spectacula invitarent (quo pertinet illud Suetonii Claudio: *Vox praeconis irrisa est invitantis .. ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset*) ob eam opinor quoque caussam, similesque alias tuba praeconi praecinebat. Quo spectat illud Plinii II. epist. 7. *Qui numquam castra viderunt, numquam tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt.*

Possumus hoc ergo universe affirmare, ubicumque praeconis vox exaudienda esset, ibi & tubam praecinuisse. Est autem certissimum, in criminum exsecutionibus praecessisse praeconem,

3. Nutricis (9) gremium ſubito liquiſſe puellam
4. Sponte (10) trucis calcaſſe minas rabiemq. tyranni
5. Vrere (11) cum flammis voluiſſet nobile (12) corpus

6. Vi-

conem, qui magna voce rei nomen & poenam, & cauſam damnationis [id vero totum vocabant *Elogium*] multitudini ſignificaret : id quod ex innumeris profanae hiſtoriae locis & martyrum actis patet. Quare tum quoque praeconi praecantaſſe tubam, quae ſilentium praedicaturo faceret, eique mox clangori ſucceſſiſſe praeconium neceſſe eſt.

En igitur quo iſthaec a Damaſo memorata tuba ſpectaverit. Omnino Chriſtianus aliquis unus, aut plures ad ſupplicii locum pertrahebantur. Cui pompae tum *tuba lugubres cantus concrepans* praecedebat, tum praeco, qui voce Stentorea [qua praeditos fuiſſe praecones, alibi in hoc Commentario adnotavimus] damnatorum elogia praedicaret, quibus ſignificabatur, illum & illum propter contemptas Romanas religiones hac aut illa poena damnari.

(9) Cave putes, GREMIVM heic ad NVTRICIS blandimenta, puellam in gremio foventis, pertinere : quo ſpectant Virgilianae illae locutiones, *Haeret & interdum gremio fovet inſcia Dido*, illum ſcil. τὸν νομιζόμενον Aſcanium : itemque illud de vero : *Et fotum gremio dea tollit in altos Idaliae lucos*. Cave inquam ſic accipias : nam Agnetem tunc duodennem in gremio nutricis foveri dedecebat. Heic igitur *Gremium* ad educationem pertinet: quod Cicero in Bruto ſignificat his verbis: *Apparet filios non tam in gremio educatos, quam in ſermone matris*. Nam pueri in matrum aut nutricum gremiis *Mentem mentumque deponentes* [ut alteram Ciceronis pulcherrimam locutionem Philipp. 13. alio ſum detorqueam] ita facile educationis praecepta quaſi lac imbibebant. Tunc autem pueri in gremio mentum deponunt, quum ſtantes in matris femoribus [ad quae proprie *gremium* pertinet] caput reclinant. Vides profecto quo heic GREMIVM pertineat. Poteſt hoc igitur ad educationem referri.

At poteſt etiam de eruditione a nutricibus inſtillata hic Damaſi verſiculus intelligi, facem praeferente Quintiliano lib. 1. cap. 5. quod de praelectione inſcribitur, ubi aperte ſignificat, praeceptores ad ſuum gremium pueros revocaſſe (quod hodienum fit) ibique iis praelegiſſe. *Non utique* (inquit) *hunc laborem docentium poſtulo, ut ad GREMIVM REVOCATIS, cujus quiſque eorum velit libri lectioni deſerviant*. Idem de puellis dicendum, quae in nutricis ſuae gremio librum deponentes, in eo prima ſaltem litterarum elementa ediſcebant. Ceterum quo plus poſtea proficerent, ad ludos litterarios ſub nutricum cuſtodia mittebantur. Ex pluribus enim antiquorum locis conſtat, etiam puellas ad ludos illos itaſſe. Quod quidem alterum Pſeudo-Ambroſius in Agnetis Paſſione ſpectavit, ſic narrationem totam exorſus, *Quae dum a ſcholis reverteretur, a praefecti Vrb. filio adamatur*.

Ad haec poterat Agnes ſive lanificium ſive aliud opus in gremio nutricis ediſcere. Aut ut uno verbo omnia complectar; *Nutricis gremium* pro univerſa educatione, cuſtodia, uſu, ſermocinatione, atque domeſtica inſtitutione eleganter uſurpatur : idque tam vere ac proprie durante aetate teneriore, quam tranſlate ſubeunte provectiore.

(10) Concinit Damaſo Prudentius, Agnetis *mortem liberam* praecipue extollens.

Duplex corona eſt praeſtita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deinde gloria liberae.

In ſexu imbelli tenellaque aetate non rara obviam tormentis euntium exempla fuerunt; ut eo mirabilior Numinis eas inſtigantis ac roborantis emicaret potentia.

At vero totum hoc quod de morte libera Damaſus atque Prudentius prodiderant, Acta Ambroſio falſo tributa jugulant, ut fabulae amantis adoleſcentis ſerviant. Confer ſi lubet.

(11) Hic locus haud aliter quam de rogo ab omnibus, ſat ſcio, accipitur, conſentiente Agnetis paſſione, quae Ambroſium ementitur, quae Virginem in rogum injectam docuit. Tamen tria potiſſimum ſunt, quae de incendio haec me vetant accipere, imo ut de aduſtione intelligam, hortantur.

I. Ac primum ſi de pyra agebatur; dixiſſet potius *Tradere flammis*, quae conſueta ejus rei locutio eſt. Etſi hoc ipſum verbum *Tradere* in paſſione S. Theodoriti Presb. (apud Ruinartum in Juliani perſec. p. 590. ſect. 3.) de lampadum admotione uſurpatur. *Julianus dixit : Interim ego IGNI te TRADAM.. Sic juſſit duas lampadas ardentes ejus apponi lateribus*. Quod ſi *Igni tradere* non de rogo, ſed de lampadibus heic accipitur; multo magis *Vrere flammis* non aliud erit, quam *Amburere*. Idque paſſim

in

in martyrum passionibus legitur : in quibus lampades atque faces lateribus nudisque membris admoveri usitatissimum fuit.

II. Mox septimus Damasi versus Agnen fuisse in totum nudatam significat. Atqui rogo uterque sexus non sine interiore amictu imponebatur : id quod ex martyrum passionibus passim intelligitur. Ex eisdem vero discimus; ubi faces admovendae essent, tunc fuisse denudatos.

Quod dixi, arsuros Martyres non fuisse in totum nudos, exempla id passim docent. Nolim tamen voculae quaedam lectori imponant. Verbi causa in Epistola de Polycarpi passione sect. 13. dicitur Martyr comburendus *Sibi detraxisse* (πάντα τὰ ἱμάτια) *omnia vestimenta*. At ἱμάτια proprie est *pallium*, ut ex historia Patriarchae Josephi apud LXX. Gen. XXXIX. 12. τὰ ἱμάτια (num. plur.) h. e. *pallium* abjicientis patet. Quod autem (πάντα) *omnia* de Polycarpo additur, id aut intrusum est (nam vetus interpres pro πάντα ἱματ. tantum *Vestem* posuit) sive ad alia exteriora tegumenta trahi potest, veluti capitis, aut alterius generis. Certe tunicam a Polycarpo non depositam, ex eo colligo, quod tantum (λύσας τὴν ζώνην) *sese discinxisse* narratur, de tunica vero detracta nihil. Sic etiam ubi de Pionio apud Ruinart. num. 21. scribitur, *Corpus suum ipse nudavit*, id tantum de deposito ἱματίῳ est capiendum, quo carentes *Nudi* dicebantur : unde & Josephi γυμνότης (*nuditas*) a Patribus commendatur. Aut vel si hi omnes arsuri etiam tunicam deposuerint ; adhuc tamen interiorem tunicam corpori haerentem retinuere. Quam si detraxissent ; fuerat id sedulo notandum. Sicuti Basilius Hom. XX. de XL. Martyrib. in stagnum demittendis accurate scribit, eos *Cum gaudio abjecisse* (καὶ τὸν τελευταῖον χιτῶνα) *ETIAM ultimam tunicam*, quae scil. proxime carnem contingit. Haec eo dixi ut intelligatur, Agneti, ubi penitus nudata significatur, non rogum, sed lampades fuisse paratas.

III. Accedit quod de rogo (tam gravi supplicio, quod non nisi per ultimam sententiam irrogabatur) tacet Ambrosius, tacet & Prudentius : quorum utriusque facundia potuisset in re tanta latissimo campo spatiari ; praesertim si rogo Martyr victrix divina virtute [quod acta vulgaria praedicant] superfuisset. Contra minus mirandum est, si ambo de admotis lampadibus (tamquam de satis scil. vulgari tormento) siluerunt. Accedit hoc etiam quod ambustio laterum usitata sub Valeriano [sub quo haec virgo depugnavit] fuit. Lampadas lateribus admotas habes in actis S. Hippolyti & soc. in Baronio ad ann. 259. n. 17. sicuti faces applicitas habes apud eumd. ad an. 260. in actis S. Stephani Papae n. 3. Utrumq. vero sub Valeriano accidit.

At vero procedente tempore videtur hic Damasi locus, quum propalam scalptus in marmore legeretur, apud credulam multitudinem fraudi fuisse : quae sicuti cetera martyrum gesta augere in majus assolet, hanc Agnetis adustionem in rogum convertit. Quumque eamdem ex Ambrosio & Prudentio scirent gladio vitam finisse ; addidere miraculum ingens ac singulare, quo incendia divina virtute restincta praedicarunt, ut scil. gladio locus esset. Quas narrationes apud credulam multitudinem dissipatas, tandem Actorum sub Ambrosii nomine fabricator chartis duraturis sedulo ac bona, ut interpretor, fide consignavit.

At enim erunt qui rogo Agnetis ab vitrei vasis fundo praesidium adsciscent : in quo S. Virgo ita exhibetur, ut circa eam nonnulli flammarum apices haud obscure dignoscantur. Vide Phil. Bonarotium in Vitr. coemet. tab. XIV. n. 1. in qua vir doctus non dubitat eos apices de Agnetis pyra interpretari. Verum quid si apices illi prorsus aliud sint ? Nam in eopte vitro etiam circa S. Petrum cernuntur, & Tab. XV. n. 2. in medio Petri & Pauli. Aut si illi circa Agnetem sint re vera flammarum apices ; eccur, rogo, non e pavimento, sicuti deberent, prosilire illi noscuntur ? Deinde quum iidem illi apices pauci numero sint (terni tantum in dextero latere, in laevo bini) cur non interpreter faces aut cujusvis generis flammas Virginis lateribus olim applicitas ? Facessat ergo Agnetis rogus; eamque teneamus nudam pro more fuisse amburendam ; nam tantum *Urere voluisse* judex notatur : de effectu siletur.

(12) Tum istud NOBILE CORPUS, tum quod versu 3. Agneti *nutricem*, perpetuam scil. custodem, affuisse significat, satis ea nobilitatem generis ejus declarant. Ob eam generis claritudinem, eximia forma adminiculante, multorum, teste Ambrosio, votis Virgo ambiebatur ad nuptias. Nam formam ei non defuisse praestabilem, idem Ambrosius testatur illis puellae verbis, *Pereat corpus, quod amari potest oculis quibus nolo*. At posteritas multas postea de amoribus filii praefecti narrationes vulgavit, quas Acta vulgaria corraserunt, quum antea innuisset aliquid Maximus Taurinensis. Quas narrationes sicuti in totum aspernari non ausim ; ita quatenus cum eo pugnant, quod sponte Agnes (uti Damasus canit) audito tubae clangore, ad passionem cucurrerit, non vero (quod acta narrant) quaesita fuerit, ut ad tribunal traheretur ; in eo certe, uti supra observatum fuit, a Damaso atque Prudentio falsi arguuntur.

6. Viribus immensum parvis superasse (13) timorem
7. Nudaque (14) profusum crinem per membra dedisse
8. Ne (15) Domini templum facies peritura videret
9. O veneranda mihi sanctum decus (16) Alma pudoris.
10. Vt Damasi precibus faveas precor inclyta Martyr

Non

(13) Videtur τὸ *Timorem* ad versum 8. referri debere. A nuditate enim maxime timebat, *Ne* scil. *Domini templum* (h. e. corpus suum veste nudatum) *facies peritura videret*.

(14) Habes heic Virginem denudatam: habes quoque de crine per membra *profuso* h. e. *promisso* aut diffuso. Atqui hoc totum mire amplificavit posteritas. Pseudo-Ambrosius in Agnetis Passione tunc hoc evenisse narrat, quando ad lupanar mittenda fuit: tametsi alias virgines vestitas, non nudas ad lupanaria missas legimus: quod diserte de virgine Theodora in Actis egregiis apud Ruinartum legitur, quae ad prostibulum ducta, cum Didymo milite vestibus commutatis, ita sese ex impurissimo fornice per turbam circumstantem proripuit. Imo & nostram Agnetem Menaea ad 21. Januar. saltem *Vna indutam tunica* (μετὰ ἐνδύματος ἑνὸς) *deductam in lupanar* scripsere: prorsus decore & ex vero.

Sed jam Pseudo-Ambrosium prodigialiter cuncta narrantem audiamus. *Judex jubet eam exspoliari, & nudam ad lupanar duci ... Statim autem ut exspoliata est, crine resoluto, tantam densitatem capillis ejus divina gratia concessit, ut melius videretur eorum fimbriis quam vestibus tecta*. Hanc quidem crinium spissitudinem [quae quum naturalis esset, divina juvante gratia vicem indumenti praebuit: quod & in Aegyptiacae Mariae vita legitur] eum inquam tam promissum capillum minime impugno. Sed tamen longe plus iste historicus in prosaica narratione sibi permisit, quã quod poeta Damasus ludens in epigrammate. Hic enim castum scriptorem agens, conatus puellae laudat, sese *Viribus parvis* (h. e. capillo, quod unum poterat) satis decore tegentis; interea de successu silet, minime taciturus, si quidem aliquid divinitus contigisse inaudisset. At interim ille praeclarus historicus poetarum in morem quae fieri potuerint, non quid factum fuerit, exsequitur. Atqui, si verum amamus, Virgo quidem *viribus parvis immenso timori* (*ne* scil. *Domini templum facies peritura videret*) quantum potuit, occurrit. At Deus protervos opinor aspectus arcens [modos enim Divinos scrutari nihil attinet] votis puellae obsecundavit. Quocirca recte Damasus eam re vera SVPERASSE TIMOREM (h. e. id, de quo timebatur: uti quum legitur, *Timor quem timebam evenit mihi*) βραχυλογήσας scripsit. Hactenus Damasus: brevissime quidem, sed quantum postulabat decori virtus.

At interim Damasi breviloquentiam opportune explicuit Prudentius, pudori virginis, ne proterve aspiceretur, non tam densa caesarie [de qua tacet: non omissurus tam idoneum suo poematio argumentum, si fando quidquam de eo inaudisset] prospectum canens, quam Deo avertente lascivos aspectus.

Stantem refugit maesta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.

Deinde quid protervo inspectori acciderit, prosequitur.

Intendit unus forte procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico.
En ales ignis (fulmen intelligit, quod interdum alatum in veterib. monumentis cernitur) *fulminis in modum*
Vibratur ardens atque oculos ferit:
Caecus corusco lumine corruit,
Atque in plateae pulvere palpitat. &c.

Cui seminecis juvenis narrationi, quae Deus bone! bonus ille Pseudo Ambrosius superstruxit! Ea confer, si quid vacat.

(15) Istud NE tum ad versum sextum tum etiam ad septimum ex aequo refertur & in solidum. Hunc enim virgo TIMOREM infixum cordi habebat, *Ne Domini templum* &c. ac simul eadem non alio consilio promisit crinem quam *Ne Domini templum facies peritura videret*.

(16) *Quod ALMA Hebraeis Latinisque sit VIRGO*.

Mira constructio. Duo enim adjectiva (*Veneranda* & *Alma*) inculcavit, nullo substantivo fulta. Atqui ne dubita, quin hoc loco ALMA aut substantivum sit, aut saltem pro substantivo se gerat. Si hoc alterum sequimur; erit syntaxis ejusmodi, secundum quam poetae deum aliquem, *Sancte*, vocandi casu absolute invocant; sicuti etiam, *Magne*, & similia. Nec aliter hoc ipsum *Alma* Virgilius lib. VI. v. 74. & 117. usurpavit.

At

Non piguit utrumque exemplum lectori proponere; ut ex hoc uno documento perſpiciat, quantulum nobis ſit de operum per manus librariorum ad nos tranſmiſſorum [non quidem omnium, at certe plurimorum] caſtigatione ſine auctorum αὐτογράφοις, aut exemplaribus antiqua doctaque manu deſcriptis ſperandum, quando in tam brevis epigrammatis orbe amanuenſes tam multa, imo tam gravia peccarunt. Qui RETVLISSE in GENVISSE, & AGNEN CVM in AVGMENTVM [ut cetera flagitia taceam] vertentes, tantam repente caliginem huic elogio offuderint, ut potuerit pro non Damaſiano haberi, niſi ſero tandem marmor ipſum, quaſi δευτερόποτμον ſecuriae litteratae ſtitiſſet.

CAP. II.

Agnetis hiſtoria per ſumma capita inſtauratur.

§. I.

Damaſiana ἀνακεφαλαίωσις: qua hiſtoricae circumſtantiae ex Damaſi epigrammate in ſuperiorib. Adnotationib. erutae, in ordinem redactae exhibentur.

Ex egregio ac feraciſſimo Damaſi elogio, & ex ſubjectis animadverſionibus facile quivis intelliget, ex eo uno epigrammate hujus tantae martyris pertexi telam hiſtoriae qualemcumque poſſe, in cujus ignoratione antea verſabamur. Sunt enim profecto & plura numero, & rerum gravitate ponderoſa, quae ex eo aſſecuti ſumus: quae jam ſuo ordine uno ſub aſpectu ſubjiciemus.

1. Damaſi aetate acta nulla Virginis hujus exſtabant; uti liquet ex verſu 1. ubi quae dicturus eſt, ea ad famam auctorem refert.

2. Non in ultima Diocletiani perſecutione, ſed ſub Valeriano eam decertaſſe, ex eod. ver. 1. conſtat, & ex Adnot. 4. & 6. Porro ſub Valeriano paſſam Agnetem, etiam ex Actis vulgaribus, & ex vitreorum vaſorum picturis poteſt intelligi. De quibus vide ſeq. capite.

3. Nobili loco natam, ex extremo

At quo, inquis, ſignificatu? Omnes hujus vocabuli notiones Philoxeni Gloſsae complectuntur his verbis: ALMA: κλυτὴ (*inclyta*) ἁγνὴ (*pura* aut *Sancta*) ὡραῖα (*pulchra*) θρέπτειρα (*altrix*). Quo pacto hae notiones omnes verae inveniantur, expoſuit in Etymologico Voſſius. At duae ſignificationes ultimae heic non conveniunt, nec ſunt ex Damaſi mente. Nec vero pro *Inclyta* accepit, quia hoc ſequitur verſu ultimo. Reſtat hoc unum videlicet, ut *Alma* ſit Α῾γνὴ (*pura*) h. e. ipſum *Agnetis* nomen, quae olim cum aſpero ſpiritu *Hagne* perſcribebatur, ut ad 21. Januar. Adnot. 20. & proxime heic Adnot. 7. diximus.

Quod ſi vero heic *Alma* tantumdem eſse quod *Sancta* [idque auctore Feſto, & S. Hieronymo] pertenderis; non repugnabo quidem, modo hoc ipſum *Sancta* pro *Virgo* accipias [unde & *Sanctimonia* IV. & V. ſaeculo erat virginitatis ſynonymon] id quod eo ipſo loco haud obſcure Hieronymus, uti dicemus, ſignificavit. Imo nihil hac notione verius eſse ajo. Hoc enim loco *Alma* non tam ſubſtantivi vicem gerit, quam re vera ſubſtantivum eſt, quia cum adjectivo *Veneranda* copulatur. Deinde & illud conſiderandum eſt, aliud eſse *Almus, alma, almum*, aliud *Alma, Almae*. Sono quidem non differunt; ſed tamen notione & origine plurimum. Prius Latinum eſt, & ab *Alo* venit: alterum Hebraicae originis; eſt enim ipſiſſimum עלמה, *Alma* h. e. *Virgo*. Docuerat hoc diu antea Hieronymus ad illud Iſaiae, *Ecce Virgo concipiet*: ubi quum dixiſset Hebraicum *Alma* [quod ibi in Hebraeo fonte pro *Virgo* ſcribitur] ſemper pro virgine uſurpari; addit: *Lingua Punica, quae de Hebraeorum fontibus dicitur manare, proprie virgo ALMA appellatur*. Mox ſubjicit: *Noſtro quoque ſermone* (Latino) *ALMA, SANCTA, dicitur*. Quod quia ad ſuperiora confirmanda ſcripſit, haud dubium eſt, quin *Sancta* pro *Virgo* acceperit, & quin Latinis *Alma* tantumdem quod *Virgo* fuerit. Virgilius ipſe Sibyllam alloquens, *Alma* abſolute [haud dubie pro *Virgo*] uſurpavit lib. VI. v. 74. & 117. Hanc *Almae* notionem tunc ſatis tritam Damaſus non ignorans, quum verſu ultimo Agnetem *martyris* elogio decoraſset, non putavit eamdem praeconio *Virginis* eſse fraudandam, ideoque verſu hoc antep. poſuit, *Sanctum decus, ALMA, pudoris*.

Longiorem in hiſce adnotationibus fuiſse nondum me poenitet. Quis enim putaſset, in tam brevi epigrammate tot opes recondi, totque circumſtantias, quibus hujus Heroinae paſſio mire illuſtratur; atque ὑποβολιμαῖος (*ſuppoſititius*) ille Ambroſius refellitur?

versu quinto & Adnot. 12. discimus.

4. Ex parentibus *Sanctis* h.e. Christianis ortam, tertia primi versus vox suadet. Dixeris potuisse parentes post natae martyrium Christo nomen dare. Verum antiquitas minorennes gentilium filios ad baptismum aut catechumenorum gradus non admittebat. Sub Valeriano certe principe [sub quo passam Agnetem non dubito] is Ecclesiae Romanae mos erat; uti constat ex egregiis SS. Hippolyti & soc. Actis, quae primus edidit Baronius ad ann. 259. ubi num. 8. & seq. non ante Neonem decennem & sororem Mariam annos tredecim natam [etsi ambos a S. Hippolyto avunculo, qui tum eos baptizari postulabat, enutritos, ut ipse Hippolytus refert n. 8. *Quos enutrivi*] non ante, inquam sacro tingi fluento passus est S. Stephanus Papa, quam prius eorum parentes gentilitati perdite affixi, Christo se adjungerent. Quod non sine miraculo postea evenit. Vide etiam ibid. in fine num. 10. de Pontiano a parentib. fidelibus adducto, ut baptizaretur. Nec Agnes ergo Christiana fieri potuisset, nisi prius parentes ipsi Christiani fuissent.

5. Adhuc tenella aetate excruciatam esse, mentio de *nutricis gremio* ver. 3. suadet. Concinit Ambrosius lib. de Virginib. scribens: *Haec duodecim annorum martyrium fecisse traditur.* Vide Adnot. 18.

6. Sponte se objecisse martyrio ex versibus 3. & 4. cognoscimus. Vide ibi adnotata.

7. Qua vero occasione ad mortem convolarit (clangore scil. tubae exsecutioni martyrum praecinentis concitata) versus secundus narrat. Confer Adnot. 8.

8. Eamdem ambustione tentatam, non vero damnatam ad vivicomburium, versus quintus, & Adnot. 11. ostendunt. Rogus igitur & incendii restincti prodigium inter posterioris aevi & Actor. vulgarium commenta sunt amandanda.

9. Denudatam fuisse Virginem, ubi ei faces admovendae erant, ostendit versus septimi initium: quam nuditatem inepte Acta vulgaria in id tempus conjiciunt, ubi ad lupanar traducebatur. Vide Adnot. 14.

10. Huic nuditati ut Virgo qua ipsa poterat prospiceret, crinem circumquaque promisisse, septimus versus docet. Vel sic tamen parum a protervis aspectibus tutam, Deum puellae nisibus obsecundantem, partim avertendo vultus, partim puniendo procaces, defensasse, narrat Prudentius. Ceterum comae densitatis prodigium de suo posteritas, & auctor vulgarium Actorum admetiuntur. Confer de his omnibus Adnot. 14. Atque ea sunt quae de satis antea obscura historia ex Damasi quantivis pretii monumento lucrifecimus.

§. II.

His jam pauca quaedam historiae capita ex Ambrosio, Prudentio, & ex altero quodam Damasi epigrammate adjiciuntur.

Hactenus ex uno Damasi elogio profecimus. Videamus porro sicunde ad locupletandam Virginis historiam suppetiarū spes affulgeat. Ac primum ex Ambrosii laudatione, quam lib. 1. de Virginibus cap. 2. intexuit, haec tantum cognoscere licet: I. eam multorum votis ad nuptias expetitam, in eo se obfirmasse ut Christum sponsum ceteris anteponeret: quo loco in eorum gratiam qui Oedipo conjectore indigere Ambrosium, conqueruntur, nativā loci obscurioris intelligentiam non invitus (17) subjeci: II. duodennem (18) fecisse martyrium: III. incredibilem

(17) *Quid sit in Ambrosio illud EXSPECTARE PLACITURAM?* Exspecto *pro* Specto *antiquis usitatum. An igitur scribendum,* Exspectari placituram? *An potius,* Exspectare (*notione trita*) placiturum *h. e. quid mihi sit placiturum?*

Ambrosii locus in I. de Virgin. cap. 2. sic legitur: *Quantorum vota, ut sibi ad nuptias* [Agnes] *perveniret? At illa: Et haec, inquit, Sponsi* [Christi] *injuria est, exspectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet* &c. Vbi duae illae voculae, *Exspectare placituram*, quid, rogo, sibi volunt? Non aliud opinor, quam (me) *exspectare placituram*

tam h. e. cui potissimum sim placitura. Atqui si multorum votis expetita fuerat, quid, cui sit placitura, exspectaret?

An illud sequemur, quod ex nonnullis Mss. Benedictini excuderunt: *Exspectare placiturum*, h. e. qui mihi ex omnibus sit placiturus? Atqui hoc etiam est ineptissimum, pugnatque cum praecedente particula ET: quae particula non maximae in Christum contumeliae (ejusmodi esset *exspectare placiturum*: per quod Christo priori sponso nuntius remittitur] sed minimae hoc loco exspectationem eiet. Et haec inquit (quamvis minima) tamen Sponsi injuria est &c.

Verum ne quemquam morer: Ambrosius EXSPECTARI scripserat. At quia apud antiquos I & E similiter scribebantur [nam ex E vix ductus transversarii exstabant] ex eo factum, ut postquam litteris minusculis describi exemplaria prisca coeperunt, saepe hae duae vocales antiquariorum arbitratu alternaverint. Sed & illud insuper est animadvertendum, Ambrosium retrusis verborum notionibus mire admodum delectatum: id quod ad 29. Junii Parte I. ad nauseam usque demonstravimus. Itaque hoc loco non obviam verbi *Exspecto* notionem secutus fuit, sed penitiorem alteram, qua pro simplici *Specto* ponebatur. In quo certe & Tertullianum antiquarum ῥήσεων aucupem secutus est [apud quem in De spectac. c. 3. sic legitur, *Non ibis in circum, non in theatrum: agonem, munus non exspectabis*] & Plautum Mostellaria I. 3. v. 3. *Tu ecastor erras, quae quidem illum exspectes unum, atque illi morem praecipue sic geras.* Sic etiam JCti veteres [quorum notiones imitabatur Ambrosius] *Exspecto* pro *Specto* usurpabant: ut l. 26. §. 1. D. *de adquir. rer. dom.* & l. 12. prin. C. *de reb. cred.* Apud Statium etiam legitur, *Qualis per jugera circi. Cum pulcher visu, titulis speciosus avitis, Exspectatur equus.* Sed & vicissim *Specto* pro *Exspecto* haud raro antiqui dicebant: cujusmodi illud est P. Syri:

Ab alio spectes, alteri quod feceris.

Idque etiam JCti saepissime usurparunt: de quo vide Brissonium.

Ceterum quod in hoc Ambrosii loco *Exspectari* non aliud sit, quam *Spectari*, id ex proxime sequentibus liquido intelligitur. *Etiam haec*, inquit, *Sponsi injuria est* [quamlibet ceteroqui condonabilis, quippe a procorum protervia, non a me profecta] *Spectari placituram*. Mox enim sequitur: *Pereat corpus*, inquit, *quod AMARI potest OCULIS quibus nolo*. Ex quo EXSPECTARI illud quo pertineat, nemo non statim pervidet.

Hactenus de *Exspecto* pro *Specto*. Nunc ad mutationem E in I redeo. Quid si enim activam vocem *Exspectare* retinuerimus, sed tamen significatu passivo? Me quondam in quodam gladiatoris marmoreo titulo haud semel legisse memini SPECTAVIT pro *spectatus est*; sicuti *Vectores* sunt qui vehuntur, & sexcenta talia. Sic ergo & *Exspectare* pro *Exspectari* [h. e. *spectari*] poni potuit. Tamen quia id rarum; imo quia E & I ob dictam antea caussam saepissime arbitratu librariorum permutabantur; quis heic tantulam mutationem fastidiat?

Porro ex Ambrosii verbis ultimis plura possumus suspicari, quae utinam laudator Mediolanensis plenius enarrasset. I. Habuisse re vera Agnetem procos suos; ex quo posteritas & Acta vulgaria amores filii praefecti procuderunt: vere an falso, non interpretor. II. Amores illos, & nuptias ab judice blandiente oblatas, impulisse Agnetem, ut sibi mortem qua posset maxime via, virili alacritate acceleraret. Nam statim sequitur: *Stetit, oravit, cervicem* (mucroni) *inflexit*. Ex quibus verbis obiter notabis, Virginem non tantum stantem orasse, sed & stantem ictum excepisse. III. Postremo formam hujus Virginis fuisse singularem, totque juvenum ambitioni parem: id quod Adnot. 12. attigeramus.

Haec jam scripseram, quum mentem subiit, illam, quam in aliquot Mss. Benedictinus editor invenit, lectionem (*Exspectare PLACITVRVM*) fore verissimam, modo τὸ *Placiturum* non de proco placituro intelligatur (quorsum videtur editor accepisse: quod jure nos initio refutavimus, seu cum praecedente ET non cohaerens) sed neutro genere accipiatur in hanc sententiam: *Et haec Sponsi* (divini) *injuria est*, (eumdem Sponsum) *exspectare* [quid mihi sit] *placiturum*, anne scil. Agni nuptiis Agna ipsa consentiam. Idque pulcherrime cum proxime sequentibus congruit: *Qui me*, inquit, *sibi prior elegit, ACCIPIET*. En ut ad amoliendam Sponsi injuriam, non moratur assensum. Atque ut sponsa sanguinum videatur, statim conversa ad carnificem, subjicit: *Quid percussor moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit.* Atque huic demum ὕστερα φροντίσι & σοφωτέρα unice acquiesco.

(18) *Duodecim annorum* legitur in omnib. Ambrosii Mss. & editis libror. de Virg. praeter editionem Romanam, in qua *Tredecim* non secus atque in Actis Ambrosio tributis scribitur. Ex quo facilis est conjectura, Romanos editores ex Actis, quae vulgo pro Ambrosianis tunc habe-

bilem planeque divinam in tam tenera aetate alacritatem ac fortitudinem: IV. ab ejus corpusculo non abfuisse gravium catenarum nexus: V. ad ultimum gladio martyrium consummasse.

Sed & ex Prudentio nonnulla consequimur. Nam ut ea omittam in quibus sive (19) Damaso sive (20) Ambrosio concinit: peculiaria haec de suo admetitur: I. quod in lupanar (21) detrusa fuit: II. quod juvenis eam procacius contemplatus, alite igni (h. e. fulmine, quod haud raro uti ales exhibebatur) afflatus, caecus & *seminex* conciderit: III. quod ex lupanari inviolata discesserit: IV. quod juvenem illum paene exanimem recreaverit ac visu redonaverit: quod tamen ex nonnullorum narratu, non ex certa notitia refert.

Sunt qui rogatam RETTVLERINT *preces*
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti; tum juveni halitum
Vitae innovatum visibus integris.

Facile ut intelligas jam tum V. ineunte saeculo, dum forsitan haec Prudentius scriberet, coepisse nonnullas spargi narrationes inauditas antiquis: quas paullo post multis partibus auctiores fecerunt. Nam hunc ipsum juvenem (quem Prudentius *seminecem* dixerat) postea acta vulgaria penitus exanimatum, ac mox rogatu patris deprecante Agnete vitae, quam amiserat, restitutum ostendunt.

Praeter haec autem ex Ambrosio & Prudentio auctaria, ex altero Damasi ejusdem epigrammate docemur, a *Constantina* quadam S. Agneti celebrem ecclesiam fuisse IV. saeculo aedificatam: quod epigramma etsi ad 26. Junii cap. 3. produximus atque illustravimus, idem tamen cap. V. ex integro proferemus.

Postremo etiam ex vulgaribus Actis, quamlibet insinceris, videmur posse id consequi commodi, quod Agnetis passio videatur sub Valeriano principe contigisse: de quo jam est dicendum.

CAP.

habebantur, correxisse locum lib. de Virginib.

Atqui etiam in Augustini serm. 273. legitur, *Agnes puella tredecim annorum vicit diabolum.* At hic numerus annor. videtur intrusus, quia cod. Floriacensis tantum habet, *Agnes puella vicit diabolum.* Ceterum leve anni unius discrimen consueto more conciliatur, si annos XII. Virgo impleverit, tertium decimum ingressa fuerit. Interim prior summa Ambrosii rationes juvabat, ingentes illos spiritus in tam tenera aetate demirantis: at posterior e re Pseudo-Ambrosii fuit, de ineundis cum praefecti filio nuptiis narrantis. Nam nisi exacto jam anno duodecimo tertius decimus decurreret, convenire in viri manum virgini per leges non licuisset.

(19) Cum Damaso consentit Prudentius v. 9. de *morte libera*: v. 11. de aetate adhuc tenera: v. 17. de *carnificis minis*, quas Damasus *truces minas rabiemque tyranni* appellavit.

(20) Cum Ambrosio facit idem poeta in eo quod gladio coronatam Virginem canit, quodque haec cervicem ad excipiendum ictum inflexerit. Ac videtur sine dubio ex Ambrosii lectione aliquid corrasisse Hispanus vates. Mediolanensis dixerat, *Nunc furentis mucroni militis totum* OFFERRE CORPVS: Hispanus autem, CORPVSQVE *duris excruciatibus Vltro* OFFEREBAT. Ac rursus Virgo mox obtruncanda sic eloquitur.

Ibo irruentis (percussoris) *gressibus obviam,*
Nec demorabor vota calentia:
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque ad imum vim gladii traham.

Prior ille: *Stetit,* ORAVIT, CERVICEM INFLEXIT: hic alter:

Sic fata, Christum vertice CERNVO
Supplex ADORAT, *vulnus ut imminens*
CERVIX *subiret prona paratius.*

(21) Versu 25. tyrannus ait:

Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram ni caput applicet.

Deinde versu 38. idem tyrannus *Publicitus jubet*
Flexu in plateae sistere virginem.

Quae obiter adscripsi, ut intelligas *Flexum plateae* non aliud esse, quam *Angiporti* περίφρασιν. In angiportis autem lupae istae prostabant. Cum hac circumlocutione consentit angiporti veriloquium, quod est ab *Angus* [quatenus primitivum est diminutivi *Angulus*] & *Portus* qua viam significat. Est igitur, teste Prudentio, Angiportus non aliud quam viae flexus, sive angulus.

CAP. III.

Agnetis dimicationem ad Valeriani tempora esse retrahendam, praeter dicta Cap.I. etiam ex Actis vulgaribus firmatur; idemque ex vitrei vasis pictura & aliunde comprobatur.

Quid de tempore susceptae ab Agnete coronae viri ἁγιογράφοι senserint, minime obscurum est. Baronius in Diocletianeam cladem contulit: quam postmodum Bollandus ad Valeriani & Gallieni vexationem retraxit. Huic parum creduli Ruinartus, Tillemontius, aliique citimorum temporum critici, rursus in Baronii castra concesserunt. At equidem cap. I. Adnot. 6. novas causas attuli, cur hujus Virginis victoria nequiverit sub Diocletiano contingere: ex quo sequitur, sub Valeriano consignandam. Id vero jam probabimus ex eo etiam quod in Agnetis passione, quae sub specioso Ambrosii nomine circumfertur, sic legitur apud Bolland. num. XI. *Praefectus autem* [is in superioribus *Symphronius* vocatur: nisi si malis nomine Romano, *Sempronius*] ... *vicarium* (praefecti) *ad seditionem populi judicem dereliquit: ipse autem tristis abscessit.. Tunc vicarius Aspasius nomine* [*Paternus proconsul ex Dominis & principibus suis Valeriano & Gallieno*] *jussit.. ignem copiosum accendi, & in medio eam jactari flammarum*. Ante omnia nolim heic mihi hujus passionis νοθείαν, fidemque in pluribus labantem objici. Etenim nullum est scriptoris quamlibet abjectissimi καρκίνωμα, ex quo non aliquid hauriri commodi possit. Haec ipsa passio in basilica exstructa non fallit, etsi Constantinam, quae exaedificavit, Constantini filiam facit. Et plura certe vera docet, alia non quidem funditus falsa, sed tamen misere interpolata. Itaque quum hic auctor ab Aspasio Paterno, qui proxime proconsul Africae fuerat, postea Romae vicarius, sub Valeriano & Gallieno damnatam Agnetem doceat; nihil causae est, cur ei fidem derogemus. Videtur enim nihil in eo imposturae fecisse, sed priorem aliquem commentarium secutus: quem re vera antea exstitisse, ex Maximo Taurin. qui hujus ipsius vicarii, etsi tacito nomine, meminit, cap. seq. ostendam. Nec quidquam causae scriptori fuit, cur in eo falleret, ex quo nihil gloriae in Virginem, quam ornandam susceperat, redundaret. Quid enim in eo singulare erat, sub Valeriano potius, quam sub Diocletiano decertasse? Possumus igitur hoc libenter sequi; maxime adstipulante Damaso, qui versu primo famam hujus martyrii haud recentem fuisse significat.

At enim, inquies, ea verba omnia [*Paternus proconsul ex dominis & principibus suis Valeriano & Gallieno*] quae tum heic, tum in loco supra recitato uncis interposui: ea inquam verba dumtaxat in Ms. S.Maximini leguntur, absunt autem a ceteris exemplaribus. Accedit quod vox illa *Proconsul* heic prorsus ineptit: nam qui Romae vicarius esset, is quo pacto etiam *proconsul* diceretur? An non hoc ostendit, ea verba, quae parenthesi inclusi, ab aliquo semidocto, qui ex S. Cypriani actis didicisset *Aspasii Paterni* Africae *proconsulis* sub Valeriano nomen, ea omnia in Agnetis passionem infarta fuisse: idque satis inepte: quod non solum vox *Proconsul*, sed & quod sequitur, *Ex dominis* &c. quod nihil significat, ostendit.

Respondeo, non videri librarium controversa illa verba de suo adjecisse [quamdiu certe id non aliunde probetur] sed potius antiquiorem codicem integra fide secutum. Nec illud *Proconsul* vacat, quia solebant in plenis nominum & titulorum inscriptionibus [cujusmodi plena inscriptio heic in ferenda ultima sententia necessaria videbatur] omnes antea gesti honores cumulari, ut ex marmoribus liquet. Etsi plane crediderim, primitus quidem EX PROCONSVLE [sic enim posterior aetas gestos ante honores exprimebat] fuisse scriptum: quod loquendi genus quum amanuensis mendosum [praesertim altero EX statim sequente] putaret, egregie se meriturum credidit, si remota

mota insolenti locutione, ejus loco τὸ *Proconsul* reponeret. Ac ne illud quidem, quod sequitur, *Ex dominis & princ. suis Valeriano & Gall.* nihili est; est enim non insolens ejus temporis βραχυλογία, quae tantum valet, quod *Ex jussione .. Valeriani & Gallieni*: quam jussionem in ea sententia fuisse nominatim expressam, haec Passio significat. Sicuti & S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium VII. 11. verba Aemiliani praefecti, quibus ipse in Cephron relegatus sub eod. Valeriano fuit, refert ejusmodi: *Mittemini in partes Libyae in locum, qui dicitur Cephro. Hunc enim locum* (ἐκ τῆς κελεύσεως τῶν σεβαστῶν ἡμῶν) *ex jussione Augustorum nostrorum elegi*. Id quod Latine brevius, *Ex* (22) *Augustis nostris* compendio sermonis dicere licuit. Ex his vides verba illa quae παρενθέμενα (*interposita*) recitavi, esse retinenda tamquam a priore manu profecta. Accedit quod illud *Dominis & principibus suis* consueta illis temporibus locutio erat, uti constat ex Actis S. Vincentii M. apud Ruinart. num. 2. *Cum .. Daciano cuidam praesidi gentili & sacrilego A DOMINIS ET PRINCIPIBVS SVIS Dioclet. & Maxim. saeviendi in Christianos forte occasio cecidisset*. Credi ne potest librarium locutiones temporibus proprias tam scite calluisse, ut de suo tam accommodate quae interposuimus adderet, quae in priore exemplari minime reperisset?

Verum age: id totum glossema fuerit, postea insutum. At saltem qui de suo id infersit, si minus id in aliquo idoneo monumento, quo nunc caremus, reperit [nec enim difficile est, saltem qua persecutione Agnes victrix exstiterit, quod vel sine scripto traduci ad multum temporis potuisset, olim sive Latine sive Graece fuisse alicubi scriptum] si minus id inquam reperit; at certe conjecturam verisimillimam est secutus: qua vel si codicis S. Maximini auctoritate careremus, nunc primum haud infeliciter uti liceret. Quid enim? Vicario, qui Agnetem damnavit, *Aspasio* nomen fuisse, ex Actis hisce haud spernendis discimus. Hoc autem nomen quum sit rarissimum [quippe semel in Grutero p. 854. 8. iterum in Muratorio p. 504. 8. legitur: quorum neuter huc pertinere potest] an non pronissima conjectura fuerit, hunc *Aspasium* ab *Aspasio Paterno* qui in S. Cypriani actis anno 258. Africae proconsul sub eod. Valeriano erat, non fuisse diversum? Atqui hic eodem anno, quo Cyprianus ante tribunal stetit, ex provincia discessit Galerio Maximo successore accepto. Is vero Romam ut attigit, vix est quin alios honores capessiverit. Ergo eodem anno 258. videtur Vicarius (23) praefecti factus: qui

(22) Sunt quaedam compendiosae legum citationes eo spectantes, veluti quum apud vet. ICtos *Pomponius ex Sabino* tantumdem est quod In Notis, quas Pomponius ad Sabinum scripsit. Item quum ab eisd. *Javolenus Ex Cassio*, aut *Ex Plautio*, & *Julianus Ex Minutio* citantur, non aliud significatur, quam Notae quas sive Javolenus ad Cassium & Plautium, sive Julianus ad Minutium composuerunt. Porro exemplum huic nostro [*ex dom. atque princ.* &c.] par atque germanum alicubi legisse memini, si verba tenerem, aut locum nunc designare possem.

(23) *Vicariam dignitatem fuisse Diocletiano priorem. Aspasium, a quo Agnes damnata, non praefecti praetorio, sed praefecti urbani extraordinariam vicariam exercuisse: idque non inusitatum fuisse.*

Tillemontius in S. Agnete Not. 3. hunc Aspasium qui *Vicarius* in Actis dicitur, pro Vicario praefecti praetorio Romae accepit: cujusmodi *Vicarios* sub Diocletiano primum ortos esse ex Lactantio de mort. persec. cap. 7. confirmat. Ex quo demum ostenditur, non nisi sub Diocletiano passam hanc virginem.

Atqui non nisi sub Diocletiano Vicarios praefector. praetorio audiri coepisse, falsissimum est. Exstat apud Gruterum p. 273. 5. lapis Tarraconensis, quem *Trajano nobilissimo ... Caesari* (Imp. Decii filio, posuit) *Septimius. Acyndinus. V. C.* (vir clariss.) *agens. per. Hispanias VC* [h. e. *vicarium* aut *vicariam*, suppl. *potestatem*: sicut alibi VC. AFRIC. est *Vicarius Africae*] *et. vice. sacra. cognoscens* &c. Lactantius ipse non tunc primũ vicarios exortos dicit, sed multiplicatos conqueritur, ita ut *pro-*

qui etiam postea anno 264. praefecturam ipsam urbanam iniit, tribus annis ab eo gestam, ut ex indice (24) praefectorum Vrbis Bucheriano constat. Ergo si ponimus, Aspasium [*Paternum* illum utique, de quo in Cyprianicis actis] exeunte anno 258. exercuisse Vicariam praefecturam; ex eo etiam annus passionis Agnetis constabit, nim. mense Januario anni 259.

Hactenus dictis si ea adjungas, quae cap. 1. Adnot. 4. de eo disputavi, quod Damasus Agnetem sub antiquiore aliqua persecutione decertasse significet; spero de tempore & anno victoriae Agnetis hactenus constabilito parum ambigi posse.

His postremo addi & illud potest quod in vitrei vasis pictura, quae a Philippo Bonarotio in Vitr. coemet. tab. XXI. num. 1. exhibetur, B. Agnetis coma ita prorsus undulata atque disposita cernitur, ut in iis imperatricibus quae ab Alexandro Severo ad Gallienum usque in nummis exhibentur. Nam domus Augustae in comendo capillo morem ceterae passim matronae, uti nunc fit, sequebantur. Etiam si vero vas illud posterius tertio saeculo fuerit; tamen in depingendis Sanctis ab antiquo more posterior aetas non solebat recedere.

C A P. I V.

De vulgaribus Agnetis Actis, deque Sermone S. Maximi. De utriusque scripti aetate & pretio judicium.

Post Damasi, Ambrosii, atque Prudentii elogia exstant scripta duo longiora quidem, sed pretii deterioris. Exstat enim Agnetis passio in modum epistolae ad Virgines sacras sub falso S. Ambrosii nomine contexta, quam & Bollandus die suo protulit, & Benedictini in Appendicem tomi 2. Ambrosiani contulerunt. Hanc nos *Acta vulgaria* vocabimus: in quibus citandis numerum sectionum Bollandi sequimur. Praeter haec circumfertur etiam sermo de S. Agnete sub nomine S. Maximi Taurinensis, tum in Appendice tom. 2. Ambrosiani, tum in Maximi operibus obvius: quem etsi Tillemontius Maximo eripere conatus est, tamen aut in hoc studiorum genere sunt intuta omnia,

provinciae in frusta concisae, multi praesides, & plura officia singulis regionib. ac paene jam civitatib. incubarent, item rationales multi, & magistri, & VICARII praefectorum. Non videtur ergo Jovius Vicarios istos primus instituisse, sed sicuti praefectos, ita pariter & eorum vicarios numero plures fecisse.

Verum age permittamus, vicarios tunc primum factos. Atqui hoc de vicariis ordinariis erit capiendum, non de creatis extra ordinem ad quaslibet emergentes reipublicae necessitates. Notos jampridem fuisse *Vicarios alieni muneris* ostendit lex 13. D. *de legationib.* & ejusd. tit. lex 4. §. 4. in quibus etsi de vicariis, quos rerumpublicarum legati pro se subrogabant, agitur; id tamen planissime ostendit, vicariorum nomen non fuisse in Romanae reip. rectoribus ignotum, unde civitates exempla petebant. Mitto de vicariis militaribus dicere, de quibus Livius, Cicero Philip. 12. Vegetius meminerunt. Vopiscus Aureliano: *Habuit ergo multos ducatus, plurimos tribunatus, vicarias ducum & tribunorum . . prope quadraginta.*

Jam vero ubi *Aspasium vicarium* audis, non de vicariis praefecto praetorio [de quorum numero is qui Italiae praeerat, Romae consistebat, ac postea fere Mediolani consedit] verum de vicario extraordinario praefecti urbani est capiendum: id quod acta haec ipsa [qualiacumque ea sint] plane ostendunt num. 11. his verbis: *Praefectus autem* (Symphronius) . . *veritus proscriptionem, si contra templorum pontifices ageret . . Vicarium* (qui mox Aspasius vocatur) *ad seditionem populi Judicem dereliquit.* Quae quidem verba quum etiam in S. Maximo (vide cap. seq.) legantur; id argumento est, ea in Actis antiquioribus, quam quae nunc sunt, ab eo lecta fuisse. Ex quibus elicitur, praefecto Vrbis hunc vicarium, ac facile extra ordinem, saltem illo temporis articulo, ut in rerum subitis fit, subrogatum fuisse.

Ac memini sane in hisce ipsis commentariis me nescio quem commonstrasse praefecti urbani vicarium. Atque illud quoque memini *vicariam* praefecturae urbanae alicubi ab Ammiano memorari. At ea nunc rimari loca molestum est, nec otium suppetit.

(24) In quo ad annum 264. legitur: *Gallieno VI. & Saturnino* (Coss.) *Paternus P.V.* Ad ann. 265. *Valeriano II. & Lucillo. Paternus P.V.* Ad ann. 266. *Gallieno VII. & Sabinillo. Paternus P.V.*

omnia, aut quod mea fert (25) opinio, Taurinenſi praeſuli certiſſime eſt aſſerendus: quem jure merito ſub ejus nomine laudabimus, ſed ſectiones Appendicis Ambroſianae ſequemur.

Jam vero ut a poſteriore ordiar: Maximi ſermo mire in rebus omnibus cum vulgaribus actis conſonat; imo, quod magis mirandum eſt, interdum eiſdem (26) verbis utitur. Nunc illud ſcire intereſt, actorum ne ſcriptor ex Maximo hauſerit, an ex actis hodiernis Maximus? Mihi videbatur initio hic ex actis ſermonem ſuum locupletaſſe; ut qui ad Acta digitum intendit num. 9. *Pater vero*, inquit, *ſuſcitati filii triſtis abſceſſit* [is eſt Symphronius praefectus] *&*, *VT LEGITVR*, *turbis furentibus vicarium dereliquit*. Quonam rogo nos rejicit Maximus citatione illa, VT LEGITVR, niſi ad Acta vulgaria, in quibus aperte id hodienum legitur num. 11. his verbis: *Praefectus autem . . veritus proſcriptionem*, *ſi contra templorum pontifices* [ad ſeditionem populum concitantes] *ageret*, *&* *Agnen . . defenſaret*, *Vicarium* (Aſpaſium) *ad ſeditionem populi judicem dereliquit*; *ipſe autem triſtis abſceſſit.* Ex quibus aperte vides, Acta ipſa quae hodiedum ſunt, a Taurinenſi citari conſueta illa formula *Vt legitur*. Conſuetam Maximo dixi, quia is in producendis Scripturae verbis τὸ VT LEGITVR amicum habet. Jam vero quum Maximus poſt ann. 465. [quo conc. Romano interfuit] ex hac vita ceſſerit; neceſſe eſt Acta vulgaria aliquanto antea h. e. ſub ejuſd. ſaeculi initia ab auctore ſuo conſarcinata. Ita quidem initio ſubducebam rationes.

Atqui ſtatim poſtea animadverti, Acta

quæ

(25) Is ſermo jampridem inter Maximi conciones fuerat cooptatus [in ultima certe Bibliotecha Patrum Lugdunenſi, quae aliquot annis Ambroſio Benedictinor. praeivit, is ſermo S. Maximo tribuitur] quando Benedictinus Ambroſii editor eum in tribus Mss. ſub nomine S. Ambroſii repertum in tomi 2. Appendice inter ſermones ei falſo adſcriptos nu. XLVIII. retulit, praefatus, adhuc ineditum fuiſſe. Ac fatetur quidem is editor, Ambroſii non eſſe: at quod eumdem ſermonem Maximo, ſicut alios aſſolet, non tribuerit, ea cauſa fuit, quod nondum animadvertiſſet eum inter Maximi ſermones jam fuiſſe admiſſum. Eumdem manu exaratum nactus eſt alicubi Bollandus; verum quia Maximi nomen non praeferebat, incerti auctoris opuſculum eſt ſuſpicatus. Eum vide p. 350. n. 2. ubi hujus concionis initium profert.

Atqui non eſt dubium, quin re vera is ſermo Maximum auctorem habuerit: idque non tantum quia membranis ducibus cum editores Taurinenſi adjudicarunt; verum etiam propter tantam ſtyli Maximiani ſimilitudinem, ut eà ſolâ indice, etiam non praeſcripto nomine, is ſermo facile parentem prodat: ita antithetis, ceteriſque Maximo familiaribus ſchematibus atque luminibus per totum perſuſus legitur. Confer, ſi lubet, ſect. 6. itemq. 9. poſt medium: ut cetera taceam. Vt mihi plane fugiſſe Tillemontiũ ratio videatur, qui [in Agnete Not. 1.] eam concionem Maximo ſine ullis ambagibus adimit. Idem vir doctus de barbarie ſermonis conqueritur: nec tamen, ecquae barbara in eo reprehendat, eloquitur. At facile illud *Sub voce praeconantis* Noſtrum offendit. Verum mitto quod verbum *Praecono* in Vet. Gloſſis pro κηρύσσω ponitur, & ut Latinum adoptatur: illud magis huc pertinet quod *Praecono* verbum Taurinenſi amicum fuit, eoq. alicubi certe utitur. Ergo hujuſmet vocis indicio Sermonem de S. Agnete Maximo adjudicabimus, qua voce nemo antea forſitan uſus legitur.

(26) Documento haec pauca eſſe poſſunt. Maximus num. 1. *Hinc eſt quod ANNVLO FIDEI Agnes ſe adſerit SVBARRHATAM*. Vbi quaeſo hoc adſerit Agnes, niſi in ea alloqutione, quae in Actis vulgarib. n. 3. legitur? *Ab alio jam amatore praeventa ſum, qui . . ANNVLO FIDEI ſuae SVBARRHAVIT me*. In Taurinenſi num. 2. legitur: *Diſcite*, *Virgines Chriſti*, *amorem in puella ferventem*, *& omnes mundi divitias* (ab amatore oblatas) *VELVT STERCORA RECVSANTEM*. Quod totidem verbis in eiſd. Actis num. 2. reperitur: *Detulerat* (amator) *pretioſiſſima ornamenta*, *quae a B. Agne VELVTI quaedam ſunt STERCORA RECVSATA*. Item Maximus num. 7. *VT NVDAM faceret trahi AD LVPANAR . . SVB VOCE PRAECONANTIS ducis*. At eadem verba in Actis num. 8. NVDAM AD LVPANAR DVCI SVB VOCE PRAECONIS DICENTIS &c. Vbi ex actis vides, Maximum leviter caſtigandum, ac ſcribendum, *Trahi ad lupanar . . ET ſub voce praeconantis DVCI*; nam illud *Duci* ex actis arripuit.

quae nunc vulgo teruntur, omnino ex anteriorib. commentariis rerum Agnetis manasse: ex quibus commentariis hic auctor [qui se Ambrosium videri voluit] se profecisse profitetur in fine actorum his verbis: *Haec ego Ambrosius servus Christi, dum in VOLVMINIBVS* (27) *ABDITIS invenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi*. Ex his igitur abditis voluminibus tum Maximus antea profecerat, tum etiam postea actorum vulgarium fabricator a se consarcinatam epistolam supposuit Ambrosio.

Atqui quo pacto, inquis, *abdita* ea erant volumina, quae antea Taurinensi antistiti patuissent? Quasi vero quae alicubi retrusa sunt, non potuerint diverso tempore a pluribus legi. Aut vero *Abdita* non aliud interpretor, quam quae Gelasius in suo decreto *Apocrypha* vocavit. Erant ea acta apocrypha, sed sensu molliore, quatenus scil. ignota sunt, & a legitimis, & ecclesiae judicio probatis distinguuntur: de qua *Abditorum* interpretatione ac notione vide inferne (28) animadversa. Ex his igitur prioribus ignotis voluminibus tum Maximus sermonem ditasse suum, tum etiam aliquanto postea Acta vulgaria consarcinata fuisse mihi sane videntur.

Cur non, inquis, ex Actis hisce vulgaribus potius sua Maximus delibaverit? Aut quid Acta hodierna vetat antiquiora Taurinensi fuisse? Quia, inquam, si Maximus Acta quae nunc sunt, legisset, illam certe illustrem visionem parentibus (h.e. *propinquis*, ut alibi exponam) ad tumulum pernoctantibus factam minime praeteriisset, quae num. 14. describitur hisce verbis. *Vident .. exercitum virginum, quae omnes auro textis cycladibus indutae cum ingenti lumine praeteribant: inter quas vident beatiss. Agnetem simili veste fulgentem, & ad dextram ejus agnum stantem nive candidiorem . . . Sed B. Agnes rogat sanctas Virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis: sed congaudete mihi..*

(27) In Erasmi codice pro *Abditis* legebatur *Divinis*, teste Tillemontio Not. 2. qui tamen id improbat, tamquam *un terme tout a fait insoutenable*. At si vera ea lectio sit (etsi quo pacto vera, cui ceteri Mss. & editi refragantur?) at si vera esset; eo pertineret, quod antiqui martyrum passionibus dignitatem libris Divinis prope parem tribuebant. Lege prae ceteris antiquam praefationem praefixam Actis SS. Perpetuae & soc. ubi notanda sunt verba illa, *Ad INSTRVMENTVM Ecclesiae deputamus* eas visiones Perpetuae oblatas, ejusque gesta. Augustinus quoque eadem Acta sic citat, quasi is liber DIVINAE REVELATIONES inscriberetur. Alia hujus rei documenta me retulisse olim in schedas memini.

Nec morarer, quin initio forsitan scriptum fuerit *Abditivis* [ex quo deinde alius *Divinis* fecerit, ceteri, detruncato medio, *Abditis*] nisi ea vox rarior esset. Vide Plautum prologo Poenuli v. 65.

(27) Ajo igitur *Abdita* videri posse heic tantumdem quod ἀπόκρυφα. Sciebat hic auctor ex veteribus Glossis, quod Graece ἀπόκρυφος est, id Latine *Abditus* dici [sic enim sibi ea vocabula in Glossis Graeco-Latinis respondent] quapropter ad vitandam vocabuli tum peregrinitatem, tum etiam invidiam (nam *Apocryphus* vulgo solet in partem deteriorem accipi) maluit voce Latina uti.

Ceterum sensu molliore eam vocem accepit. Nam duum generum sunt Apocryphi: unum genus noxiorum est, alterum eorum, qui etsi publicae auctoritatis αὐθεντίᾳ careant, sunt tamen utiles ad legendum. Praecipue ubi de martyrum gestis agitur, apocrypha illa in universum sunt, quae neque ex actis judicialibus contexta sunt, nec proxime ex illis manarunt, nec verum auctoris nomen ostendunt. At horum duo possunt genera exsistere, unum eorum quae noxia aut falsa continent; alterum eorum quibus vera narrantur & pietas consovetur, sed quia publice in Ecclesia non leguntur, in privatorum tantum forulis *abduntur*: a quo ἀπόκρυφα (*abdita*) dici placuit. Hac posteriore notione *Abdita* hoc loco accipi censeo. Ac simul mecum observabis ἀπόκρυφα non inde proprie dici, quod eorum auctor lateat [sunt enim ceteroqui scripturae canonicae plures, quarum tamen auctor ignoratur] sed quod non in publicis Ecclesiae pluteis prostent publice proposita, verum *abdita* in privatis bibliothecis jaceant. Ea mihi videtur origo vera vocabuli, de qua tamdiu decertatum fuit.

hi .. quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi ; & illi ſum juncta in caelis , quem in terris poſita, tota animi intentionem dilexi . Et his dictis pertranſiit . Hoc ſane oſtenſum Maximus gemmis & auro mercatus eſſet, ut ſermoni ſuo , quo virgines hortatur, ad finem adtexeret; nihil enim aptius ſcopo praeſulis erat . Quod quia praeteriit , eam viſionem ignoraſſe proditur ; nec eam , aut quae de Conſtantia pari viſione a morbo recreata adduntur , in geſtis , quae vidit reperiſſe.

Porro ut rem in pauca contraham : *Abdita volumina* illa , ex quibus ſe profeciſſe vulgarium actorum ſcriptor profitetur , duo erant : quorum unum Agnetis paſſionem , ac forſitan etiam ſecutam Emerentianae caedem ac ſepulturam complectebatur ; alterum autem viſiones poſtea ſecutas , tum propinquis ſcil. tum etiam Conſtantiae oblatas , & conſtructam ab hac Eccleſiam (nempe a num. 14. ad finem vulgarium actorum) continebat . Horum antiquiorum voluminum prius tantum Maximus vidit , ad quod digitum intendit ubi de praefecto ait , *Triſtis abſceſſit, &, VT LEGITVR, turbis furentibus vicarium dereliquit*: at poſterius ad manus non habuit, non omiſſurus ea, quae ad rem ſuam maxime convenirent, ſi habuiſſet . At actorum quae hodie terimus auctor ex utroque commentario, antiquiore uno, altero paullo recentiore, continentem unam hiſtoriam pertexuit : Quam in hiſtoriam quia plurima eiſdem verbis, ac repererat in antiquiore , tranſtulit , hinc nihil mirandum, ſi Maximus qui ex eadem illa vena potaverat , in nonnullis locutionibus cum hodiernis Actis conſentiat : quod ſaepe iis accidit , qui ex eodem communi fonte hauſerunt.

Duo ſunt igitur ex eadem illius antiquioris commentarii (qui utinam exſtaret) ſcaturigine rivuli propagati, nim. Maximus & Acta vulgaria : ex quibus rivis , Maximi quidem aetatem probe tenemus : at quam mox Acta hodierna prodierint, id vero prae primis obſcurum ajo . Tamen videamus num qua via palpando e tenebris queamus emergere . Nam ex voculis illis,*In voluminibus ABDITIS* , affulgere creperae lucis aliquid videtur . *Abdita* enim pro *Apocryphis* (notione tamen molliore) accepta fuiſſe, modo ſuſpicabar,de quo confer etiam Adnot. ſuperiorem . Id ſi eſt (nec enim praeſtare queo) conjicere poſſumus , aliquamdiu poſt Gelaſianum de libris decretum h. e. ſexto decurrente ſaeculo , hodierna acta fuiſſe contexta de quo inferne (29) animadverſa conferas cenſeo .

Ceterum nolim ex modo expoſita tantum conjectura aetatem vulgarium Agnetis actorum aeſtimes : Nam & eodem cetera conveniunt . Poſt VI.enim ſaeculum non potuiſſe haec Acta conſcribi , ex

(29) Nam poſt Gelaſianum illud decretum, quod incipit, *Sancta Romana*, ſacrarum hiſtoriarū *κρισις* ſeverior in noſtris ſaltem partibus introducta fuit. De martyrum enim actis ſic ibi legitur . *Item Geſta SS. martyrum, quae MVLTIPLICIBVS tormentor. cruciatibus, & MIRABILIBVS confeſſionum triumphis* [notabis illud *Multiplicibus* & *Mirabilibus* ; nam id genus paſſiones magis ſuſpectae videbuntur] *irradiant . . . ſingulari cautela in Rom. Eccleſia non leguntur ; quia & eorum qui conſcripſere nomina penitus ignorantur ; & ab infidelibus, & idiotis ſuperflua aut minus apta , quam rei ordo fuerit , eſſe putantur . Sicut Quirici cujuſdam & Julittae , ſicut Georgii aliorumque ejuſmodi paſſiones . . . Propter quod , ut dictum eſt , ne vel levis ſubſannandi oriretur occaſio , in S. Rom. Eccleſia non leguntur . Nos tamen cum praedicta Eccleſia omnes Martyres & eor. glorioſos agones, qui Deo magis quam hominibus noti ſunt , omni devotione veneramur .*

Adhaec *Apocryphorum* nomen poſt illud decretum audiri frequentius,imo forſitan & praenotari libris ad cautelam coepit . En igitur quo forſitan illud , *In voluminibus ABDITIS* pertineat : nempe ut hodiernae hiſtoriae ſcriptor , Eccleſiae decretis obſequens , ſedulo declaret , ex quibus fontibus hauſerit . Id vero mirabile , quod qui ſe in eo tam egregie religioſum videri affectavit , minime tamen dubitavit & haec vera ipſa Ambroſio tribuere [*haec ego Ambroſius ſervus Chriſti , dum in voluminibus abditis inveniſſem* &c.] & hanc ipſam totam hiſtoriam in modum epiſtolae , veluti ab Ambroſio ſcriptae , foras emittere. Sic enim tunc homines erant .

ex eo apertiſſimum fit, quod S. Aldhelmus, (qui ſexto exeunte ſaeculo claruit, & ad initia uſque ſeptimi vitam produxit) ſine ulla controverſia hodierna acta ad manus habuerit, ex iiſque omnia ea hauſerit, quae tum de hac Virgine, tum de Conſtantia eccleſiae Agnetis fundatrice ſcripſit. Habes, cur VI. ſaeculo poſteriora eſſe nequiverint Agnetis acta. At eadem non ante VI. ſaeculum aut quinti exitum prodiiſſe, non tantum ſuperius dicta ſuadent, verum etiam Conſtantiae Auguſtae narratio, quae ineunte VI. ſaeculo, aut ſummum exeunte quinto diſſipari ac ſcribi coepit: de qua vide cap. ſeq. & ad 26. Junii. Accedit quod ab VI. ſaeculi captu & indole dictio in pluribus non abludit. Nam etſi bene multas in iis reperias notae melioris (30) locutiones (quas ab illis duobus commentariis eo redundaſſe, vix eſt dubitandum) tamen dictio cetera, imo & nonnumquam (31) orthographia ab VI. ſaeculi ingenio haud ferme recedit.

Porro quae acta hodie contrectamus, ea non mala fide, nec impoſturae ſtudio fuiſſe contexta, vel illud arguit, quod auctores prodantur, in quibus illa ipſa legebantur. Niſi quod ſicuti prior auctor apocryphus (ſive *Abditus*) Damaſiana, Ambroſiana & Prudentiana in majus ex vulgi narrationibus auxerat; veriſimile eſt etiam hodiernae paſſionis ſcriptorem pari decorandae Virginis praepoſtero ſtudio inflammatum, haud ſegnem fuiſſe in adjunctis quibuſdam, quae quidem putaſſet veriſimilia, de ſuo adjiciendis. Quod ſi haec acta vulgaria ad trutinam expendas, facile reperies, hiſtoriam non eſſe funditus falſam, ſed ex veris partim male intellectis (cujuſmodi verbi cauſa eſt illud *Urere flammis* Damaſianum) partim pia, uti perſuaſum habebant, aemulatione, ex veriſimili auctis & interpolatis coaluiſſe: quod unicuique patebit ſingula hodiernae paſſionis capita cum Damaſianis, Ambroſianis, & Prudentianis [quae ſimul omnia cap. 2. propoſuimus] conferenti. Fortaſſis impoſturam in eo redargues, quod auctor, de quo tamdiu loquimur, epiſtolam ſuam S. Ambroſii nomine evulgaverit. Fateor quidem: nec enim ea defenſione utar, quam alicubi reperio, quaſi alius quidem Graecus Ambroſius verus (32) auctor hujus opuſculi fuerit. Verum de fraude fateor: at fraus tamen

(30) Pauca depromam ad ſpecimen. Elegans illud eſt n. 5. *Miſſa apparitione* a praefecto ſcil. Sic enim ſaeculo IV. & V. pro *Apparitoribus* uſurpabant. Item illud num. 11. *Omnes .. clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quae & mentes immutat, & alienat animos*. Itemque num. 12. *In guttur ejus gladium mergi praecepit*. & alias plures, & illas in primis, quas haec hiſtoria cum Maximo habet communes locutiones.

(31) At quod num. 10. praefectus cum Agnete expoſtulat: *In filium meum voluiſti apodixin tuae artis magicae demonſtrare?* pro *Apodixin* (Gr. ἀπόδειξιν i. e. *ſpecimen*) in editione quam Benedictinus editor Ambroſii dedit, exhibet *Apodixen*: & alii paſſim ſic uſurparunt, quaſi ſit a recto *Apodixes*: quo modo Papias & alii rectum efferunt caſum, & obliquos eadem analogia aevo ſequiore uſitatos. Et credo Bollandum ſic etiam in ſcriptis reperiſſe, ſed correxiſſe *Apodixin*. Hoc eo dixi, quia ſi re vera hujus paſſionis Agnetis auctor *Apodixen* cum E in fine ſcripſit, ut in Mss. exhibetur, eo uno ſe prodit, huic ſcripto non dediſſe operam ante VI. ſaeculum, quo primum & uſus hujus vocabuli, & quidem prava inflexione, reperitur. Mitto alia ejuſd. aetatis indicia.

(32) Ad marginem hujus epiſtolae de B. Agnete Ambroſio adſcriptae, & in Vaticano codice deſcriptae ſic reperiri notatum a Joanne Bandino, teſtatur editor Ambroſii Benedictinus in praefatione quam tom. 2. ſpuriis Ambroſii epiſtolis praemiſit: *Non eſt Ambroſii Mediolanenſis, ſed alterius cujuſdam Ambroſii monachi, qui hunc ſermonem Graece ſcripſit. Exſtat* (is ſermo Graecus) *in Biblioth. Vaticana; & poſtmodum in Latinam linguam converſus eſt ab alio*. Hanc equidem cenſuram miror aut Benedictino Ambroſii editori placuiſſe, aut viſam eſſe dignam, quam Tillemontius Not. 2. referret. Nihil enim, ſiquid video, hoc judicio ſiniſtrius eſſe poteſt. Nam epiſtolam iſtam Latine primum non Graece prodiiſſe, dictio ipſa αὐτοφυὴς, ac nihil de Graeco ſubolens clamitat. Deinde id multo fit certius ex iis locutionibus, quas Sermo S. Maximi cum hac epiſtola com-

tamen ea pia auctori suo visa fuit: quam sexcentos pio, ut sibi quidem videbantur, consilio antea admisisse, millies in his commentariis admonuimus.

Et constat certe hodiernis actis in pluribus rebus pretium; in primis autem quod virginem ab *Aspasio* [verisimillime illo, cui cognomen Paterno fuit sub Valeriano & Gallieno Augg. ut cap. superiore diximus] damnatam prodidit; quodque de Constantina auctore ecclesiae S. Agnetis ea scripserit; quae cum altero Damasi epigrammate haud incommode committuntur: de quo jam pauca dicemus.

CAP. V.

Pars Actorum altera illustratur, & circa ecclesiam, quam Constantina Agneti aedificavit, cum altero Damasi epigrammate componitur.

Pars posterior Actorum, uti cap. sup. diximus, ex sejuncto alio antiquiore commentario decerpta fuit. Haec vero pars fundatam a Constantina ecclesiam pro scopo ultimo propositam sibi habet: ad hanc autem per alias aliis temporibus oblatas visiones munit sibi viam.

Sic ergo post narratam S. Emerentianae caedem, hic sexti ineuntis saeculi scriptor num. 14. incipit: *Cum igitur PARENTES B. Agnetis* [porro *parentes* in hac tota narratione non tantum genitores, sed ex usu ejus aetatis omnes propinquos, totamque *parentelam*, uti tunc loqui amabant, intellige] *assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum ejus, vident . . exercitum virginum:* & quae sequuntur, quae cap. superiore ante medium recitavimus.

Haec vero pulcherrima Agnetis *Visio quum ab omnibus, qui viderant* vulgaretur; ad aures Constantiae [sed corrigendum est, uti dicemus, *Constantinae*, tum heic tum in sequentibus] perveniens, eam impulit, ut recuperandae sanitatis gratia ad Agnetis tumulum supplex procumberet. Quo facto obdormiscens, Agnetem audire visa fuit haec monentem, si in Christum crederet, protinus sanitatem consecuturam. Fides promissis stetit. Haec quidem num. 15. narrantur. At quae mox sectio 16. de Constantino Aug. Constantiae patre, & fratrib. imperatoribus refert, ea castigatione indigent, ut ad 26. Junii monuimus.

Verum summa totius historiae eo tandem redit, quod non nisi ab hac Constantina S. Agnetis ecclesia, quae via Nomentana visitur, exaedificata fuerit. Hanc vero narrationem Damasus epigrammate altero (quod exstabat antea in S. Agnetis aede (pulchre contestatur: quod elogium etsi ad 26. Junii pag. 740. deprompserim atque illustraverim, non pigebit heic denuo adscribere.

Constantina Deum venerans, Christoque dicata,
Omnibus impensis devota mente paratis,
Numine divino multum Christoque juvante,
Sacravit templum victricis virginis Agnes:
Templorum quod vicit opus, terrenaq. cuncta
Aurea quae rutilant summi fastigia tecti.
Nomen enim Christi celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem,
Invectus caelo, solusque inferre triumphum,
Nomen adhuc referens, & corpus & omnia membra,
A mortis tenebris & caeca nocte(38) *levata.*

Di-

communes habet; & quod quaedam hinc [aut potius ex communi fonte, ut alibi diximus] Maximus citet, cum formula sollemni VT LEGITVR. Quam vellem aliquis Graecum sermonem a Bandino indicatum produceret: pro certo enim spondeo, illum aut meram Graecam interpretationem Pseudo-Ambrosii esse, aut [si non sit interpretatio] continere dispares narrationes, magis fortasse Graecis consentaneas, quam Latinis.

Nam, ut obiter dicam, Graeci hanc martyrem non ferro (ut Ambrosius, Prudentius, & Acta vulgaria) sed rogo, in quem ultro prosilivit, absumptam narrant. Adhaec acta vulgaria Agnetem prorsus nudam in lupanar pertrahunt, at Graeci uno tantum indumento velatam. In ceteris autem perparum Menaea ad 21. Januar. ab Actis vulgaribus Latinis dissident.

(38) Istud *Levata* non cum vicino *Nocte* jungitur, sed ad illud superioris versus (*Corpus &*

Dignum igitur munus, Martyr devotaque Christo,
Ex opibus nostris per saecula longa tenebis.
O felix virgo memorandi nominis Agnes.

Jam vero in hac tota narratione plura notanda sunt. I. Quae S. Agnetis aedem construxit, ea non *Constantia* (ut quidem in hisce S. Agnetis actis, & in Mrologiis, & alibi scribitur) sed *Constantina* ex irrefragabili Damasi testimonio vocabatur. Apud quem non tantum CONSTANTINA scriptum fuit, nec aliud versus patitur; verum & hoc ipsum acrostichis elogii exhibet. Nam primae quaeque litterae hoc efficiunt: CONSTANTINA DEO, supple *templum dicavit.* In hanc scripturam consentit vetustissimus actorum SS. Joan. & Pauli codex Corbejensis, in quo haec femina semper *Constantina* scribitur, ut ad 26. Jun. Adnot. 519. notavimus. Ceterum sicuti aevo sequiore *Constantini* et *Constantii* nomina millies alternabant, sic etiam *Constantinae* atque *Constantiae*.

II. Eadem Constantina *Christo dicata* quum dicitur, aperte virgo Deo sacra significatur (ut ad 26. Jun. p. 740. & Adnot. 526. ostendimus) in quod etiam Acta vulgaria consentiunt.

III. Quod Constantinae morbum atq. sanationem siluerit heic Damasus, narrationem illam totam, quam supra ex Actis contraximus, suspectam reddit. Forsitan, quia parum certa & constans ejus rei fama erat, ea de causa vir gravissimus ea supersedendū putavit. Esto. At saltem quod idem vir summus nec *Augustae* titulum usquam expresserit, nec de patre Augusto fratribusq. Augustis meminerit: in eo [si quidem re vera illa eo fastigio emicuisset] ecqua Damaso venia dari potuisset? Adde quod non obscure significat, aedem privatae unius nisibus fuisse constructam, dum v. 2. canit: *Omnibus impensis devota mente paratis*; quae μικρολογία prorsus indigna principe femina fuisset. Cave ergo Actis vulgaribus credas narrantibus Imperatorum impendiis eam ecclesiam excitatam fuisse. Fuit ergo haec Constantina ex privatarum sed tamen nobilium feminarum numero; aut ad summum domum Augustam propinquitate generis contingebat, remotiore tamen, quam ut Augusta dici posset.

IIII. Quia tamen fuit eod. tempore *Constantina* altera *Augusta*, Galli Caesaris uxor (quae re vera tum Constantini M. filia, tum imperatorum postea secutorum soror erat) utraque Constantina apud seram posteritatem in unam coaluit. Confusionis vero hujus ea potissimum vera causa fuisse mihi videtur, quod Galli uxor via Nomentana ad S. Agnetis se tumulari voluerit: de quo aliquid tetigit Ammianus; ad quem vide doctas Valesii animadversiones. Hinc posteris ea demum Constantina, quam ad S. Agnetis sepultam scirent, visa templi fundatrix fuit: quae tamen re vera & Augusta ipsa, & Augusti filia fuit, sed tamen nec templi auctor, nec Virgo Deo sacrata fuerat. Haec quidem ad 26. Junii [toto cap. 3. pag. 737. & seq.] copiose eliquavimus, & ex castigatis SS. Joan. & Pauli actis confirmavimus: quae heic levi brachio refricuisse satis superque fuerit.

V. At enim, inquis, quo pacto hanc narrationem, quemadmodum ea in actis Agnetis vulgarib. refertur, cum tempore passionis Agnetis conciliabimus? Nam si ea Virgo sub Valeriano circ. ann. 259. dimicavit; multum sane temporis inde ad datam Ecclesiae pacem sub Constantino interfuit. Et tamen in hodierna Agnetis historia num. 15. scribitur accidisse, *Ut post aliquantos annos* (a visione illa celeberrima *parentibus* oblata) *ad Constantiam* (sive potius *Constantinam*) *Constantini Aug. filiam* hoc factum ab his qui viderant

& omnia membra) refertur. Vult autem Christum post resurrectionem non tantum idem *NOMEN* ex sepulcro *retulisse*, sed & verum (non φανταστικόν) *Corpus*, *& omnia membra* *levata a mortis tenebris & caeca nocte* sepulcri. Qua quidem λεπτολογία haud dubie Manichaeos, Valentinianos, aliosque φαντασιοδοκήτας impetit.

derant narraretur &c. Quis autem sibi persuaserit, Virginis parentes ab Valeriani regno ad Constantini usque imperium vitam prorogasse, ut ea quae viderant, Constantinae narrarent? Atque haec potissimum difficultas magnum Baronium impulit, ut Agnetis martyrium ad tempora Diocletiani differret.

Verum his respondeo, in ea potissimum narratione tota, quae a num. 15. incipit, ita omnia gravissimis naevis esse referta, ut frustra sit ex singulis rerum aut verborum circumstantiis velle argumenta capere: quum satis superque sit hoc tantum Actis vulgaribus assentiri, S. Agnetis aedem a quadam Constantina erectam; ceteris interim susque deque habitis. Verum fac ea, quae proxime adscripsimus, & quae ibid. sequuntur, vera esse omnia: at I. *parentes*, uti supra ostendimus, non sunt soli genitores, sed tota propinquitas. II. Inter eos propinquos, qui visioni interfuerunt, plures aequales aut juniores S. Martyre fuisse verisimile est; ac proinde ad Constantinae aetatem pervenisse, eique visiones, de quibus agitur, narrare potuisse. III. Nec statim a passione Agnetem propinquis exhibuisse illam celeberrimam visionem necesse est, sed facile post aliquot annos. IV. Nec postremo necesse est, a Constantina, postquam eam visionem ab illis parentibus rescisset, atque Agnetis ope convaluisset, illico erectam fuisse ecclesiam; imo eam tamdiu exspectasse oportuit, donec pax affulgeret Ecclesiae. Atque hoc ultimum satis videtur Damasus innuere. Ait enim, non nisi prius *Omnibus impensis devota mente paratis*, ita in aedem erigendam incubuisse. Qui etiam versu qui sequitur, videtur pacem a Christo partam significare, sic canens: *Numine divino MVLTVM Christoque juvante:* quae majus quidpiam adjumentum involvunt, quam ad meras operis impensas; nec aliud meo judicio, quam stabilem pacem, quae Christi virtute arrisit Ecclesiae, significant. Ac de S. Agnete hactenus.

FINIS SVPPLEMENTI DE S. AGNETE.

ADDITIO ad pag. 21. & ad XXII. Januarii.

De Actorum S. Vincentii sedula ac legitima reparatione. Quomodo Martyres vindicarentur. Loca Actor. obscura explicantur. Quid FIDE PLENA, Quaeve Signata veritatis verba.

De Sancto Vincentio nihil diximus, propterea quod de eo vulgata sunt omnia. Exstant ejus acta passionis pulcherrima apud Bollandum & Ruinartum, quibuscum non tantum in plerisque Prudentii longissimus Hymnus, verum & Augustini sermones complures satis consentiunt; qui sermones haud dubie ad acta, quibus hodie utimur, pluries digitum intendunt.

Tametsi autem quae dixi acta, ea judicialia non sunt; tamen statim post partam Ecclesiae pacem scripta videntur, & quidem cautione tanta, ut merito posse appellari *Legitima* mihi haud dubie videantur. Nam scriptor fidem dicendis praestruit initio num. 2. his verbis: *Cum igitur..VT MVLTORVM SINCERITAS ET SIGNATA VERITATIS VERBA TESTANTVR, Daciano cuidam* &c. Ergo auctor non tantum ad *multorum* narrantium *sinceritatem* provocat, verum etiam ad *veritatis verba signata*, annulo scil. quo tabulae signabantur; aut vero manu subscripta: qua etiam interdum notione verbum *Signo* accipi solet.

Quae, inquis, tanta diligentia hujus scriptoris fuit, ut testimonia ab iis qui viderant signata exigeret, ex quorum fide historiam contexeret? Atqui quorsum haec sint accipienda paullo altius repetito sermone exponam; est enim hic locus, siquis alius, animadversione dignus.

Martyres fuisse antea *vindicatos*, quam fidelium cultui exponerentur, ex S. Cypriano alibi notavimus. At qua ratione vindicarentur, nullusdum expedivit. *Vindicari* quis dicebatur, quando legitimo (illius potissimum ecclesiae, quae martyris reliquias adservabat) judicio verus Christi Martyr declarabatur. Ad id vero comprobandum nullis quidem documentis aliis undecumque corrasis opus fuit, ubi exsta-

exſtabant Acta judicialia a praeſidibus confecta: ex quorum tabulariis Chriſtiani exempla deſcripta non ſine pecuniae largitione petebant: quibus tum ad vindicandos Chriſti teſtes uterentur, tum etiam ad Chriſtianorum ſolatium & publicas in coetibus Eccleſiaſticis lectiones.

At vero poſtquam in ultima Diocletiani vexatione id ſuboluit (nec enim poterant id non gentiles animadvertere, quandoquidem inter ſacros Chriſtianorum codices, quos undecumque corraderent, Actorum hujuſmodi uberrimam ſegetem deprehenderant) hunc martyribus honorem erepturi, haud raro in Acta referri quidpiam vetuerunt: id quod tum alibi legiſſe memini, tum in hujus ipſius paſſionis prologo, qui ſic incipit. *Probabile ſatis eſt ad gloriam Vincentii martyris, quod de* (34) *ſcriptis paſſionis ipſius geſtis TITVLVM* (ſupple *Martyris*) *invidit inimicus*. Quorum verborum ea mihi videtur eſſe ſententia: *Quod inimicus Vincentio* (martyris) *titulum, de ſcriptis paſſionis ipſius geſtis* (derivandum) *inviderit, hoc ipſum maxime probabile eſt ad illi martyris gloriam* arrogandam. Sequitur. *Vnde reddimus fide plena relationem geſtorum, quae litterarum apicibus annotari judex non immerito noluit, quia victum ſe erubeſcebat audiri. Naturalis ſiquidem providentia eſt male errantium, auferre de medio teſtimonium veritatis*.

Ex his vides non aliam ob cauſam geſta paſſionum confici praeſides vetuiſſe, quã ne quid inde honoris in mortuos, neve titulus Martyris redundaret. Ei vero malo ut occurrerent Chriſtiani, geſta illa quibus poſſent modis colligere ac reparare ſatagebant. Id quidem ubi privatus aliquis ſuopte inſtinctu aggrederetur, corradendis tantum ſingulorum, qui interfuerant, narrationibus contentus erat. At ubi id publico eccleſiae conſilio [quo ſcil. martyr vindicaretur] fiebat; tum vero eorum, qui praeſentes fuerant, teſtificationes non ſatis validae putabantur, niſi etiam eorumdem ſubſcriptionibus firmarentur, aut ſaltem annulis ſignarentur, quo teſtimoniis legitimum robur accederet. Ex iis vero teſtificationibus etiam Martyrum poſtea contexebantur legitimae hiſtoriae. Vides profecto quo illud pertineat quod in hac Vincentii paſſione in prologo auctor proloquitur: *Vnde reddimus FIDE PLENA relationem geſtorum* &c. (certe *fide plena*, utpote ex teſtimoniis ſignatis collectam) quove inſuper illud num. 2. pertineat, *Vt multorum ſinceritas & SIGNATA veritatis verba teſtantur*.

Quare jure merito Vincentii Acta pro legitimis, & Eccleſiae judicio comprobatis habenda eſſe, non eſt dubitandum. Quidni autem legitima eſſent, quae non tantum in Hiſpaniis, verum etiam in Hipponenſi eccleſia lecta fuiſſe, teſtatur Auguſtinus ſerm. 274.? ubi de Vincentii actis ſic loquitur: *LONGAM LECTIONEM audivimus* (& praelonga certe haec paſſio eſt).. *patienter audiſtis, diu ſtando & audiendo* &c. Et ad plurima ſine dubio horum Actorum loca, jam antea recitata, paſſim in ſuis de Vincentio ſermonibus auditores remittit: quae loca jam ante a Ruinarto ſedulo notata fuerunt.

PAG. 22. *ad* 24. *Januar. poſt ver.* 9. *adde*. Atqui poſtea in Praefatione ſuperſedimus de marmoris orthographia ſcribere, id alibi praeſtituri.

PAG. 28. *in fine diei* 28. *Januar. adde*. Hujus S. Ephraemi vitam ab anonymo Syro ſcriptam Illuſtriſſ. Joſephus Aſſemanus Biblioth. Vatic. praefectus Syriace ac Latine edidit ac notis eruditiſſ. illuſtravit tom. 1. Biblioth. Orientalis pag. 25. & ſeq.

(34) Male in Bollando *Deſcriptis* junctim editum fuit: quae lectio nihili eſt. Nam ſi *deſcriptis geſtis* dandi caſu accipiatur; quid ſibi vult *Invidere titulum deſcriptis geſtis ejus*? Aut quomodo titulus invidebatur geſtis, quae ne ulla eſſent, providerat inimicus? At ſicuti *Timere ab aliquo* dicebatur; ſic ſcriptor iſte uſurpavit, *Invidere Vincentio titulum* (Martyris) *DE* (*De* ſcil. pro *A*) *SCRIPTIS geſtis*. Aut vero ſic: *Titulum de ſcriptis geſtis redundaturum*.

Ephraemum vir amicissimus ann.373.die sive 9. sive 19. Junii ad caelum migrasse contendit pag.54.De ejusd.vero festo pag. 55. accurate sic scribit: *Colunt Ephraemi memoriam Graeci quidem ac Maronitae die 28. Januarii . . . Latini die 1. Februarii, Jacobitae die 28. Januar. 19. Febr. 8. Martii, 14. Maii, & 15. Junii . . . Nestoriani Fer. VI. post Dominicam V. ab Epiphania*; cum aliis scil. Syris doctoribus. Mitto cetera praeclarissima, quae de tanto Doctore affert.

ADDITAMENTA
MENS. FEBRVARII.

ADMONITIO AD DIEM I. FEBR.

Pag.31.col.2.v.7. pro iis verbis: Natalis nota NON NISI Sanctis die non suo cultis praeponitur: *repone sic*: Natalis nota VIX ET AEGRE ALIIS QVAM Sanctis die non suo cultis praeponitur. *Cur eo temperamento prior illa ἀπόφασις sit mollienda, ea est ratio, quia etsi in hoc Kalendario solet plurimum diebus suis* DEPositio *aut* PASsio *praeponi, diebus vero non suis plurimum τὸ* NATale *praescribitur; tamen quia τὸ* NATale *commune omnibus festis anniversariis est (quod millies ad nauseam inculcavimus) potest interdum etiam diebus θανασίμοις praemitti. Tunc enim intelligendum erit* NATale PASsionis:*quod bis in his fastis mense Augusto reperitur. Ceterum cur SS. Trypho & Respicius mihi videantur alio re vera die quam Kalendis Febr. coronati, dicetur a me in sequenti Commentario cap. 3. num.4. peridonea causa.*

COMMENTARIVS

Ad acta SS. Tryphonis & Respicii.

Exstant horum martyrum Acta egregia & praeclarissima, de Graeco (quod ex pluribus documentis comperio) in Latinum antiquitus transmissa; quae ex Octavio Cajetano Ruinartus inter Martyres Decianae insectationis edidit. Nisi quod haec etiam naevis esse deformia viri critici expostulant. At equidem quos uti naevos traducunt, eos ipsos gemmas esse inaestimabiles, ex quibus mirificum huic historiae pretium ac decus accedit, ostendi in S. Restituta ad XVI. Maii tota Adnotatione 42: qua quidem Adnotatione me eximiam his actis lucem in antecessum affudisse laetor. Quocirca possem heic ulteriore cura omni supersedere. Tamen proderit ita horum pugilum Acta cursim nunc perlustrare, ut partim ad ea quae dicto loco commentati fuimus, indicem intendamus, partim indicta adhuc plurima nunc primum afferamus in medium.

CAP. I.

Ad Sect. I. Animadversiones.

I. *An ex Actorum principio arguatur, fuisse olim eorum partem priorem alteram, nunc deperditam. Non fuisse decernitur. Acta Suriana falso Metaphrastae adscribi. Horum ex Basilii Menologio compendium. De Tryphonis arte anseraria judicium.* II. *Quo Gordiani & Philippi mentio initio Actor.pertineat. Hos Martyres sub Deciana initia jugulatos.* III. *Criticorum hallucinatio, Aquilinum pro praeside, non pro Orientis praefecto habentium. Bithyniam sub praefecto Orientis fuisse, in eaque praefectum tunc consedisse.* IV. *Actor. locus castigatur, & ingenti luce ex Graeco perfunditur.* V. *Fuisse Irenarcham urbicum magistratum ab urbium decurionibus nominandum. De diogmitis sive persecutoribus, qui sub Irenarcha militabant. APRIMAE civitatis aenigma dissolvitur. Apameas in eadem praefectura plures, numerali cognomento distinctas.* VI. *Cur persecutio dicitur a praefectis indicta.* VII. *Aenigma alterum τῶ MEETEM expeditur.*

Quum sectionis I. singula prope verba miris aenigmatibus aut locis animadversione dignissimis scateant; non ab re erit eam saltem sectionem huc integram adscribere.

Actorum

Actorum SS. Tryphonis & Respicii. Sectio I.

Mortuo Gordiano Caesare & successore ejus Philippo, cum regnaret Decius; relatum est Aquilino praefecto Orientis, quod scientiae divinae cultura potissimum haberent erga sanctos Tryphonem atque Respicium; non enim latere poterant, quoniam aliquot annos per donum & gratiam Dei praediti erant variis meritorum virtutibus. Missis igitur ex officio apparitoribus rapti sunt a Frontone pacis principe Aprimae civitatis, qui exierat ad exquisitionem sanctorum cum persecutoribus. Hoc autem erat indictum a praefectis. Quos inventos tradiderunt militibus, qui ligaverunt eos, & traxerunt in Civitatem Meetem, ibique in carcerem missi sunt ab Aquilino praefecto, qui a publicis negotiis fuerat occupatus. De eis magna fama volitabat, quod essent Deo Christianorum digni, & in omni virtutum promotione perfecti.

I. Nunc a principio ordiar. *Mortuo*, inquit, *Gordiano Caesare* (unius Gordiani tertii meminit, quia priores duo numquam agniti in Oriente fuere) *& successore ejus Philippo, cum regnaret Decius &c.* An non satius erat ab eo incipere *Cum regnaret Decius..*? Quo enim importuna illa Gordiani & Philippi mentio pertinet? Ac sane videbatur fuisse hoc non totius historiae principium, sed tantum partis posterioris sub Decio transactae: quum forsan pars prior res sub Gordiano gestas complecteretur. Id mihi videbar elicere ex Surianis, quamvis pessimae notae (1) actis: in quibus postquam de rebus a Tryphone (nam & a Surianis & ceteris Graecorum scriptis abest semper Respicius ob eam causam, quam cap. 3. num. 1. exponam) sub Gordiano actis dictum fuisset; hac transitione scriptor utitur. *Cum autem decessisset Gordianus, Philippusq. exsecrandus & impius* (quanta ἀνισοϱησία! eum exsecratur, quem plurimi tamen pro Christiano habere nō dubitarunt) *ei successisset in imperio, & ipse quoque cito fuisset interfectus in bello adversus TROGLODYTAS* (fuit enim hoc, arbitror, ranarum & murium bellum: nam in Batrachomyomachia murem τϱωγλοδύνοντα h. e. vere τϱωγλοδύτην, sive *foraminum incolam* reperimus); *Decius post eum renuntiatur* &c. Deinde martyris prehensio & reliqua sub Decio gesta narrantur. Surianae historiae (2) compen-

 dium

(1) Prior praesertim pars ante martyrium putidissimis commentis scatet. Et tamen ea tota historia sub Simeonis Metaphrastae nomine in Surio circumfertur: falso tamen; ut ex Allatio de Simeonibus, & Catalogo (quem tom. 6. Bibl. Graec. Jo: Alb. Fabricius edidit) Graecarum vitarum constat, in quibus nihil tale Metaphrastae tribuitur: cui viro docto numquam tam iratum fuisse Apollinem, ut talia scriberet, expertus novi.

(2) In Basiliano Menologio [ex quo quae huc pertinent, frustatim exponam] Kalendae Febr. sic ordiuntur. *Tryphon Martyr ex regione Phrygiae sub Gordiani imperio ortus, a puero anseres pascebat.* Quam frequens apud Graecos id genus artis fuerit, vocabula plura eo pertinentia ostendunt. Nam & χηνοβοσκοὶ sunt *anserum pastores*: & χηνοβοσκία aut χηνοβοσία est ipsum artificium: & χηνοβόσιον sive χηνοβοσία est gregis ipsorum nomen: & χηνοβοσκεῖον [quo utitur Latine Columella] aut χηνοτϱοφεῖον est locus ubi aluntur. Agit de anserum pastione accurate Columella toto cap. 8. libri XIV. ubi & illud legitur: *Deinde non longe ab aedificio si est stagnum vel flumen, alia non quaeratur aqua: sin aliter, lacus piscinaque manu fiant, ut sint quibus inurinare possint aves: nam sine*

ista

dium in Basilii menologio exhibetur: nam Menaea videre non licuit, quae nunc ad manus non habui. Itaque uti dixi, dubitabam, an non Acta sincera, quae in Ruinarto legimus, tantum alteram historiae partem contineant. Sed me statim ipse haud (3) temere revocavi.

II. Alia ergo quaerenda est mentionis de Gordiano & Philippo ratio: quae ni fallor, talis est. Christianus ille, qui ex Actis judicialibus hanc Passionem contexuit, hoc exordio usus fuit, ut significaret, post pacem Ecclesiae (quae extincto Maximino, tantisper sub Gordiano III. & Philippo respiraverat) vexationem, & quidem omnium crudelissimam, sub Decio redintegratam. Neque hoc solum, verum & illud quoque, siquid video, praeseferre voluit, nim. hos martyres statim sub initia Deciani regni depugnasse. Nam quum Philippus sive medio anno 249, sive summum mense Augusto occubuisset; ejus successor Decius non ante regnare occepit, quam promulgatis cruentissimis edictis, in Christi servos toto orbe Romano desaeviret. Nec dubium est, quin sub anni 249. finem & sequentis initia Christiani plurimi occisi fuerint; & quin sub eadem Deciana exordia hi martyres decertaverint: id quod subjecta proxime verba significant, *Hoc autem* (nempe Christianorum exquisitio) *erat indictum a praefectis;* nuperrime scilicet; alioqui nisi proxime id fuisset indictum, eo notando abstinuisset. At quo mense aut die horum martyrium acciderit, parum liquet, uti cap. 3. adnotabimus.

III.

isto praesidio non magis, quam sine terreno, recte vivere queunt. Palustris quoque sed herbidus ager destinetur. Quae ideo adscripsi, ut appareat nullum magis idoneum reperiri potuisse ad χηνοβοσίαν locum, quam totam Apamenam regionem, amnibus Marsya, Maeandro, aliisque irriguam, ac praeterea herbidam atque palustrem: ut etiam si numquam Trypho norit anseres, tamen Graeci, qui verisimilia magis quam vera sectantur, satis impune Tryphonem effecisse χηνοβοσκὸν [*anserarium*] videantur; praesertim si in Apameno agro ea industria, uti prorsus credo, impense viguerit. Non praeter verisimile igitur in Actis Surianis sic legitur: *In vico Campsade* (Tryphon) *invenitur propter PALUDEM LACUS, qui est situs propter eum locum, anserum curam gerens.* Verisimillima omnia: utinam quis vera esse praestaret.

Sequitur in Menologio. *Vel sic tamen dum anserariam faceret, ad virtutem Deique cultum sese magnopere exercebat: unde accepto curationum dono, morbos omnes atque languores persanabat.* Arrepta ex his verbis ansa, acta Suriana hunc anserarium simul medicum fuisse, ne non aliquid receptis narrationibus adderent, pulchre docent. Pergit. *Sanavit autem & imperatoris filiam a daemone obsessam, ipsumque sub nigri canis specie demonstratum compulit, uti suas dolosas artes palam confiteretur: quod multos ad Christi fidem pertraxit.* Hactenus quae sub Gordiano acciderant: post quae ad Decii principatum transit. *Postmodum Decio imperante ab Aquilino praefecto* (non *praeside*; nam ἐπάρχου vocabulo utitur) *tentus, Nicaeam vinctus perducitur. Ibi primum equis indomitis alligatus, per loca invia tempore hiberno raptatur: mox nudus ferreis clavis imponitur: deinde lampadibus latera adustus, capite obtruncatur.* Quae posteriora satis cum actis sinceris consentiunt; a quibus ne Suriana quidem ea parte discedunt, nisi quibusdam additis circumstantiis, quae passionem magis admirabilem facerent.

(3) Nullam fuisse unquam horum Actorum priorem partem, hisce de causis arbitror. I. Non tantum Octavii Cajetani exemplar, sed & Vallicellanum Ms. a Ruinarto collatum haud secus indidem incipiebat. II. Deinde Sectio I. quam integram adscripsimus, satis multa habet, quae ad transactam sub Gordiano vitam pertinent [cujusmodi illud est, *Non enim latere poterant* &c. itemque in fine, *De eis magna fama volitabat* &c.) quibus periochis auctor abstinuisset, si de eisdem dedita opera priore parte scripsisset. At eadem frustra obiter inserta satis admonent, hos sanctos etiam sub Gordiano fuisse celebres. III. Hinc Graeci posteriores ea quae modo dixi generalia elogia, adjectis variis interpolatis sui temporis narratiunculis, in prioris cujusdam historiae formam pro captu ingenioque suo redegerunt. IV. Quod tamen ut facerent, prima ipsa horũ actorum verba, *Mortuo Gordiano* &c. iis ansam praebuerunt: per quae scil. sese excitatos senserunt, ut, quibusdam vulgi rumusculis undequaque corrasis efficerent, ne prior altera pars historiae desideraretur.

III. Sequitur: *Relatum est Aquilino* (qui mox sect. 2. his omnibus donatur nominibus, *Tiberius Gracchus Claudius Aquilinus*) *praefecto Orientis*, *quod scientiae divinae cultura* &c. Hic vero ille est turpissimus naevus, qui haec acta dehonestare visus est Ruinarto & Tillemontio. Nam primum non *praefectum* dicendum fuisse criminantur, sed *Praesidem*. Atqui in S. Tryphonis historia omnis Graecorum(4)antiquitas hoc ipsum *Praefecti* nomen usurpavit: quod certe ex hisce sinceris quae terimus act s ad illos manavit. Quocirca facessat conjectura illa, qua Latinum interpretem reddidisse *Praefectum* suspicantur, qui re vera non aliud quam consuetus rector Bithyniae fuisset. Deinde & illud multo acrius reprehendunt, quod Aquilinus (quem certe constat Bithyniae praefuisse) *praefectus Orientis* vocetur, quum satis constare dicant, Bithyniam extra praefecturam *Orientis* fuisse. Cui quidem malo non aliter succurrit Ruinartus quam si vocem *Orientis* laxe heic sumi statuat. Atqui quam vellem similibus pluribus naevis, sive verius gemmis, haec Acta scaterent. Vide omnino ad XVI. Maii Adnot. 42. Ex qua (pag. 318. in fine, & pag. seq.) disces, cur olim Bithynia ad provincias praefecti Orientis pertinuerit: idque maxime sub Decio, sub quo nondum praefectorum praetorio numerus nimis creverat. Et quidem Bithyniam inter Orientis provincias potissimam sub Decio fuisse, ex eo animadvertes, quod is (uti mox adnotabimus) Nicaeae in Bithynia resideret. Quid plura? Tam multa in tota actorum serie praefectoriae dignitatis vestigia hujus judicis in apertum proferemus, ut viros eximios heic in clara luce caecutivisse admodum mirer.

IV. Jam vero sequitur: *Quod scientiae divinae cultura*,(corr. *culturam*) *potissimum haberent erga sanctos Tryphonem atque Respicium*. Jam olim initio ejusd. Adnot. 42. demonstraveram, hunc locum sic Graece (nam hanc historiam de Graeco translatam ad nos pervenisse, non est dubium) conceptum fuisse: ὅτι τῆς θείας γνώσεως θεραπείαν ἔχουσιν οἱ περὶ τοὺς ἁγίους Τρύφωνα καὶ Ρεσπίκιον. Id vero vertendum fuisse, *Quod scientiae divinae culturam haberent sancti Tryphon atque Respicius*, quivis vel mediocriter Graecae elegantiae gnarus hodie non nescit. Et id tamen interpretem istum, cetera non inidoneum, fugit. Qui veteribus Glossis (in quibus *Erga* & περί sibi mutuo respondent) in consilium adscitis, in hoc loco reddendo pueriliter offendit.

V. Pergit ibid. interpres: *Missis igitur ex officio* (Graece erat ἐκ τῆς τάξεως: quae Latinis dicebatur *Apparitio*) *apparitoribus rapti sunt a Frontone PACIS PRINCIPE*. Hic in Graeco vocabatur εἰρηνάρχης: quod ad verbum reddidit Noster; sicuti & Rufinus (ubi de S. Polycarpi prehensione) *praefectum pacis* vocavit. Ad haec alii alio verborum circuitu nomen hoc olim reddiderunt. At sequitur: *Pacis*, inquit, *principe Aprimae civitatis*, *qui exierat ad exquisitionem sanctorum cum persecutoribus*. Vltima vox Graece erat μετὰ διωγμιτῶν: de quibus *diogmitis* sive *persecutoribus* (h.e. qui prehendendi gratia reos insequuntur) Acta (5) S. Polycarpi loquuntur. Vides praeterea munus Irenarcharum: *Qui*, inquit, exie-

(4) Acta Suriana ex Graeco reddita Aquilinum hunc non tantum *praefectum* sed & *praefectum Orientis* disertim vocant. *Defertur Trypbon ad praefectum Orientis*. Sic etiam Basilii Menologium eumdem ἔπαρχον [quod nihil aliud quam *praefectum* notat, nec potest de meris provinciarum rectoribus usurpari] nuncupavit. Vide in Adnot. 2. Quod Graeci certe ex hisce sinceris actis, aut ab aliis inde transfusis hauserunt.

(5) In Actis S. Polycarpi M. apud Cotelerium post Herodis irenarchae mentionem, mox n.7. *Egressi sunt* (διωγμῖται καὶ ἱππεῖς) *diogmitae* [sive potius, ut ea vox Graeca in his S. Tryphonis actis redditur, *Persecutores*] *& equites cum consuetis armis, tamquam ad latronem currentes*. Hinc igitur constat, irenarchum sub dispositione

exierant ad exquisitionem Sanctorum sive, ut ipsi loquebantur, *noxiorum*. In vet. Glossis εἰρηνάρχης respondet voci *Pacator*; quia abductis undequaque maleficis, provinciae pacabantur. Porro ex his actis intelligimus, εἰρηναρχίαν (*irenarchiam*) fuisse unum ex urbicis magistratibus, quos singulos singulae civitates haberent: *Pacis*, inquit, *principe Aprimae civitatis*. Hinc ab urbium decurionibus irenarchas fuisse nominandos statuit lex unica C. *de Irenarch.* his verbis: *Irenarchae, qui.. quietis ac pacis per SINGULA TERRITORIA* (h.e. singulas civitates) *faciunt stare concordiam, a decurionibus judicio praesidum provinciarum idonei NOMINENTUR*. Hactenus prona omnia.

Illud vero difficillimum planeque αἰνιγματῶδες, ubi nam terrarum *APRIMA* civitas fuerit: *Frontone*, inquit, *pacis principe APRIMAE civitatis*. Hi sancti Phryges fuerunt, &, ut sect. 2. dicitur, *de Apameae* (illius utique ad Maeandrum in Phrygia) *finibus, de Sansoro vico*. Videndum igitur quidnam sub corrupta *Aprimae* voce latuerit: de quo conjectiones meas in subjacentem (6) adnotationem contuli.

VI. Statim sequitur: *Hoc autem erat indi-*

...tione sua habuisse *diogmitas & equites*, sive potius *equites diogmitas* h. e. *persecutores*; nam in verbis illis διωγμῖται καὶ ἱππεῖς copula videtur inducenda, si veteri interpreti credimus, qui unum personarum genus agnovit: *Cum equitum*, inquit, *magna copia armatorum*. Diogmitae isti respondent iis, quos *Soldati di campagna* nunc vocamus, sicuti Irenarcha is erit, qui nunc *Caporale di campagna* a nostris dicitur.

(6) *APRIMAE CIVITATIS nodus dissolvitur*.

Principio de lectione videndum. Octavius Cajetanus *Aprimae* ex membranis suis edidit: a quo Vallicellana lectio (*Apriniae*) parum abit; nam ubi litterae labialis (m) linea tertia paullum dimota fuit, syllaba (ni) prodiit. At Ruinartus in praefat. nescio quem laudat Baronii codicem, in quo *Apameae* legeretur. Optima sane lectio, si fuisset ex codice eruta. Nunc vero Baronianus codex nullus alius a Vallicellano fuit [nam Vallicellanam bibliothecam fuisse Baronio domesticam scimus] quem unum haud dubie ad manus habuit. Qui ubi ad Mrologium scripsit, hos martyres *tentos esse apud Apameam, ac Nicaeam perductos, ibidem consummasse martyrium*, non hoc significat, hac ipsa sect.I. sese *Apameae* ac *Nicaeae* nomina pro *Aprimae* & *Meetem*[de quo altero dicam in Adnot.seq.] reperisse; verum tum ex universo Actorum tenore [in quibus mox diserte de *Apamea* deque *Nicaea* fit mentio] tum etiam ex Actis Surianis, satis intelligi, hosce duoviros *Apameae* comprehensos, *Nicaeam* fuisse pertractos. Ex his autem colligimus, non esse dubium, quin *Apamea* heic debeat intelligi: at quo pacto ejus urbis nomen ex APRIMAE involucris sese expediat; id vero est apprime arduum.

Ac videbatur initio fuisse forsitan *Obrimae* vocabulum pro *Aprimae* heic scriptum. Plinius V. 29. *Sita est* [Apamea Phrygiae, cognomento *Cibotos*] *in radice montis Signiae, circumfusa Marsya, OBRIMA, Orga fluminibus in Maeandrum cadentibus*. Ergo initio sic forsan de Graeco redditum fuerat: *Rapti sunt* [imo non *Rapti*, sed *Capti sunt*, primitus scriptum fuit] *a Frontone pacis principe ad Obrimam* (h. e. prope Obrimam) *Apameae civitatis*. At deinde *Apameae* nomen excidit, amnis autem nomen corruptum remansit.

Dixeris fortasse τὸ *Ad Obrimam Apameae* parum usitatam videri syntaxin. Verum usitatissima in nummis est. Sic in hujus ipsius Apameae nummo legitur, Ἀπαμέων Μαρσύας, *Apamensium Marsyas* fluvius. Sic alibi, Νικαέων Σάγαρις, *Nicaeensium Sagaris* amnis. Et plura in eumdem modum. Porro ad Obrimae ripam videtur situs fuisse vicus ille [sive *Sansorus*, sive potius *Campsades*] in quo hi pugiles capti fuere.

Quod sicui dicta parum arriserint, habeat & hanc alteram nodi solutionem haud paullo meliorem. Videtur Graece A. sive Ἀπ. pro integro *Apameae* nomine fuisse notatum: quae compendiosa scriptio facile ex usu, & ex adjuncto quod sequitur, se intelligendam praebebat. Ergo scriptum Graece fuerat, Ἀπ. τῆς πρώτης πόλεως. Quam scribendi rationem imitatus interpres, posuit, *Ap. primae civitatis*. Priores vero duas voces postea coaluisse, ii tantum mirabuntur, qui veterem scribendi morem confertum atque coactum numquam observaverint.

Porro

indictum a praefectis : nim. ut sedulo Christiani ab irenarchis conquirerentur & caperentur. Quid huic loco facient, qui in his actis *Praefecti* nomen improprie pro *praeside* positum statuerunt? Cur enim heic *praefecti* (sive *praesides*, si iis credimus) plures nominantur? At huic loco egregiam lucem affudimus in cit. Adnot 42. p. 319. Summa eo redit. Ab Imperatore ad praefectos praetorio epistolae deferebantur, quibus jussionum imperialium quaedam veluti informatio continebatur : deinde a praefectis (qui ante Constantinum res imperii veluti in solidum administrabant) edicta publicabantur, & ad provinciarum rectores mittebantur. Vides cur heic Christianorum insectatio *indicta a praefectis* dicatur, non ab uno Aquilino Orientis praefecto.

VII. Paucis interjectis, tracti dicuntur martyres *In civitatem Meetem*. Hanc Nicaeam Bithyniae fuisse, ex sequentibus constat. At quo pacto *Nicaeam* librarii in *Meetem* transformaverint, nondum plane assequor. Tantisper tamen dum Oedipus aliquis griphum hunc alterum soluturus advenerit, quid de eo suspicer, in substrata (7) adnotatione sepositum habes.

Ad

Porro cur *Apamea prima* diceretur, non una esse ratio potuit. Urbium πρωτεία (*primatus*) in nummis celeberrimus est. Itaq. quae urbs de primatu suae provinciae gloriabatur, ea se πρώτην in numismatibus inscribebat. Etsi vero fateor, numquam in Apameae Ciboti nummis hanc πρωτείαν animadverti, non continuo ea Apameam caruisse concludendum est.

At magis est ut alia prorsus de causa haec urbs *Prima* fuerit appellata : non scil. ut inter primas urbium suae provinciae recenseretur, sed ut inter urbes cognomines prima numeraretur. Fuere namque Apameae praeter hanc *Ciboton* quamplurimae, praesertim in hac ipsa Orientis praefectura. Nam fuere & in Bithynia & in Syria, & aliae alibi Apameae plures. Vt igitur una ab altera cognomine [in ead. praesertim praefectura] distingueretur, adjunctis διακριτικοῖς opus fuit, ut haec *Apamea prima*, altera *secunda*, ac porro diceretur. Quae distinguendi ratio in geographia paullo post Decii tempora maximopere invaluit. Itaque alia erat *Bithynia prima*, alia *secunda* : & eodem plane modo in Cappadocia, Cilicia, Armenia, Mysia, Palaestina &c. Ergo τὸ *Aprimae civitatis* [quod tamdiu torserat] non aliud est quam *Apameae* (cognomento) *Primae civitatis* : cujus Fronto fuit *Irenarches* sive *Pacator*.

(7) *Aenigma alterum τῶ MEETEM varie tentatum, postremo ad veri speciem expeditur. De metropoleos & primatus dignitate inter Nicaeam & Nicomediam certamina quonam pacto composita.*

An quia urbes Nicaeae plures vocabantur [octo aut etiam plures Ethnicographus recenset] Nicaeam Bithyniae, addito cognomento MEETEM distinguere placuit? quod quidem cognomen videtur ex his tantum Actis nunc primum innotescere. Porro *Nicaeae* nomini (quod forsan primitus hinc non aberat, at postea excidisse videtur) διακριτικὸν cognomen additum dixi; ita ut antea scriptum integre videatur: *In civitatem Nicaeam Meetem* : nisi si *Maeotim*, aut aliud quidpiam antea pro *Meetem* fuerit.

Verum missis hariolationibus, Graece sic potius mihi videtur fuisse scriptum : εἰς ΜΗ. ΤΗΝ. πόλιν Νίκαιαν [ubi illud ΜΗ. non aliud quam Μητρόπολιν notabat : quae vox in nummis aliisque monumentis modo Μ. modo ΜΗ. alias ΜΗΤ. aut ΜΗΤΡΟ. scribitur] h. e. *In Metropolim civitatem Nicaeam*. At interpres notarum veterum ignarus quum praeterea confertim omnia, nullo interposito puncto [ut in Graecis marmorib. & vet. Mss. cernitur] ΜΗΤΗΝ (*Meten*) legisset; putavit id proprium urbis fuisse nomen. Itaque anteceptam hanc suam opinionem secutus, Grajas litteras totidem Latialibus expressit, ac prodigiosum istud METEM, aut (quia forsan vocali longae Η duo tempora esse largienda didicerat) MEETEM in sua interpretatione posuit. En quibus auguriis *Meete* urbs nova condita, orbem Romanum auxerit.

At cur, inquis, vocem NICAEAM omisit? An quia post proprium nomen *Meetem*, noluit superinducere alterum Nicaeam? An potius quod Nicaeae nomen exciderat? An postremo quum Nicaea κατ' ἐξοχὴν ab suis civibus Μητρόπολις (*Metropolis*) vocaretur, ob id Nicaeensis ille ipse Christianus, qui haec Graece scripserat, non alio modo Nicaeam sibi designan-

Ad ultimum extrema sectione hi martyres *omni virtutum promotione perfecti* praedicantur. Pro *promotione* Graece erat προκοπῇ: quod non male interpres *Promotione* (8) h. e. *processu* reddidit.

CAP.

gnandam, praesertim apud populares suos, putavit, quam si absolute *Metropolim urbem* nuncuparet?

Et hoc quidem ultimum verisimillimum videretur, si id syntaxis articuli pateretur. Nam adjuncto quidem urbis *Nicaeae* nomine, ita demum articulo THN locus erat: εἰς MHτρόπολιν, inquit, THN πόλιν Νίκαιαν. At sublato ultimo nomine, illud quod restat (nim. εἰς MHτρόπολιν THN πόλιν) haud poterit recto talo consistere. Nam sive εἰς τὴν μητρόπολιν πόλιν scribendum fuerat, sive εἰς πόλιν τὴν μητρόπολιν. Ac fateor equidem, utrolibet modo ei fuisse dicendum, qui NICAEAE vocem hinc abesse voluit. Ergo paullulum flectenda est via.

Nam vestigia premens interpretis (qui hoc ordine posuit, *In Civitatem Meetem*) Graece eâdem serie scriptum censeo, εἰς πόλιν τὴν μητρόπολιν, sive (nam sic quoque licuit) εἰς τὴν πόλιν μητρόπολιν. Id vero vertendum fuerat, *In civitatem Metropolim*. Verum quia vox ultima tribus tantum primoribus litteris (ut saepe in nummis) signata fuerat, nempe MHT; putavit interpres in eo monosyllabo proprium urbis nomen latere. Itaque addita idonea terminatione, ex Graeco MHT. Latine MEETEM reddidit. Habes unde istud horribile μορμολυκεῖον profectum, criticos perterrefecerit.

Nunc de eo breviter dicendum restat, an re vera urbs Nicaea *Metropolis* Bithyniae fuerit, cujusmodi fuisse haec Acta docent. Et Metropolim suo tempore eam fuisse sine ullis ambagibus liber XII. Strabonis docet: qui ceteroqui domo Amasenus, h. e. ex proxima Pontica regione, id minime omnium ignorare poterat. Ait igitur: ἡ Νίκαια ἡ μητρόπολις τῆς Βιθυνίας, *Nicaea Bithyniae metropolis*. Et ab Ezech. Spanhemio to. 1. p. 635. exhibetur singularis Nicaeae nummus cum Μητροπόλεως epigraphe. Quem profecto nummum Straboni aut aequalem, aut antiquiorem, aut non multo recentiorem fuisse necesse est; quia *Metropoleos* titulum (numquam postea in nummis Nicaeae obvium) ei postmodum non sine multo certamine Nicomedia eripuit; quae sola semper se in nummis *Metropolim* praedicat. Itaque quo tempore Dio Chrysostomus Nicomediae orationem 38. de concordia cum Nicaeensibus habuit, Nicaeenses jam *Metropoleos* dignitate Nicomediae concesserant, ac tantum de πρωτείοις (*primatu*) utrinque disceptabatur: quam dignitatem sibi uni Nicomedia arrogabat, nec Nicaeam in ejus communionem admittebat. Proderit verba ejus Sophistae afferre pag. 479. ἂν δὲ τὸ μὲν τῆς μητροπόλεως ὑμῖν ὄνομα ἐξαίρετον ᾖ, τὸ δὲ τῶν πρωτείων κοινὸν &c. Quod si *Metropolis quidem nomen vobis peculiare maneat, primatus autem* (vobis cum Nicaeensibus) *commune; qua, quaeso, re deteriores eritis?* Verum τῶν πρωτείων possessione numquam Nicaeenses exciderunt; qui & in Domitiani nummo Πρῶτοι, *Primi provinciae* inscribuntur; & in alio, *Primi Ponti & Bithyniae*: de quib. vide Spanhemium p. 633. 634.

Sed ad *Metropolis* dignitatem redeo: quam si his Actis credimus, videtur iterum Nicaea recuperasse: id quod non ex isto tantum prodigioso MEETEM (quod ex *Metropoleos* compendiosa scriptura processisse docuimus) constat, verum etiam ex sect. IV. ubi præfectus *Reversus Nicaeam civitatem suam* dicitur. Ex quo discimus sub Decio praefectos praet. Nicaeae consedisse, tamquam scil. in Bithyniae metropoli: etsi eam dignitatem cum Nicomedia communem haberet. Ac tandem (sive circiter Decii tempora, sive post) haec tanta urbium aemularum concertatio ita tandem dirempta fuit, ut Nicomedia *Bithyniae primae metropolis*, Nicaea *Secundae* inscriberetur. Certe in Calchedonensi synodo Nicaea *Metropolis Bithyniae secundae* apertissime legitur. Et, credo, ea nomenclatura multo erat antiquior, ac saltem jam tum, quum haec historia a Christiano scriptore (forsitan post Decii aut Valeriani tempora) ex actorum judicialium fide contexebatur, Nicaea jure Metropoleos, haud contradicente Nicomedia, in secunda Bithynia fruebatur. Hinc scriptor, ut qui in Nicaea in suorum civium gratiam haec scriberet, satis habuit dicere tractos fuisse hos martyres εἰς τὴν πόλιν MHT. h. e. μητρόπολιν, *In civitatem Metropolin*: sic enim, non addito Nicaeae vocabulo, a suis popularibus vocabatur. At interpres ratus in illo MHT. latere propriũ urbis nomen, addita congrua terminatione, MEETEM reddidit, uti supra ostendimus.

(8) In Cyrilli Glossis Προκόπτω est *Promoveo* (sed significatu neutro) itemque *Proficio*, *Procedo*. In eisdem Προκοπὴ redditur *Promotus* (sed substantiva notione pro *Promotio*) *Processus*.

CAP. II.

In reliquas sectiones.

I. *De primiscrinio magni officii, qui sub praefecto praetorio militabat.* Sanctorum *appellatio.* *EMINENTISSIMATUS praefectorum peculiaris.* Aetas legitima *quae? Textus corrigitur.* Pruina discindens. *CASTIFICARI pro eo quod est* In casto esse: II. *Ad sect.* 4. *IPSE pro IDEM.* Praefectoria *provincia ea dici poterat, quam praefectus peculiariter regeret: cujusmodi tunc Bithynia fuit. Lepida Martyrum allusio ad Clavata calceamenta.* III. *Gladius peculiare praefecti praet. insigne, ei dicturo sententiam adducitur. Non de tabella, sed VERBO in hos Martyres sententia dicitur: quod proprium praefectorum praet. fuit: qui tamen poterant etiam per officium id facere, verum ex scripto libello. Etiam Majores PVERI interdum vocati. Haec acta post deditatum Martyrium scripta. Quinam* Religiosi viri, *&* Sacerdotes. *Sacrificium Eucharisticum.*

I. Hactenus integram sect.I.percurrimus: nunc reliquis ex intervallo aliquid aspergetur. Sect. 2. v. 4. *Pompejanus vero primiscrinius magno officio dixit.* Corriges, *Primiscrinius magni officii.* Nam quae sequuntur,ea Praefecto (*Adsunt*,inquit, *o praefecte* &c.) non Magno officio,hic primiscrinius dixit. Hanc vero ipsam correctionem postea confirmatam Actis Surianis reperi:in quibus legitur,*Pompeianus scriniarius MAXIMI ORDINIS*: certe quia in Graeco Surianorum legebatur casu patrio, τῆς μεγίστης τάξεως. Quamquam & *Magno officio* probum videri potest, si auferendi casu accipiatur, & EX aut IN subaudiatur. Porro *Primiscrinii* officium (de quo passim uterque Codex, & Notitia imperii, & Symmachus aliique loquuntur) nunc primum reperiri arbitror; nam cetera monumenta omnia quae de eo agunt, posteriora sunt temporibus Decianis. Nisi siquis putet, scriptorem Christianum (si modo multo posterior fuerit: quod non puto, ut cap. sequenti dicam) sui temporis vocabula Decianae aetati accommodasse. Non tantum autem *Primiscrinii*, sed & *Magni officii* vocabulum heic notari velim; utrumque enim junctim usurpatum Praefectorum (tum Vrbi, tum Praetorio) peculiare fuisse videtur, nec cum praesidibus commune. Nam provinciarum rectoribus τάξις sive *Officium*, non *Magnum officium* obsequebatur. Itaque in Cyrilli Glossis τάξις ἄρχοντος (h. e. totidem verbis, *Ordo praesidis*) redditur *Officium, Apparitio.* At Praefecti apparitio, ut hinc constat, dicebatur ἡ μεγάλη τάξις, *Magnum officium*: cujus officii primus vocabatur *Primiscrinius.* Sic & in Glossis Basilic. πριμισκρίνιοι sunt οἱ πρῶτοι τῆς τάξεως, h. e. *primi Officii*, sive *Primiscrinii Officii*: qui sub praesidum passim dispositione erant. At vero non quivis *Primiscrinius*, sed *Primiscrinius magni officii*, ut ex hac passione docemur, sub praefecto praetorio militabat: imo etiam sub urbano: nam in S. Sebastiani actis egregiis sect. 24. & seq. quidam Nicostratus *primiscrinii* dignitatem sub praefecto urbi gerebat; cui etiam commentariensem (cui nim.vinctorum custodia commissa erat) paruisse, ex sect. 29. constat his verbis: *Audiens haec Nicostratus primiscrinius, abiit ad Claudium commentariensem, & JVSSIT universas personas* (vinctorum) *ad domum ejus adducere, dicens: Quoniam proxima sessione omnes discutiendi sunt* &c. Ac de *Magni officii primiscriniis* (quos quidem sub praefectorum tantum dispositione militasse, haud temere conjecimus) tantum.

Sed & hujus primiscrinii verba prope singula, quae statim sequuntur, animadversione egent. *Adsunt*(inquit) *o Praefecte, Sancti.* Tryphonem & Respicium intelligit: quos nim.scriptor Christianus de suo *Sanctos* vocavit. Sive ipsemet primiscrinius sic eos dixerit, modo tamen Graece scriptum fuerit, οἱ καλούμενοι ἅγιοι, *Qui Sancti vulgo appellantur*, quippe qui (ut extrema sect. 1. dicitur) uti *Deo digni &*

virtutum promotione perfecti colebantur, & quorum virtutem sanationum Menologium Basilii praedicat. Sed *Adsunt*, inquit, *Sancti*, *de Apameae finibus* (Apameam non Bithyniae, sed Phrygiae intelligit, quia in fine historiae hi duo MM. *Phryges* dicuntur: quam *Aprimam* h. e. *Apameam primam* auctor supra appellaverat) *de Sansoro vico* (qui vicus in Surianis actis & Vinc. Bellovacensi pluries *Campsades* nuncupatur: utraque autem scriptura potest diversis temporibus, ut alibi dicam, obtinuisse: nam Graecis recentioribus eum vicum fuisse notum & celebrem, ex eisd. Surianis videor elicere) *appliciti circa EMINENTISSIMVM & ILLVSTRE tuae potestatis tribunal*, *interrogandi*. Vide ad XVI. Maii Adnot. 42. ubi *Eminentissimatum* (uti vocabant) praefectoriae dignitatis fuisse peculiarem ostendimus, sicuti & *Illustris* titulum. Ante finem hujus sect. praefectus sic martyres hortatur: *Sacrificate diis, quia video vos legitimam aetatem habentes* (*Aetas legitima* ab anno XXV. inchoabatur ex l. ult. C. *de his qui ven. aetatis*: e dem & *Sua aetas*, aut *justa*, *perfecta*, *robusta* in jure nostro dicitur) *perfectumq. intellectum possidere*.

Media sect. 3. *Jussit* (praefectus) *ut egredientes in venationem, alligatos* (addit Menologium, *Feris equis*) *Sanctos traherent glaciali tempore*, *pruina DISCENDENTE*, *& ideo disruptae sunt plantae eorum*. Pro *Discendente* Ruinartus in margine corrigit *Decidente*. At facilius erat, *Descendente*. Etsi perplacet DISCINDENTE: quod me unice probantem, confirmavit postea Petr. Equilinus de hoc facto scribens, *Ita ut pedes frigore SCINDERENTVR*: quod haud dubie ex suis Mss. excerpsit. Ante finem ejusd. sect *Potestis ne vos* (inquit praefectus) *de reliquis* (melius in Ms. Vallic. *De reliquo*: Graece fuit, τὸ λοιπόν) *castificari*? *Tryphon respondit*: *Semper castificamus nos coram Domino*, *cui incessanter servimus*. Pro *Castificari* Graece fuit ἁγνεύειν. At istius aetatis interpretes semper Glossas in consilium adhibebant: quarum quae sub Cyrilli nomine circumferuntur, sic habent: Ἁγνεύω: *Castitor*. Sed ne dubita, quin media exciderit, ac legendum sit, *Castificor*. Sicuti & activo verbo Ἁγνίζω respondebat apud antiquos *Castifico*, teste antiquiore Vulgato N.T. interprete, qui (apud Tertullianum de Monog. cap. 3. & de Pudicitia cap. 19.) in ea Joannis sententia in 1. Epist. III. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo*, *sanctificat se* (Gr. ἁγνίζει ἑαυτὸν) *sicut & ille sanctus est*: sic interpretabatur: *Castificat se*, *sicut & ipse castus est*. Pro *Castificari* vero antiquiores illi dicebant *In casto aut castu esse*. Quae omnes sunt sacrificales locutiones. Nam sicuti *In Casto Cereris esse* & Δήμητρι ἁγνεύειν est *Operari Cereri*; sic in ore praefecti hujus illud, *Potestis ne castificari*, est tantumdem quod *Sacrificare*. Postremo quod heic judex *Castificari* dixit, hoc sect. seq. citra ambages sic eloquitur, *Sacrificate diis*. Et tamen heic quoque quasi dixisset, *Castificamini diis*, respondent Sancti, *CASTIFICAT nos judex omnium Deus*. Antequam hinc abeam; in priore Martyrum responso, quod supra recitavi, aut videtur legendum, *Semper castificamur nos*, si quidem in Graeco ἁγνευόμεν fuerit; aut potius nihil est mutandum, quia alluditur ad suprascriptum Joannis locum, *Castificat se* &c. quia & heic videtur Graece fuisse, ἁγνίζομεν ἑαυτοὺς.

II. Sectionis IV. initium pulcherrimum est: *In ipsis diebus* (pro *Eisdem diebus*, nam in Graeco erat κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας: verum aetas posterior τὸ *Ipse* pro *Idem* usurpabat: unde illud in Mrologiis IX. saeculi decantatissimum, *Ipsa die* pro *eadem die*) *In ipsis*, inquit, *diebus praefectus profectus est ad alias* (Bithyniae) *civitates* (conventus usitatos acturus, & provincialium necessitatibus provisurus) *& post aliquot dies reversus Nicaeam CIVITATEM SVAM*, *jussit sibi Sanctos Dei praesentari*. Quasnam locus hic opes praeclaras in recessu

cessu recondat, jam die XVI. Maii Adnot. 42. dicere occupavimus. I. In toto praefecturae ambitu erat una aliqua praefecti ejusdem provincia propria (cui licebit, si videtur, *Praefectoriae* provinciae nomen imponere) quae ab eo peculiariter tamquam a rectore suo regebatur; quae ab eo lustrabatur, & cetera fiebant, quae praesides in sibi assignatis provinciis facerent. Hoc plane jure Aquilinus regebat Bithyniam, ac forsitan etiam Phrygiam sive totam, sive saltem ubi Apamea Cibotos erat, ex qua abducti hi duoviri fuere. II. In ejus provinciae primaria civitate sedem fixam atque PALATIVM (cujus vocis mentio fit sect. 3. post medium) habebat, sicuti & ceteri praesides: quo spectat illud, *Reversus Nicaeam civitatem suam.* At postea ejusd. provinciae τὰ βασίλεια Nicomediae sub Diocletiano & Constantino fuerunt.

Jam vero hac ipsa sectione extrema clavis configi Martyrum pedes jussit Aquilinus praefectus, & sic confixos raptari: quos ubi tranquillos animadvertit, *Quid est?* inquit, *Non sentitis tormenta* (clavorum)*? Sancti responderunt: Non: quia clavi non sunt fixi in pedibus nostris, sed quasi in calceamentis.* Lepida sane responsio. Non plus, inquiunt, clavi isti nos pungunt, quam qui ornatûs causa in calceamentis, quae *Clavata* dicuntur, gestari solent. Festus: *Clavata dicuntur aut vestimenta clavis intertexta, aut calceamenta clavis confixa.*

III. Postremo & illud sect. VI. v. 6. pulcherrimum est, ac ritum antehac ignotum docet, quod Aquilinus capitalem sententiam in hos Christi athletas pronuntiaturus, *Jussit GLADIVM adduci.* Non eum vero gladium adduci jussit, quo erant Martyres decollandi, sed totum hoc veluti rituale fuisse, & dicis causa factum, censeo; idq. non tantum in obtruncandis, verum & in comburendis, & in praecipitandis, & in suffigendis cruci, & omnino in omnibus ultimis suppliciis; quia omnia jure gladii continebantur. Quum autem omnes provinciarum rectores jure gladii pollerent, videbitur forsan hic ritus omnium fuisse communis, ut dicturi sententiam, *gladium adduci* juberent. Verum aliud omnino censeo. Nam quum innumeras sententias sive a provinciarum praesidibus, sive a praefectis urbanis in Martyrum historiis pronuntiatas legerim, nusquam hunc ritum reperisse memini. Imo nunc primum hoc sollemne reperio, ubi a praefecto praetorio damnantur hi martyres. Nec dubito quin soli praefecti praetorio, damnaturi ultimo supplicio gladium ostentarint, utpote peculiare suae potestatis insigne. Quem enim fugit, hujusmodi praefectos non aliter quam accepto gladio, ab imperatoribus fuisse ordinatos? Apud Dionem lib. 68. *Trajanus Suram Licinium ad praefecturam praetorianam promoturus, gladiumque (quo eum OB EAM DIGNITATEM accingi oportuit) praebiturus, vagina eduxit, atque ipsi porrigens: Accipe, inquit, hunc gladium; ut si bene imperavero, pro me: sin male, in me utaris.* Cetera quae ad hoc praefecturae hujus insigne pertinent, videantur apud Petrum Fabrum Semestr. I. 3. Quum porro audis, praefectum gladio accingendum fuisse, id intellige, quoties sollemniter in publicum prodiret, aut domi legitimos actus editurus esset. Hinc hoc loco tribunal ascensurus, atque sententiam pronuntiaturus, non potuit aliter id facere quam si prius *gladium* adduci juberet, eoque se accingeret. Vides quam omnia in his Actis unice praefecto praetorio conveniant, praesidibus non item.

Nec porro minus id quod sequitur ejusd. praefecturae peculiare est. *Et consilio,* inquit, *accepto* (Graece erat προσλαβὼν τὸ συμβούλιον: hoc commune cum praesidibus, non item quod sequitur) *sententiam PROTVLIT DICENS.* Nam ceteros rectores passim in passionibus legimus de tabella recitasse sententiam; sicque praescribitur l. 2. C. *de sent. ex per. recitandis.* At praetoriani praefecti sine scripto, tantum VERBO proferebant,

teste Senatore VI. Variar. 3. ubi inter singularia praefecti praet. hoc ponit: *Verbo sententiam dicit*.

At enim dixeris, non fuisse hoc praefectorum peculiare; quia in proconsularibus Cypriani actis similiter legitur: *Gal. Maximus* (Africae proconsul) *collocutus cum concilio, sententiam vix aegre DIXIT VERBIS hujusmodi: Diu sacrilega mente vixisti* &c. Verum hoc totum, quod sententia videtur, non aliud quam proloquium sententiae sive decreti fuit usque ad illa verba, *Sanguine tuo sancietur disciplina*. Nam statim deinde sequitur: *Et his dictis, decretum EX TABELLA RECITAVIT: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*. Ergo Africae proconsul *ex tabella recitavit*; quum ceteroqui proconsul aeque ac praefectus potuisset eam etiam per (9) officium pronuntiare.

Sententia haec brevis est, uti praefectum VERBO DICENTEM, non recitantem, decuit. *Pueros hos* (*legitimam* annor. 25. aetatem, uti sup. observavimus, attigerant, & tamen ex usu hujus aetatis *Pueri* h. e. juvenes nuncupantur: exemplis similibus supersedeo: ceterum cave *pueros* pro *Servis* accipias, quum ipsi se initio *ingenuos* fuisse sint fassi) *pueros*, inquit, *hos, genere Phrygios, Christianos, Imperatorum* (plurativo numero *Imperatores* vocat, quia statim ab initio filios suos Decius Caesares renuntiaverat, eorum vero natu maximum Etruscum Decium haud multo post, & prorsus ante anni 249. exitum, etiam *Augustum* fecit) *Imperatorum*, inquit, *jussis obedire nolentes, decollari jubemus*.

Quae ad finem de Martyrii h. e. Ecclesiae dedicatione leguntur, ea cum superiore tota historia nō ante scripta esse decuit, quam & Martyrium dedicatum fuisset. *Convenerunt autem*; inquit, *religiosi viri* (ascetas sic olim nuncupatos, ad Acta S. Marci die 25. April. notavimus) *& sacerdotes Domini* (potest hoc uno vocabulo tota Hierarchia contineri; nam etsi sacerdotum nomine ex usu antiquorum peculiariter episcopi venirent, tamen non tantum presbyteri, verum & diaconi, ut alios ministros taceam, uno ἱερεῖας *Sacerdotii* vocis ambitu interdum continebantur) *& dedicaverunt Martyrium illorum cum omni honore, atque disciplina reverentiae participaverunt mysterium redemptionis nostrae* (pulchra Sacrificii Eucharistici περίφρασις) *commendantes animas suas sanctis beatorum Martyrum patrociniis*. Atque hic finis Actorum est, quavis gaza pretiosiorum, vel eo saltem nomine, quod Acta sub praefecto praet. nondum plane alia legitima vidisse meminerim (nec alii credo viderunt: unde ob rei insolentiam viri eximii loco praefectoriae dignitatis tot argumentis testatae, meram praesidalem Aquilino tribuerunt) ex quibus tot scitu dignissima hausimus.

CAP. III.

Reliqua horum Martyrum I. *Locus Reliquiarum tum initio, tum temporibus subsequentibus*. II. *Annus passionis*. III. *Tempus dedicati initio Martyrii*. IV. *Quo Kalendarum Februar. apud Graecos, itemque diei X. Novemb. apud Latinos festa pertineant*.

I. In verbis, quae ex fine Actorum modo ad calcem cap. superioris recitavimus, convenisse viri religiosi & Sacerdotes, & celebrata liturgia dedicasse Martyrium (h.e. memoriam, sive ecclesiam reliquiis impositam) dicuntur. Quumque de corporibus alio translatis verbum heic nullum injiciatur (quod certe

(9) Saltem id eis postea licuit ex l. 2. C. *de sent. ex per. recit.* In qua lege ita inter ceteros judices interq. praefectos ceterosq. *illustrem administrationem gerentes* distinguitur, ut posterioribus, non item prioribus, per alios ferre sententiam licuerit: utroque autem casu ex libello id fieri jubetur. Id vero multo antiquius his IV. saeculi imperatoribus, quibus ea lex Cod. inscribitur, fuisse, ostendi potest ex S. Pionii Actis, in quibus apud Ruinart. num. 20. proconsul Asiae *Recitari jussit* (non ipse recitavit) *ex tabula*. Licuit ergo proconsulibus ac fortius praefectis medio tertio saeculo per officium recitare. At eo amplius ex Cassiodoro discimus, licuisse praefecto praet. si ipse pronuntiaturus esset, *verbo* h. e. sine scripto dicere.

certe auctor non omisisset, siquo reliquiae commigrassent) necesse est primum illud Martyrium Nicaeae simul cum λειψάνοις initio exstitisse.

At contra quidquid a Graecis posterioribus scriptum fuit, id totum S. Tryphonis unius Reliquias in natale solum h. e. in vicum Campsadem prope Apameam Phrygiae translatas, monente ipso Tryphone, docet. Qui (ut in actis Surianis legitur) *apparens in somnis jussit eas* (reliquias suas) *transferre in suum vicum* (nativum) *nempe Campsadem: quod etiam fecerunt*. Anne Suriana fallunt? Non opinor in loco reliquiarum imponere licuisse, quia quum ea acta scribebantur, in Campsade Tryphonis corpus colebatur: etsi id Tryphonem ipsum secundum quietem monuisse, potuit hoc scriptor ex aliorum Martyrum historiis similibus haustum appingere.

Quocirca ut hae duae narrationes componantur, videtur dicendum, initio amborum reliquias simul Nicaeae in eorum Martyrio requievisse: at processu temporis Respicii corpus fuisse inde sive ad aliquam basilicam dedicandam abstractum, sive, uti fiebat, latrocinio sublatum: ac postmodum Tryphonis reliquias in suum vicum Campsadem fuisse translatas. Nisi vero praestabilius sit agnoscere, ambos commilitones fuisse olim in solum natale translatos; at inde postmodum Respicium alio avectum fuisse. Porro vicus *Campsades* haud alius ab eo est, cui in actis sinceris *Sansoro* (10) nomen imponitur.

Postremo utriusque Reliquiae Romam (11) translatae fuerunt: quod mihi non ante (12) decimum saeculum aut etiam serius contigisse videtur.

Hinc porro vera causa detegitur, cur in Graecorum posteriorum actis de uno prorsus Tryphone contexatur historia, de Respicio ne verbum quidem. Nam qui primus de commilitone tacuit, videtur eo forsan consilio id fecisse, nequa secutis temporibus apud ignaram multitudinem admissi latrocinii reliquiarum Respicii vestigia exstarent. Quidquid vero id fuit; at certe non potuit S. Respicius sine aliquo fraudulento consilio ex historiis posteriorum Graecorum eradi.

II. Ad annum passionis quod attinet; jam supra ex primis ipsis Actorum verbis collegimus, hos duoviros videri omnino initio persecutionis enectos. Confer ibi dicta, si id curae est. Quum autem passim in eisdem actis glaciei pruinaeq. pedes DISCINDENTIS, ac similium mentio fiat; satis probabile fit, vix ante Decembrem anni 249. aut post Februarium anni 250. eam totam dimicationem contigisse. Nisi quod in exeuntem annum 249. magis propendet animus, quo id martyrium insectationis

exor-

(10) Non aliud unum ab altero fuisse, primum nominum similitudo suadet: nam ex *Sansoro* (aut siquo alio modo olim legebatur) detortum fuisse recentius nomen ii tantum mirabuntur, qui quam immane novitia locorum nomina ab antiquis gradatim recesserint, nondum experimento didicerunt. Deinde sicuti in Actis sinceris hi duoviri *de Apameae finibus, de Sansoro vico* dicuntur; sic in Surianis ait Tryphon: *Patria* (mihi) *vicus Campsades, vicinus civitati Apameae*. Et passim idem alibi significatur.

(11) Duabus in Ecclesiis Urbis reliquiae utriusque aut alterius requiescere dicuntur: de quo videatur Baronius ad X. Novemb. (praesertim ubi ex Lindano docet, unde appellatio *In Saxia* orta fuerit) & Ruinartus praefat. ad horum Acta.

(12) Quum ab omnibus IX. imo & X. saeculi Mrologiis hi duoviri absint, id aperto est indicio, translationem Romanam non ante exitum X. Saeculi contingere potuisse. Nam quod Ruinartus praedicat, eos in Sangermanensi Usuardo (quod pro autographo Benedictini falso habent) reperiri, hoc ipsum existimationem codicis ejus, cetera praestantissimi, imminuit. Nam si Usuardus ipse hos Martyres sua manu adscripsisset; cur ceteri post Usuardum Mrologi illos omiserunt? Ceterum ab Usuardi optimis Mss. quos duces secutus est Sollerius, nullum de Tryphone & Respicio vestigium. Iidem absunt a membranis Usuardi meis, quas a docta & erudita manu e sincero exemplari antiquitus descriptas, nuper V. CL. Sylvester a S. Joanne Canonicus theologus Calatinus mihi dono misit.

exordio propius admoveatur: cujus anni menſe Decembri, aut (ſi propius ad edicta promulgata malumus accedere) menſe Novembri, videntur hi Martyres fuiſſe mactati. Nam menſe ipſo Novembri non arbitror in Bithyniae ſatis rigido caelo nives ac frigus diſcindens defuiſſe. Haec de anno ac menſe conjici poſſunt. At dies paſſionis & ab his Actis antiquiſſimis abeſt, & toti poſtmodum Graeciae ignotus fuit. Niſi quod, quum Tryphonis feſtum in Graecorum libris liturgicis Kalendis Februarii aſſignetur, facile poſtmodum Graecae ephemerides eum eodem die, non praeter morem ſcilicet, coronatum cecinerunt.

III. Sed & tempus dedicati Martyrii conjicere magis, quam certo definire poſſumus. Quamdiu enim Deciana clades perduravit, id fieri nullo modo potuit. At conſidente procella [quae circiter medio anno 251. deſaeviſſe dicitur] nihil videntur Nicaeenſes fideles ac ſacerdotes ei curae anteverti ſſe, ut Martyrium ſupra Martyrum ſepulcrum exſtruerent. Quod ſi feſtum Kalendarum Februarii [quod videtur ſatis antiquum apud Graecos fuiſſe] a dedicatione illius Martyrii [de qua Acta noſtra loquuntur] exordium accepit; facile ea dedicatio in Kal. Februarias anni 252. [biennio ſcil. poſt fuſum ſanguinem] incidere potuit. Ceterum jam inde poſt pacatam Severi perſecutionem aedificari olim eccleſias ritu Chriſtiano coepiſſe, viri eruditi norunt.

Nec vero diu poſt dedicatam memoriam haec ſcripta fuiſſe acta, quae modo expoſuimus, crediderim. Nam in iis, quae poſtea aevo Conſtantini compoſita fuerunt, ſolet aliquid, maxime in prologo aut in fine, adſpergi, per quod ſtabilis illa eccleſiis pax affulſiſſe intelligatur. At ejus rei nulla heic ſignificatio proditur.

IV. Reſtat de Graecorum ac Latinorum feſtis dicendum: quorum neutrum mihi videtur die ſuo celebratum. Nam his Actis de die paſſionis tacentibus, quo pacto ſecutis temporibus dies eorum triumphalis teneri a quoquam potuiſſet? De quo vide quae proxime extremo n. II. dixi. Quibus accedit, quod noſtri Neapolitani ubi S. Tryphonis feſtum Kalendis Febr. in marmoreis Faſtis inſcripſerunt, non (ut in emortualibus diebus conſuevere) PASſionis notam praemiſerunt, ſed tantum notam NT h. e. *Natalis*, quam diebus non θανασίμοις praeſcribere moris habuerunt. Ergo [ut modo num. III. dixi] videntur Kalendae Febr. ad diem dedicati biennio ferme poſt paſſionem Martyrii referendae. Niſi ſi quis malit, eaſd. Kalendas ad translationem in vicum Campſadem factam pertinere.

At vero dies X. Novembris [quo die Rom. Mrologium eoſdem duoviros, addita etiam propter ſepulturae communionem S. Nympha, adnuntiat] ſive ad diem translationis Romam factae, ſive dedicatae ibid. Eccleſiae referri debet.

FINIS SVPPLEMENTI KALENDARVM FEBRVARII.

PAG. 35. *Adnot.* 3. *col.* 1. §. Poſtremo Cl. Caſtell. *v.* 2. *pro tribus his voculis* Omnem pudorem exuit, *ſcribe ſic mollius*: ſatis inconſiderate ſe geſſit. *Ac ſane doleo ſicubi per nimiam feſtinantiam, qua pleraque horum edita fuere, aſpere quidquam in alios dictum exciderit. Ad Caſtellanum vero quod attinet; habendam viro accuratiſſimo prolixam ſane gratiam fateor, quod labore aſſiduo Sanctorum hiſtoriam perpoliverit, & a naevis quam plurimis emundaverit: etſi interdum ut homo praecipitatione judicii fallitur animi.*

PAG. 38. *poſt finem Adnot.* 5. *ſic addes.* Fatendum eſt, figendo Juſtini Jun. conſulatui & ſecutis poſtconſulatibus haud tenuem offuſam reperiri caliginem. Noriſius anno *566.* eum Juſtini conſulatum conſignaverat. At Pagius tum in Proleg. ad Differt. Hypat. tum ipſius Diſſert. par. 3. c. 2. & 3. & ad ann. *566. 567.* & ſeq. Juſtini conſulatum anno *567.* eſſe aſſignandum contendit.

At

At mihi tum Justinae Abbatissae titulum sepulcralem (in quo cum Indict. tertia ac mense Novembri quartus Justini postconsulatus componitur) tum alia consideranti haec demum ratio componendi omnia, inter Pagium & Norisium media in mentem venit. Videndum igitur, an nō his ultimis moribundi consulatus temporibus, consularis dignitas aequis passibus cum indictione cucurrerit; ita ut non minus illa quam haec a Kalendis Septembribus inciperet, & in sequentem Septembrem desineret. Itaque a Septembri anni 566. Justini consulatus cum Indict. XV. incepit. A Septembri anni 567. annus post consulatum Justini secundus cum indict. I. auspicabatur. A Septembri anni 568. annus post consulatum tertius cum Ind. II. progrediebatur. A Septembri anni 569. annus post consulatum quartus cum indict. tertia procedebat. Id inquam ex Justinae Abbatissae inscriptione cum aliis monumentis collata firmatur. Verum haec nunc ad vivum resecare non vacat, atque expendere, utrum haec ratio cum aliis monumentis cohaereat. Ac doleo in temporis hujus notis chronologicis non tantum scriptores, verum & inscriptiones aut mendis scatere [si parum accurate exscriptae fuerint] aut in exponendis postconsulatibus diverso more se gerere, ut saepe obscuritatem pariant.

PAG. 43. *in Adnot.*12. *col.*1. *v.*21. *post* Confecit, *adde hanc parenthesin*: (aut quae saltem sub ejus nomine circumferuntur).

PAG. 53. *in Adnot.* 27. *col.* 2. *v.* 1. *post* ῥοδίζω *adde haec, quae operarum incuria exciderunt*: significare *Rosam refero*, nempe.

PAG. 59. *post finem diei XVI. adde.* Haec porro martyr citerioribus saeculis *S. Julianesa* vulgo Neapoli dicebatur, uti ex viro docto cognovi. Quod inde haud dubie factum censeo, quod sicuti ex genitivo Graeco *Agnes* manavit etiam rectum *Agnes*, ex quo demū Italicum *Agnesa* fluxit; eisdem gradibus ex patrio casu *Julianes* (quod uti dixi, tum in his fastis, tum etiam multo post in Kalendario Ritualis Neap. scriptum legitur) prius nominativus *Julianes* exstitit, unde tandem vernaculum *S. Julianesa* aut *Julianessa* profectum fuit.

PAG. 60. *col.*2. §. Quae hactenus *v.*7. *& pag. seq. duobus in locis & alibi pluries citatur quaedam* Italica Dissertatio. *At quaecumque ad illam rem pertinent, jam ex dissertatione illa postea decerpsimus, & contulimus in Diatribam huic Commentario praeviam pag. XX. & XXI. Itaque Italicam dissertationem exspectari veto.*

PAG. 62. *post finem adnot.*41. *adde.* Vide tamen Matt. Raderum in Virid. sanctor. ubi de sanctis caecis agit: ubi Pygmenium caecum sub Juliano in Tiberim praecipitatum memorat.

PAG. 63. *post finem diei XVIII. adde.* Postremo Aringhus to. 1. Rom. subter. p. 375. n. 4. S. Pigmenii imaginem Romae in coemeterio repertam narrat; deque eo accipit, cujus IX. Kal. April. in Rom. Mrologio festum agitur. Nec tamen dicit, illumne intelligat qui sub Diocletiano, an qui sub Juliano passus narratur.

PAG. 64. *die XX. col.*2. *v.*11. *pro* apocopam *scribe* aphaeresin.

*IBID. die XXI. col.*1. §. In serie *v.* 3. *pro* sedit initio V. saeculi, *scribe*, sedisse a chronographo dicitur.

ADDITIO ad XXIII. Febr. Adnot. 46. *pag.* 68. *& seq.*

CURAE POSTERIORES

De Sabbato Magno, quo S. Polycarpus martyrium subiit.

Smyrnensium de passione S. Polycarpi epistola num. 8. S. Episcopum post comprehensionem ductum in civitatem narrat, ὄντος Σαββάτου μεγάλου, *die magni sabbati*. Et in fine n. 21. *Martyrium passus est* . . . (σαββάτῳ μεγάλῳ) *magno sabbato, hora octava*. Et aestuant quidem eruditi viri in eo, quidnam Smyrnenses *Sabbatum magnum* vocaverint. Nam etsi ple-

plerique Sabbatum paſchati proximum intelligunt; tamen quia paſchale Sabbatum numquam potuit in XXIII. Febr. incurrere, hinc & chronologicae notae jam pridem vitiatae fuerunt, ac tot opinionum (13) prodigia exorta fuerunt: ita ut candidiſſime omnium Valeſius ad Euſeb. IV. 15. neſcire ſe quid ſit *Sabbatum Magnum* profiteatur.

At equidem ad XXIII. Febr. Adnot. 46. meam de eo conjectionem in medium attuli, qua ſuſpicabar, id ſabbatum non Judaicum fuiſſe, ſed Chriſtianum Judaico oppoſitum h. e. diem Dominicum. Nam quum Smyrnenſes Chriſtiani ex Scripturarum lectione didiciſſent, in ſacro codice *Sabbati* nomine non tantum venire diem hebdomadis ſeptimum, ſed vocem eſſe feſtis omnibus communem; hinc biblico ſermoni inhaerentes, diem Dominicum (qui inter Chriſtianas feſtivitates vere maximus habebatur) *Sabbatum magnum* h. e. Feſtum magnum nuncupaverunt. Imo (quod conſequens eſſe debuit) quum ex Marci XV.42. intellexiſſent, παρασκευὴν (*Paraſceven*: quae vulgo Fer. VI. intelligitur) ab eodem Evangeliſta exponi ſynonymo vocabulo προσάββατον h. e. *Anteſabbatum*; hinc quia *Sabbati magni* nomine placuerat diem Dominicum intelligi, viſum etiam Smyrnenſibus fuit praecedentem diem (qui utpote ſeptimus dies, ab Judaeis vulgo *Sabbatum* nuncupabatur) παρασκευὴν appellare. Sicuti re vera num. 7. vocatur; ubi τῇ παρασκευῇ (*die Paraſceves*) Polycarpus comprehenſus dicitur. Per omnia igitur ſe Judaeis [Chriſtianorum infenſiſſimis hoſtibus: quantum ex his ipſis Actis colligitur] ſeſe Smyrnenſes ἀντιςοίχȣς eſſe voluerunt, ut etiam nomina immutarent, ac Judaicum ſabbatum παρασκευὴν h. e. *Anteſabbatum* dicerent; diem vero Dominicum verum *Sabbatum*, & cognomento *Magnum* nuncuparent. Haec quidem in cit. Adnot. raptim conjectura tenus effuderam: quae nunc diligentius retractanda curis ſecundis arbitror.

Nam ne ea conjectura riſum excuteret criticis, plura adhuc reſtabant. I. Oſtendendum erat, ſi fieri poſset, diem S. Polycarpi θανάσιμον [*emortualem*] non potuiſſe in Sabbatum Judaicum, & quidem nec vulgare nec illud *Magnum*, incidere. II. Imo re vera Polycarpi paſſionem in diem Dominicum incurriſſe. III. Medio ſecundo ſaeculo nondum hoc fuiſſe uſurpatum, ut antepaſchale ſabbatum, ſive ſeptimus hebdomadae ſanctae dies *Magnum Sabbatum* vocaretur: quae appellatio aevo poſteriore in uſu eſſe coepit. IV. Poſtremo inquirendum erat, numqua veſtigia conſuetudinis ejus reperire liceat, qua olim *Sabbati magni* nomen dies dominicos aut alia Chriſtianorum feſta deſignaverit. Quae quidem omnia tunc prae nimia feſtinatione neglecta, nunc excutienda ſigillatim ſuſcipio, id nempe veritus, ne cui forte ludibrium debeam.

C A P. I.

Quod Polycarpi paſſio nec vulgari ſabbato, nec antepaſchali contigerit.

Ac primum paſſionis B.Polycarpi diem non fuiſſe omnino Judaicum Sabbatum, ne vulgare quidem, illud oſtendit, quod in Smyrnenſis Eccl. epiſtola num. 13. Judaei alacritate ſumma materiam ad rogum convectaſſe narrantur. Videſis (14) locum. At eo tempore gens Judaica quo perditioribus erat moribus, hoc animo

(13) De iis eruditorum dividiis videatur Vſſerius ad Epiſt. Smyrnenſ. Eccleſiae, Valeſius ad Euſebii IV. 15. Pearſonius, Beveregius ad Can. Apoſt. ſed prae ceteris Tillemontius in S. Polycarpo Not. 5. in qua de die & anno paſſionis Polycarpi copioſe diſſerens, omnium ſententias refert.

(14) Ibi ligna ad rogum dicto citius convecta dicuntur, quippe *multitudine confeſtim ex officinis & balneis ligna & ſarmenta congregante* (μάλιςα Ιȣδαίων προθύμως, ὡς ἔθος αυτοῖς, εις ταῦτα ὑπȣργȣ́ντων) *praecipue vero Judaeis, uti ſolent, ad iſta alacriter ſubſervientibus*. Illud ὡς ἔθος ἀυτοῖς, *ut eorum eſt mos*, utrum ad ingenitum eorum in Chriſtianos odium, an ad ſervilia miniſteria ab iis, tam-

animo obstinatiore ad superstitionem usque ἐσαββάτιζε (*Sabbati otium observabat*) quod tritum est omnibus. Porro si in diem hebdomadis septimum non potuit passio Polycarpi incurrere; concidit jam illa Tillemontii & aliorum receptissima opinio, qui id martyrium non alia de causa in annum *166.* contulere, quam quia eo tantum anno dies XXIII. Febr. in Sabbatum incidit.

Multo vero minus sabbatum magnum h. e. ante-paschale id erat; nec solum ex dicta causa cessationis, quippe quā Judaeos eo die non observasse ostendimus; verum etiam quia die XXIII. Febr. Polycarpum fuisse absumptum tot argumentis certissimum est, ut frustra de eo dubitari possit. Vide Valesium ad Eusebii IV. 15. in fine, & quae nos ad 23. Febr. Adnot. *46.* Etsi vero in fine Smyrnaeorum epistolae nunc legatur: Μαρτυρεῖ ... πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, *Passus est... ante VII. Kal. Majas*; tamen ex ultima voce duas excidisse litterulas ac legendum esse Μαρτίων, (*Martias*) ex omni retro antiquitate certissimum est, quae omni tempore martyrium in XXIII. Febr. contulit; cui & fasti nostri marmorei concinunt. Addit Valesius, etiam in antiqui interpretis exemplari quodam legi *Martias*: penes quem fides esto. At diem XXIII. Febr. longe extra terminos paschales esse, nemo non videt. Vides cur Passio in antepaschale, aut omnino vulgare sabbatum non incurrerit.

C A P. II.

Polycarpum anno 167. die Dominico recepisse martyrii coronam.

Age vero ostendamus hunc martyrem vere die Dominico (quem Smyrnenses scil. *Magnum sabbatum* nuncuparint) consummatum. Mihi non est dubium, quin omnium tutissimum sit in Polycarpi rebus Eusebium sequi ducem, qui & ejus historiam optime omnium callebat, ut qui in ampliore de martyribus opere de eo copiose scripserat; nec ignorare poterat quaenam apud Smyrnenses *Sabbati magni* vocabulo notio subesset; quique praeterea scientiam temporum perfecte tenebat; nam & post Nicenam synodum Canonem Paschalem composuisse narratur. Tot ille praesidiis instructus, tamen in suo chronico passionem Polycarpi in annum M. Aurelii septimum (qui est Christi 167.) conjecit, non nescius scil. eo anno diem XXIII. Febr. in diem Dominicum incurrisse. Ergo ex Eusebii auctoritate duo colligimus, & Polycarpi certamen in Dominicum diem incidisse, & Eusebium (qui non ignoraret Polycarpum die *Sabbati magni* passum scribi) ei anno illius certamen assignasse, quo sciret oportuisse Polycarpum die Dominico occumbere. Ex quibus omnibus intelligitur, non tantum ex Smyrnaeorum acceptione *Sabbatum magnum* fuisse diem solis,

tamquam vilibus mancipiis, praestari solita; an postremo ad utrumque sit referendum, non interpretor; etsi neutrum in Judaeis defuisse, satis mihi fit verisimile. Prae ceteris autem notandum est verbum ὑπουργούντων: quod quidem parum accurate Cotelerius reddidit *Juvantibus*. Atqui hoc parum est; nam etiam consilio & auctoritate juvare potuissent. Verum *Subservientibus*, quod posui, totam vim Graeci participii exprimit. Plutarchus in Romulo: ὑπουργοῦσι τοῖς ἀνθρώποις τὰ πρὸς τὴν ταλασίαν: *Viris in lanificio subserviunt*. Judaei porro non tantum simul cum aliis congerebant ligna, verum ipsi prae ceteris qua bajulando, qua carris aut jumentis onerandis, qua pyram componendo, in omnibus hisce ministeriis imperata faciebant.

Hactenus dicta satis ostendunt, Judaeos eo die Sabbatum non egisse. At contra quia post octogesimum hinc annum Smyrnensis presbyter Pionius re vera die sabbati Judaici in forum deductus fuit; ob eam causam Actorum scriptor (apud Ruinart. num. 3.) hanc rationem reddit, cur inter infinitam spectantium multitudinem etiam Judaeae mulieres adfuerint: *Innumerae quoque aderant feminarum* [supplendum est, *Judaearum*] *catervae, quia erat dies Sabbati, & Judaeorum feminas ab opere diei festivitas relaxabat*. Unde & illud, quod modo monui, confirmatur, infinitam scil. Judaeorum multitudinem Smyrnam inhabitantium magna ex parte operam suam locasse in ἐργαστηρίοις.

lis, verum & ab Eusebio eam acceptionem non fuisse ignoratam; ac postremo perverse ab iis factum, qui in anno passionis illius definiendo ab Eusebii calculis recesserunt: qui annus nō debuit alius esse, quam quem docuit Eusebius, & cum eo Hieronymus, h. e. annus Christi 167.

Atqui hunc ipsum annum etiam Valesii calculi demonstrant. Qui ex Aristidis orat. sac. I. & IV. perquam ingeniose ostendit, Statii Quadrati (sub quo Polycarpus decertavit) Asiae proconsulatum non nisi in annum 167. (quem ipsum Eusebius Polycarpi dimicationi assignaverat) cadere potuisse. Quae vero Tillemontius in S. Polycarpo Not. V. adversus calculos Valesianos objecit, esse vanissima, facillimum esset demonstrare, si tanti res esset. Et tamen quum Valesius, vir tantus, probe potuisset advertere, anno 167. diem XXIII. Febr. in Dominicum diem cecidisse; maluit tamen profiteri, ignorare sese quid *Sabbatum magnum* in Smyrnensium epistola significet. Quod utrum in humanam viri summi ἀβλεψίαν, an quid aliud conferam, haud facile dixerim.

C A P. III.

MAGNI SABBATI pro vigilia Paschatis acceptionem longe recentiorem temporibus Polycarpi fuisse, etsi Trullana synodo antiquiorem, utpote a Chrysostomo usurpatam. Ejus origo detegitur; ac simul post Nicena tempora obtinere coepisse ostenditur.

Scio quid viros magnos in eo obfirmaverit, ut Polycarpum die Sabbati, & quidem antepaschalis, passum voluerint. Nempe eos Trullanus (15) Canon transversos egit: in quo μέγα σάββατον ex Graecorum canonistarum interpretatione illud est, quod paschali diei antecedit. Quocirca modis omnibus providendum criticis fuit, etiam, si necesse sit, textu epistolae Smyrnensium paullulum immutato, ut Polycarpum appareat sabbato antepaschali obiisse. Aut quia id obtineri haud facile potest, saltem moderatius alii vulgari aliquo sabbato h. e. die septimo eum coronatum volunt.

His quidem facile erat respondere, nihil esse cur de *Sabbato magno*, quatenus est antepaschale, sollicitudinem gerant: quam nominis acceptionem perquam recentem esse oporteat, quandoquidem nullus alius locus antiquior Trullano exeuntis VII. saeculi canone, ut ante dictum, affertur. Nam quod ex titulo orationis (16) Amphilochii afferri video, id fallax esse reperio. Itaque eam appellationem

(15) Nec enim ante πενθέκτην [*quinisextam*] synodum ea appellatio hoc sensu usurpata credebatur; etsi postea eamdem in Chrysostomo repererim, ut cap. seq. dicam. Ergo Trullano canone 89. legitur: *Dies salutiferae passionis in jejunio & oratione & cordis compunctione peragentes fideles oportet* (περὶ μέσας τῆς περὶ τὸ μέγα σάββατον νυκτὸς ὥρας ἀπονηστίζεσθαι) *non nisi circa mediam MAGNI SABBATI noctem jejunium solvere.* Vbi Balsamon, & Aristenus nomine *magni sabbati* illud Paschati proximum intelligunt. Eamdem appellationem tum in Marco Hydruntino medii octavi saeculi episcopo (cujus Graecus Hymnus *In Magnum sabbatum* Latine versus exstat in Biblioth. Patrum) tum etiam in Niceta Nanzianzeni scholiaste reperio. Addatur his Nomocanon Coteleriaus num. 426. Addatur & Zonaras ad Laodicenum canonem 45. Nam exstant de eadem re tum dictus canon Laodic. tum etiam Apostolicus 66. sive 64. in quibus hoc idem ita praecipiunt, ut tamen μεγάλου σαββάτου nomenclatura abstinuerint: sicuti & Constitutor Apostolicus hoc idem sanciens, aliter eum diem describit V. 14. & ult. & VII. 24. Augustinus etiam de re ead. loquens *Diem paschalis vigiliae* vocavit.

(16) In Glossario Latino Cangii laudatur Amphilochii Iconiensis homilia τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, *Magno sabbato* dicta. Verum in Amphilochii editione Combefisiana ejus homiliae numero septimae [quam unam magno illo Amphilochio Basilii amico minime indignam inter illas ei falso tributas judico] titulus sic concipitur: εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἁγίου σαββάτου, *in diem Sancti sabbati*. Nec alterius inscriptionis Combefisius meminit. Etiamsi vero in aliquo forte Ms. illa Cangii epigraphe reperiatur; scitum est, inscriptiones hujusmodi raro ab

nem esse valde novitiam, suspicabar. At postea quum *Magnum sabbatum* pro vigilia Paschatis in quadam Chrysostomi homilia sine ambagibus usurpatum reperissem (cujus locum opportunius cap. seq. producam) statim intellexi eam appellationem decurrente IV. saeculo, non ante tamen Nicenae synodi tempora, exortam fuisse: proinde nihil cum Polycarpi aetate habere commune.

Etenim *Magni sabbati* ἐπικλησία cum *Magnae hebdomadae* nomine communes natales, nisi vehementer, fallor, habuit. Vbi enim ultimam jejuniorum hebdomadem vocari *Magnam hebdomadam* placuit; simul etiam ejusdem septimanae dies audire *magni* coeperunt. In primis vero septimus dies (ut qui peculiaribus praerogativis supra ceteros eminebat) continuo *Magnum sabbatum* est appellatum: quod totum ex laudata Chrysostomi homilia cap. seq. planissimum faciam. Nec enim *Sabbati Magni* pro sabbato antepaschali appellationem ab (17) Judaeis acceptam (quod Beveregius ad can. Apostolicum LXVI. censuit) mihi persuadere queo.

Habes *Magnae hebdomadae* & Magni Sabbati nomina saeculo IV. inducta fuisse: cur autem post Nicena tempora id obtinere coeperit, has habeo causas. Ante Nicenam synodum Asianae & aliae complures per orbem Ecclesiae adhuc Pascha die XIV. primi mensis cum Judaeis celebrabant. Hoc quamdiu apud plurimos viguit [quum scil. mos hodiernus, quo Pascha diei Dominico lunam XIV. proxime excipienti necessario affigitur, nondum generalis concilii decreto firmatus esset] nulla dum in tota Ecclesia hebdomas antepaschalis fixa erat. Nam quia Judaeorum & Quartodecimanorum paschalis dies modo in unam modo in alteram feriam incurrebat; ultima quadragesimae septimana nulla designabilis erat, ut quae intra solitos hebdomadae terminos (nempe inter diem Solis atque Saturni) contineri nequiret. Poterat id quidem apud Romanos & plerasque orbis ecclesias, Pascha diei Dominico advincientes: at quamdiu id generale non fuit, ab imponendo illi septimanae vocabulo abstinuere, ut quae apud plures vaga erat, quia raro Pascha in Dominicum diem incurrebat. At postquam conventus generalis decreto Pascha die Dominico ab omnibus celebrari coepit; tum credo venisse in mentem, ut illi ultimae hebdomadae [quae jam invariabilibus terminis hinc Dominicae Palmarum, illinc Sabbati sancti finiebatur] vocabula διακριτικά quaererent, ut & *Magna* aut *Major* aut *Sancta* hebdomas, & ejus dies ultimus *Magnum sabbatum* appellaretur. Quod totum ducentis ferme annis ab aetate S. Polycarpi abfuit: ut proinde ineptū sit credere, Smyrnensem ecclesiam de ea *Sabbati magni* notione cogitasse.

C A P. IV.

Quae causa Smyrnaeis fuerit ut cuilibet diei Dominico Magni sabbati nomen imponerent. Vnica videtur causa fuisse quod

ab auctoribus prodiisse, ac plerumque a librariis adfictas. Postremo in oratione ipsa nulla est usquam *Magni sabbati* appellatio.

(17) Sane si in Josepho aut Philone, aut saltem in Misna, aliisve antiquioribus Judaeis Sabbatum quod Paschati antecedit, *Magnum sabbatum* vocatum reperiretur; esset cur eam appellationem ab Judaeis Christianos arripuisse crederem. Nunc ea nomenclatio a Rabbinorum officina prodiit: de qua videatur Buxtorfius in Synagoga Jud. cap. 12. & in Lex. Rabbin. Nempe ab his magistris שבת הגדול *shabbath haggadol* h. e. *sabbatum magnum* illud vocatur, quod paschalem festivitatem proxime antecedit. Ac dicerem eos id nomen a Christianis imitatos, si id Judaeorum ingenium pateretur. Illud potius est, Christianos juxta ac Judaeos in idem vocabulum convenisse diversis viis, nim. propter peculiares utrisque causas. Christiani enim sic vocarunt, quod illud sabbatum Magnae hebdomadae non tantum pars, sed *consummatio* [uti loquitur Chrysostomus] esset: at Rabbini sic suum vocatum jactant propter miraculum, quod accidit patribus ipsorum in Aegypto. Vide *Minhagim* [sic Judaeorum quidam liber ritualis vocatur] in ritibus Paschatis.

SABBATVM sermone Biblico vox erat festis omnibus communis. Loca ex V. T. item Epiphanii, Ambrosiique & Evangelii Joannis eo facientia. Hinc Sabbati nomen ad festa Christiana trahi coeptum. SABBATVM pro festo Resurrectionis a Nysseno usurpatum. Quum porro Smyrnaei intelligerent Domini resurrectionem non tantum Paschate, sed omnibus Dominicis celebrari [de quo veterum loca promuntur] hinc Sabbati MAGNI nomen pro Dominicis apud eos invaluit. Epiphanii & Ambrosii loca de νυκτῷ *Magno sabbato. Pulcherrima Chrysostomi homilia, non Sabbato Sancto, sed initio hebdomadae S. habita: in qua tamen SABBATVM MAGNVM est antepaschale; idque videtur primum ejus notionis documentum. At contra ex altero quantivis pretii loco Actorum S. Pionii M. docetur, eosdem Smyrnenses adhuc anno 250. id usurpasse, ut Christiana festa [in quorum numero Natale Polycarpi erat] SABBATA MAGNA nuncuparent: eoque lis tandem deciditur.*

Restat id unum, ut appellationis *Magni sabbati*, pro diebus Dominicis ceterisque festis majoribus accepti, vestigia undecumque rimemur. Atque ut inde ordiar: si quis interroget unde hoc Smyrnaeis in mentem venerit, ut quemlibet diem Dominicum vocaverint *Sabbatum* & quidem *Magnum*; respondebimus eam *Sabbati* notionem illos ex iis Scripturae (18) locis didicisse, in quibus vox Sabbati aliis a die septimo diebus accommodatur, ita ut ea vox omnibus festis communis fuerit: deinde hanc ipsam conjunctam *Magni sabbati* locutionem Smyrnaeos cum ceteris Asianis ab Evangelista Joanne [cui Asiae ecclesiarum fundatio ab Hieronymo tribuitur,& in cujus schola profecisse Polycarpus traditur] didicisse: in cujus Evangelio XIX. 31. *Dies MAGNVS SABBATI* haud aliud profecto, quam Judaicum Paschatis festum intelligitur. Quod cave cum nonnullis ita appellatum statuas, quod anno mortis Christi in unum eumdemque diem re vera duo festa coiverint,nempe septimus hebdomadae dies [qui vulgo *Sabbatum* vocabatur] & paschalis sollemnitas. Verum is dies de quo ibi Joannes loquitur, ita *Magnus* dicitur,ut etiamsi Pascha in aliū hebdomadis diem cecidisset,aeque *Magnus dies*,aut *Magnum sabbatum* fuisset vocatus: de quibus nos ad Joannem ipsum σὺν Θεῷ plura. Ergo quum Pascha *Magnum sabbatum* vocari Smyrnenses ab Apostolo didicissent; ipsi quoque Pascha Christianum h. e. diem Dominicae Resurrectionis eadem appellatione donarunt: quod & postea Gregorius Nyssenus, ab antiquis

(18) Cujusmodi illud est Levit. XXIII. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati* [h. e. festi paschalis] *in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas*. Similiter ubi neomeniae & *Sabbata* observari jubentur, & in aliis hujuscemodi pluribus locis, nihil vetat sabbatorum ambitu etiam cetera festa praeter diem septimum contineri.

His accedunt etiam antiquorum testimonia. Epiphanius in Ebionaeorum haer. XXX. c. 32. *Sabbatorum varia genera lege praefinita sunt. Nam quod septenum dierum orbe revoluto celebratur, proprie sabbatum dicitur. Sed aliud est, quod vel incurrentibus noviluniis, vel ob alios festos dies SABBATVM dicitur, puta Tabernaculorum, vel Paschatis ferias. Adhaec sollemne quoddam jejunium quotannis observant, quod Magnum* (Sabbatum) *& aliud quod Parvum vocant. Quoties igitur dies ejusmodi in alterum a Sabbato diem, vel tertium aut quartum incidunt, istud ipsum illorum instituto Sabbatum censetur.*

Hinc porro intelligitur, quid sibi velit Ambrosius lib. VIII. in Luc. num. 25. sic ordiens: *Nec illud otiosum, quod SABBATO passus est MAGNO, significans fore sabbatum, quo mors destrueretur a Christo.* Atqui Christum non sabbato sed Fer. VI. mortuum nemo ignorat. Ita quidem. Sed erat *Parasceve Paschae*, ut in Evangelio legitur: quod Pascha unum erat ex magnis Sabbatis. Tria enim potissima sabbata,Judaeis erant [quae etiam *Magna* fuisse vocata,ex Ambrosio heic discimus] Pascha, Pentecoste & Scenopegia. Quia vero dies XIV. lunae [quo die Christus excessit] passim inter paschales habebatur; idcirco & *Magnum sabbatum* a Mediolanensi vocatur.

quis utique acceptum, suis (19) scriptis inspersit.

Atqui iidem Smyrnenses etiam Κυριακῆς ἡμέρας (*diei dominici*) observantiam ab eodem plane Apostolo edocti fuerunt, qui Apoc. I. 10. primus omnium Κυριακῆς ἡμέρας [*diei Dominici*] mentionem disertam facit. Adhaec ab eodem Apostolo didicerant, non tantum die Paschali, sed omnibus diebus Dominicis non aliud quam resurrectionem Dominicam celebrare. Quidni enim ab eo hoc didicissent, quod omnes (20) antiqui [quod nempe dies Dominicus sit ἀναστάσιμος, h. e. *Resurrectioni Domini sacer*] ab Apostolis didicerunt? Mitto heic cetera diei Dominici elogia quae (21) antiqui Patres plenis buccis depraedicant. Ex quibus colligitur non esse mirandum, si Smyrnaeorum Ecclesia juxta cum ceteris Asianis hoc vere maximum, cujuslibet scil. diei Dominici festum, vocaverit *Magnum sabbatum*.

Vtinam vero alia antiquorum loca, quae Smyrnensi Ecclesiae concinerent reperire licuisset. Nyssenum quidem Sabbatum pro die Resurrectionis h. e. quolibet Dominico, accipientem supra Adnot. 19. protulimus. At is ἁπλῶς *Sabbatum* id nuncupavit, plena *Magni sabbati* locutione non usus. Tametsi non desunt illustres Patres qui *Magni sabbati* meminerunt; at ii tamen id nomen ad spirituales significantias traduxerunt: quae ipsa tamen loca cuicui modi sunt, utpote non inutilia ad id de quo agimus, inferne (22) adscribenda censui.

Praeter autem haec spiritualis Magni sab-

(19) Greg. Nyssenus or. I. in Resurrect. Christi prope ab initio citra ambages diem Resurrectionis Dominicae *Sabbatum* appellat, & quidem Judaico sabbato praesignatum. Ejus verba non pigebit adscribere. Γνώρισον δι' ἐκείνου τοῦ σαββάτου τοῦτο τὸ σάββατον, τὴν τῆς καταπαύσεως ἡμέραν &c. *In illo sabbato* (Judaico) *sabbatum hoc* [Resurrectionis Dominicae: de qua tunc orationem habebat] *recognosce, hunc nempe REQVIETIS diem, cui benedixit supra dies alios Deus. In quo vere ab omnibus operibus suis Deus Vnigena conquievit; qui divino redimendi morte sua hominis consilio, postquam carne* (σαββατίσας) *sabbatizasset, & in id, quod erat, per resurrectionem revertisset, quidquid* [in sepulcro] *jacebat, secum exsuscitavit, vita & resurrectio, & oriens, & dies sedentibus in tenebris & umbra mortis factus.* Ex quibus quid veteres Christiani *Sabbatum* appellaverint vides, nempe diem Resurrectionis, utpote quietis ab omnibus Christi operibus, & consummatae redemptionis diem.

(20) S. Ignatius in genuina ad Magnesianos epist. cap. 9 vetat sabbatum colere, sed ejus loco diem Dominicum, ἐν ᾗ καὶ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν &c. *Quo & vita nostra exorta fuit.* Clemens Alex. in Strom. VII. de vero Gnostico: κυριακὴν ἐκείνην τὴν ἡμέραν ποιεῖ . . . Κυρίου ἀνάστασιν δοξάζων. *Dominicum illum diem facit . . . Domini resurrectionem glorificans.* Mitto ceterorum loca; ac satis sit Apostolicus Constitutor lib. VII. cap. 30. ubi sic incipit: Τὴν ἀναστάσιμον τοῦ Κυρίου ἡμέραν, τὴν Κυριακὴν φαμὲν . . . *Die resurrectionis Domini h. e. Dominica, convenite assidue, gratias agentes Deo* &c. Hinc & in interpolata Ignatii ad Magnes. epistola loco supra cit. dies dominicus vocatur ἀναστάσιμος; ut & passim apud alios Graecos antiquos juxta ac recentiores. Imo non alia de caussa Chrysostomus in Ps. CIX. primum hebdomadae diem dictum (κυριακὴν) *Dominicum* docet, quam διὰ τὸν ἐν αὐτῇ ἀναστάντα Κύριον, *quod eo die Dominus resurrexerit.* Ambrosius quoque ad Ps. XLVII. num. 1. ubi saepe hoc ipsum inculcasset, in fine ait: *Vbi enim Dominica dies coepit praecellere, qua Dominus resurrexit; sabbatum quod* (dignitate) *primum erat, secundum haberi coepit a primo.*

(21) Vt quod Graeci patres Dominicam modo βασίλισσαν aut βασιλίδα τῶν ἡμερῶν [*reginam dierum*] vocant, modo *festum festorum*, aliisve vocabulis decorant: quae in unum coëgit verae Ignatianae ad Magnesianos epistolae interpolator in eo quem superiore Adnot. designavimus loco: *Omnis Christi amator Dominicum celebret diem* (τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν) *resurrectioni Domini sacrum, dierum omnium reginam ac principem.*

(22) Epiphanii & Ambrosii locis contentus ero: apud quos adhuc solos magni sabbati τοῦ νοητοῦ mentionem reperi. Epiphanius igitur de Judaeorum quibusdam sacris disserens eaque simulacra fuisse rerum Christianarum conten-

ſabbati monumenta, videbar equidem *Magnum ſabbatum* pro die Dominico in quadam Chryſoſtomi homilia forſitan deprehendiſſe. Verum quum ſaepe qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingant; ſtatim intellexi, unam mihi Graecam voculam praeter conſuetum morem uſurpatam impoſuiſſe: cujus vera notione perſpecta, *Sabbatum* illud *Magnum* omnino ad ſabbatum antepaſchale pertineat neceſſe eſt. Tamen eum Chryſoſtomi locum, ad multa valiturum, cognoſſe (23) non poenitebit.

Jam vero quod huic Smyrnenſis epiſtolae

tendens, de ſabbato Hebraeorum [Haer. VIII. quae eſt Epicureor. &c. cap. 6.] ſic ſcripſit. Καὶ ἦν ἐκεῖ σάββατον, κατέχον ἡμᾶς εἰς τὸ ΜΕΓΑ ΣΑΒΒΑΤΟΝ, τουτέστιν εἰς ἀνάπαυσιν Χριστοῦ. *Et erat ibi* [nempe in Vet. Teſt.] *ſabbatum quod* (tantiſper occupatos) *detineret nos* [h. e. humanum genus, uſque] *ad MAGNVM SABBATVM, hoc eſt ad Chriſti requiem*, i. e. Chriſtum qui praebet requiem a peccatis, uti ſtatim declarat verbis ſequentibus: ἵνα ἐν Χριστῷ σαββατίσωμεν ἀπὸ ἁμαρτημάτων, *ut in Chriſto ſabbatizemus a peccatis*. Hoc vero, quod heic in pauca contraxit, plenius ac planius expoſuit Haer. XXX. quae eſt Ebjonaeorum cap. 32. ubi ideo ab Apoſtolis ſpicas ſabbato vulſas docet, *Vt*, inquit, *vincula illa ſabbati ſanctione prius adſtricta, mox ſoluta eſſe monſtrarent, MAGNO SABBATO adveniente, hoc eſt Chriſto* [τοῦ ἀναπαύσαντος ἡμᾶς] *requiem dante nobis a peccatis noſtris: cujus figuram prae ſe tulit Noe, de quo Pater... Quoniam, inquit, hic requiem nobis dabit a peccatis noſtris... Quod apprime Chriſto congruit, in quo.. ſancti omnes requieverunt, a peccatis requiem agentes. Hic eſt MAGNVM SABBATVM, & perpetuum, cujus parvum illud exemplar erat*.

Venio ad Ambroſium, qui his ultimis Epiphanii verbis concinit duobus maxime in locis. Nam in *Exhortatione Virginit.* num. 48. virgines ſic alloquitur: *Donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & ſeptuaginta arbores palmarum, ad illam MAGNI requiem SABBATI divina vos dignatio perducat, & in montem hereditatis ſuae plantare dignetur, ubi Sancta Maria choros ducit*. Non aliter quoque quam de alterius vitae requie id vocabulum orat. de obitu Theodoſii num. 29. acceptum intelliges, ſi cum ſuperioribus nectas haec quae ſequuntur: *Haec eſt requies SABBATI MAGNI, ut unuſquiſque ſanctorum ſupra mundi ſenſibilia ſit, in illo intelligibili ſecreto totus intentus atque adhaerens Deo. Haec eſt requies illa ſabbati, quo requievit Deus ab omnibus operibus mundi iſtius*. Magnum iſtud alterius vitae ſabbatum ceteri omnes Patres Graeci & Latini *Sabbatiſmum* vocarunt: quibus Apoſtolus in illa ad Hebraeos anteiverat.

Alibi tamen Ambroſius litterali notione uſus, Paſcha *Sabbatum magnum* vocavit: quem locum ſupra Adnot. 18. produximus.

(23) *In illuſtrem Chryſoſtomi locum de Magna hebdomada ac de MAGNO SABBATO. Vnum idemque exordium duabus Homiliis praefixum. Homiliam, de qua agimus, non videri Sabbato S. dictam, pluribus argumentis evincitur. Montfauconii objectiones ſolvuntur. Ex loco Chryſoſtomi* [*qui Smyrnenſium Magno Sabbato favere in ſpeciem poterat*] *falſa interpretatione caſtigata, offuſa ſtatim caligo diſpellitur*.

ADMONITIO

Quum ex laudata Chryſoſtomi Homilia ſpes quaedam de Smyrnenſium Sabbato Magno emicuiſſet; nequid reliquum diligentiae facerem, plura in eam Homiliam raptim adnotaveram. At poſtquam ea me ſpe deſtitutum ſenſi; nolui, quae chartis illeveram, ea Chryſoſtomi ſtudioſis deperire. Haec eo admonenda cenſui, ut ſiquibus haec curae non erunt, admoniti poſſint ea ſtatim ſecuri praetervehi.

Tomo V. operum Chryſoſt. [ex egregia Montfauconii edit. p. 525.] exſtat pulcherrima ſummi oratoris homilia in Pſalm. CXLV. cujus prooemium quia totum in Magnae hebdomadae laudes inſumitur; idcirco apud Savilium inſcribitur εἰς τὴν μεγάλην ἑβδομάδα, *In Magnam* [quae & *ſancta* dicebatur] *hebdomadam*. Miror autem a noſtro Montfauconio non fuiſſe animadverſum, iſtud ipſum exordium, pauciſſimis mutatis, in Hom. XXX. in Geneſim reperiri: vide tom. IV. edit. Montfauc. Pariſ. pag. 293. Vbi quae ab initio homiliae ad eum uſque locum, ubi Scripturae explanationem ingreditur, leguntur, utrobique non modo paribus ſententiis, ſed & totidem plerumque verbis decurrunt. Quod argumento eſt, non modo utrumque ſermonem eâdem hebdomada dictum,

ctum, verum etiam Chrysostomum imitatum fuisse Demosthenem in eo, quod exordia quaedam seposita habuerit, quibus pro rei atque temporum occasionibus uteretur. Quoties igitur majore hebdomadâ concionandum fuit, hoc ei tempori commune prooemium paratum habuit, quod explanationi Scripturae praeponeret.

Antequam vero hinc abeo; notandum est in illa hom. XXX. ad Gen. editorem in re clara caecutisse. Nam statim ab initio ubi Christianos sanctam hebdomadam ingressos cum gubernatoribus in portum intraturis confert, his utitur verbis: *Nam & naucleri, ubi maria multa emensi, passis velis* (καὶ τῶν φορτίων εἰς ὕψος ἐγκειμένων) *& mercibus in altum constipatis, in portum sunt ingressuri, tunc maxime curam ac sollicitudinem intendunt, ne* &c. At editor Graeca, quae modo interposui, Latine reddidit, *Eductisque mercibus*. Videtur enim illud ἐγκειμένων confudisse cum ἐκκειμένων; nam ἐκκεῖσθαι est *Exponi*, at illud prius est *Insidendi* verbum: adde quod in altero prooemio, in quod mox commentabimur, pro illo ἐγκειμ. est συγκειμένων h. e. *confertis, compositis, constipatis*. Deinde & in ima libri ora a Chrysostomo morem priscum designari editor monet, quo, *antequam in portum intraretur, onera & sarcinae educerentur, & in supremo tabulato ponerentur*. Cui bono? anne ut oneraria magis fluctuaret, & ad os portus naufragium faceret?

Verum haec mitto, & ad alteram tomi V. homiliam similiter exordientem accedo. De qua quaeritur, ecquonam hebdomadae sanctae die habita fuerit. Laudatus Montfauc. in subjecta Admonitione, Sabbato sancto haec dicta censuit: ego contra initio sanctae hebdomadae concionem dictam reor hisce de causis.

I. Totum hoc non breve prooemium in Magnae hebdomadae laudibus versatur: quae laudes serae admodum frigidaeque accidissent, si ultimo die dictae fuissent. Non pigebit aliquid ex iis praeconiis adtexere. *Ideoque magnam* [hanc septimanam] *vocamus: non quod illius dies majores sint ceteris, sunt enim & alii longiores: nec quod sint numero plures, pares quippe sunt: sed quod in ea res praeclare gestae a Domino sint*. Deinde ubi Servatoris egregia facinora, in totam hebdomadam convenientia, pluribus enumerasset; ita pergit: *Quamobrem in ea multi sua studia intendunt: alii jejunium augent* [per xerophagiam & ὑπέρθεσιν *superpositionem* scilicet: meminit *Augmenti jejunii* tum Pseudo-Ambrosius, tum Greg. Tur. de quo confer dicta ad 19. Maii pag. 692.] *alii vigilias sacras, alii largiorem eleemosynam faciunt, bonorum operum studio, & intenta pie vivendi accuratione, beneficii a Deo in nos collati magnitudinem testificantes*. Atqui de his & similib. pietatis operib. per totam hebdomadam frequentandis sero suum populum Sabbato sancto, eoque ex parte decurso, admonuisset. Postremo & illud addit, hanc eamd. hebdomadam ab Imperatoribus, qua justitium indicendo, qua vinctos solvendo, honorari: quae non sabbato sancto, sed ab initio hebdomadae fiebant.

II. Si Praesul Sabbato sancto dixisset; decuisset aut Amphilochium imitari, cujus homilia septima sabbato sancto pronuntiata, tota ferme de Dominica passione est; aut certe quia id sabbatum vigilia paschatis erat, poterat ex passione ad Resurrectionem digredi: ut de baptismate taceam, de quo praecipuo ejus diei ritu taceri vix licuisset.

III. In titulo, quem Savilius in suis Mss. reperit, legebatur: ἐλέχθη δὲ τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ ἑβδομάδι, *Dicta est sancta & magna hebdomade*, incipiente scil. aut decurrente, non autem exeunte.

At enim duo affert Monfauconius, cur die Sabbati haec concio sit habita. I. Quia sic orditur, *Confecimus jejunii navigationem*: quod nullo alio hebdomadae Majoris die, quam septimo dici poterat. Atqui mox ipse se explicat Chrysostomus, ubi Christianos cum iis confert, qui emenso mari, ubi os portus attingunt, majorem intendunt diligentiam, ne in ipso portus ostio in periculum incurrant. Etenim portus non alius est quam tota major hebdomada, cujus ostium est primus dies. Deinde non quamlibet νηστείαν (*jejunium*) ad exitum venisse dicit, sed commune & vulgare jejunium: nam perfectius alterum [xerophagiorum & superpositionis scil.] jam tum incipiebat: quo spectat illud, *Augent jejunium*.

II. Laudem illam objicit Magni sabbati, quam ex ipsius Montfauconii interpretatione huc adscribam: *Ac quemadmodum illa* [hebdomada Magna] *caput est ceterarum hebdomadarum, ita hujus caput est Sabbatum magnum: ac quod in corpore caput, hoc in hebdomada sabbatum*. Quibus recitatis Cl. Benedictinus acclamat: *Sabbatum*, inquit, *commendat, quia illo ipso die haec concionabatur*.

At utinam hujus loci interpretatio vera sit. Nam si *Sabbatum magnum* vere Chrysostomus *CAPUT hebdomadae magnae* dixisset; nae is cum Smyrnensibus faceret, hoc est nomine *Magni sabbati* diem dominicum intellexisset, qui tum ordine tum dignitate primus

&

stolae loco, quem tamdiu tractamus, nondum per omnia parem alterum reperire licuerit, ea causa facit, quod Asianorum aevi Apostolici aut supparis aetatis scriptorum haud affatim suppetat. Et tamen adhuc inaestimabilia S. Pionii Smyrnensis Ecclesiae presbyteri acta passionis [quam uno & octogesimo post Polycarpum anno sustinuit] divino beneficio restant: ex quibus bene est, quod ad ea quae diximus, confirmanda aliquid sublustre micat.

Ergo ne me juxta ac lectores frustra fatigem; videamus quid actorum S. Pionii Smyrnensis presbyteri scriptor [Smyrnaeus & ipse, & qui omnino nomenclationes ecclesiae suae ignorare non posset] quid is, inquam, post octogesimum a Polycarpi passione annum, *Sabbatum magnum* vocaverit. In ejus Actis castigatioribus, quae Ruinartus cum antiquissimis membranis contulit, sectio II. sic incipit. *Secundo itaque die sexti mensis* [secundus dies sexti mensis cum XXIII. Febr. componitur: quo die Polycarpus occubuerat] *qui dies est quarto Idus Martias* (imo Graecus auctor *VII. Kal. Martias* scribere debuit, ut cum XXIII. Febr. copuletur: at

& CAPUT dierum hebdomadae est. Nam septimum diem ut Chrysostomus CAPUT, sive ordine sive dignatione spectata, dixerit, numquam adducar ut credam: nisi vero eum hoc loco judaizasse, imo plus Judaeis ipsis sabbatum extulisse, credimus. Ergo fuit, quum locus iste mihi dubitationem injiceret, an non re vera *Magnum* istud Chrysostomi *Sabbatum* Dominica palmarum fuerit: in quam tot illae locutiones [*de ramis palmarum*, de quibus mox videbimus; deque *ore portus*, & quae plura attulimus] conveniunt. Fuit inquam, quum suspicarer, Chrysostomum peraeque ac Smyrnaeos Dominicum diem appellasse *Sabbatum Magnum*, quippe quod Sabbatum *hebdomadae caput* vocat. Sed cupiebam magis rem ita esse, quam sperabam. Atque ea spes dicto citius decollavit, simul atque animadverti Chrysostomi locum falsa interpretatione laborare. Nam ubi Magnum sabbatum vocat κεφαλὴν majoris hebdomadae, cave id *Caput* interpreteris; quum ibi κεφαλὴ sit potius *Finis*, *Absolutio*, *Consummatio*. Jampridem eam notionem Budaeus in Comm. L. G. ex Platonis Gorgia ostenderat, in quo ἐπιθέντας κεφαλὴν τοῖς μύθοις est *Sermonibus imponentes finem*; itemque ex his Galeni verbis, ἐπιθῶμεν κεφαλὴν τῷ λόγῳ. Cujusmodi etiam est illud in ejusd. Platonis Timaeo [ubi κεφαλὴ & τελευτὴ uti synonyma adhibentur] κεφαλὴν καὶ τελευτὴν ἐπιθεῖναι τῷ μύθῳ. Hinc quoque & κεφάλαιον in cod. Chrysostomi loco est *Finis*, *Summa*, *fastigium*; sic enim in paribus locis ab idoneis scriptoribus usurpatur. Ergo nequem posthac Chrysostomi locus fallat; sic erit vertendus. *Quemadmodum illa* [hebdomada magna] *ceterarum est hebdomadarum* (κεφάλαιον) *summa atque fastigium, ita hujus* (κεφαλὴ) *conclusio & consummatio est sabbatum magnum: quodque est in corpore caput, hoc in hebdomade sabbatum.* Nam illud sabbatum toti majori hebdomadae coronidem atque fastigium, ut corpori caput, imponit. Nec video cur, si incipiente aut decurrente septimana Praesul in hebdomadae magnae laudem orasset, eam cum sabbato conferre minus licuerit. Obiter heic notandum, non videri adhuc alium antiquiorem locum, quo *Sabbatum magnum* pro vigilia Paschatis usurpetur.

Habes, cur non Sabbato sancto ea concio dicta fuerit. Nunc etsi circa hebdomadae sanctae initia, puta feria II. aut III. haberi quiverit; tamen magis est, ut ingredientis septimanae initio pronuntiata fuerit, hoc est Dominica Palmarum: id quod de βαΐοις [*ramis palmarum*] mentio bis repetita suadet. *Non ramos*, inquit, *palmarum tenentes & quatientes, sed eleemosynam, jejunium, lacrymas, preces, vigilias . . offerentes.* Rursus ubi ad Psalmi explanationem accedit: *Egressi sunt illi ramos palmarum gestantes, & clamabant, HOSANNA* &c. *Egrediamur & nos, ac pro ramis palmarum virescentem animi alacritatem exhibeamus* &c. An non haec Dominico palmarum die dici decuit, qui Graecis βαϊοφόρος ob eum ritum est appellatus? Huc accedunt, quae de ore portus supra tetigimus. Nam initio magnae hebdomadae intendendam esse majorem curam exemplo gubernatoris suadet. *Sic enim*, inquit, *& gubernatores faciunt, ubi navem . . .* [εἰς στόμα λιμένος] *ad OSTIUM portus sunt inducturi: qui id summa ope laborant simulque metuunt, ne tot emensis maribus oneraria ad scopulum* (ipso in ostio) *quassetur.* Qua in comparatione sicuti portus est ultima hebdomada, sic ostium Dominica palmarum est.

at librarius, nactus heic forsitan fugientem scripturam, ex fine actorum istud *Quarto Idus Martias* huc inscite intrusit, securus de spatio, quod inter comprehensionem atque mortem intercessit; quarum rerũ duarum prehensio in VII. Kal. Martias, obitus autem in IV. Id. Mart. incidit: de quo mox dicam) ait igitur: *Secundo itaque die sexti mensis qui dies est VII. Kal. Martias* (tam autem secundus sexti mensis, quam VII. Kal. Mart. cum XXIII. Febr. concurrit) *DIE SABBATI MAIORE* [Graece erat, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ: sed familiare Latinis erat τὸ Μέγας vertere *Major*] *natale Polycarpi martyris celebrantes* (24) *genuinum, Pionium, Sabinam, Asclepiadem ... vis persecutionis invenit*. Eopte enim die 23. Febr. capti fuere, consummati vero IV. Id. Martias h. e. die XII. Martii, ut in fine notatur. Deinde narratur, *Ante diem, quam natalis Polycarpi M. adveniret* [h. e. pridie, seu die XXII. Febr.] Pionius in somnis admonitus, *sequenti die se esse capiendum*. Itaque postridie sive die 23. Febr. quum Natale Polycarpi celebraretur, *Facta oratione sollemni* (h. e. liturgia celebrata) *quum die sabbato* [illo, quod *sabbatum MAIUS* sive Magnum proxime nuncupaverat] *sanctum panem* (Eucharisticum) *& aquam degustavissent*; *Polemon neocorus sive aedituus advenit*. Itaq. capti ad forum perducuntur: quo quũ immensa multitudo visendi studio confluxisset, etiam Judaeae plurimae convenerunt, *Quia*, inquit, *erat dies sabbati, & Judaeorum feminas ab opere diei festivitas relaxabat*.

Haec pluribus referre non piguit, ut intelligas, in eum diem, quo Pionius cum sociis comprehensus fuit, concurrisse tum Judaici Sabbati sive diei septimi legalem sollemnitatem [& re vera anno 250. in quem Pionii martyrium incidit, dies XXIII. Febr. in sabbatum incidit] tum etiam Christianum natalis S. Polycarpi festum: quia Polycarpum eopte die XXIII. Febr. [qui tamen anno 167. quo hic decertavit, in diem Dominicum inciderat] fuisse consumptum, cap. 2. docuimus. Quae quum ita se habeant, is dies tum Judaeis tum Christianis festivus erat: verum idem dies Judaeorum respectu ἁπλῶς ac sine ulla adjectione *Sabbatum*, at respectu Christianorum *Majus* sive *Magnum sabbatum* nuncupatur. Qua vero de causa id factum dicemus, nisi quod Christianorum festa a Smyrnensibus *Sabbata* vocabantur, biblica scil. locutione, qua festa omnia *Sabbata* nuncupantur propter ejus diei ἐκεχειρίαν sive sacrum otium? Et quidem iidem Smyrnaei Christiana festa vocitabant *Sabbata*, non qualiacumque, sed *Majora* sive *Magna*. In horum vero numero erat *Regina dierum* h. e. quilibet Dominicus dies; adhaec autem Natale Domini, Pascha, Pentecoste & similia, itemque Natale S. Polycarpi: quod

(24) Bollandianum horum actor. exemplum pro *Genuinum* exhibet *Geminum*: quod Tillemontius in S. Pion. Not. 3. cum sequenti voce jungens, putat hunc martyrem fuisse binominem, ac *Geminum Pionium* appellatum.

Sed tamen plures codices & praestantiores *Genuinum* retinent. Sic cod. S. Maximini a Bollando visus: sic etiam ex Colbertinis duobus, & ex Einsidlensi excudi Ruinartus fecit. Idem testatur in cod. Abb. de Noailles hanc vocem deesse: id quod praestabilius censeo. Nam hoc Natale passionis non vero nativitatis [de qua *Genuinum* usurpatur] S. Polycarpi erat. Nisi si vero quis ostenderit, Polycarpum uno eodemque die XXIII. Febr. tum in lucem editum, tum etiam martyrium subiisse. Atqui vox illa *Genuinum* glossam redolet. In Graeco textu, ex quo haec interpretatio manavit, erat omnino Γενέθλιον [nam in Smyrnensium epistola num. 18. ad quod hic locus refertur, ἡμέραν γενέθλιον legitur] quod *Natale* reddidit interpres: optime, quia tam Graecum, quam Latinum nomen de quovis anniversario die sumitur. At fuit alter sciolus, qui maluerit *Genuinum* verti, idque in margine adscripserit, aut versui suprascripserit. Ex quo deinde duo nomina secum pugnantia inculcari coeperunt. At interim Codex Noaill. veterem lectionem retinuit. Nec Graeca acta illa, quae ad nos Metaphrastes transmisit, quidquam habent, quod sive ad *Genuinum*, sive ad *Geminum* [ut sit alterum Pionii nomen] pertineat. Quocirca vocem *Genuinum*, tamquam minime genuinam, expungendam modis omnibus censeo.

quod praecipue a Smyrnaeis summa veneratione celebratum, tum (25) aliunde, tum ex hoc loco Actor. S. Pionii discimus. Laetandum est igitur quod ad interpretationem *Magni sabbati* [cujus Smyrnensis ecclesiae epistola mentionem fecerat] scriptor Smyrnensis alter, annis octoginta junior, opportune suppetias venerit. Interim quod in Commentario ad XXIII. Febr. Adnot. 47. suspicabar, in verbis supra recitatis, DIE SABBATI MAIORE, illud *Majore* intrusum ab sciolis videri, id nunc, memet ipse revocans, indictum volo. Nam ea verba sincerissima esse, etiam Acta Bollandi priora [quae quidem sunt ex eorum actorum numero, quae Metaphrastes in suam Actorum συναγωγὴν ita contulit, ut eis manus non admoverit, sed intacta reliquerit] demonstrant: quae loco superiorum verborum sic habent: *Quum sabbatum magnum intraret*. Ex quo etiam vides *Magnum* & *Majus* interpretibus fuisse synonyma. Atque haec de aenigmate *Magni sabbati* [in Actis tum S. Polycarpi tum etiam Pionii] quod tamdiu fatigaverat viros summos, habui dicere.

PAG. 69. col. 2. §. Heic autem, *quod hinc ad finem usque diei 23. de Natali genuino S. Polycarpi scripseram, id totum a me recantatur. Etenim ut modo in fine Curarum poster. Adnot. 25. animadverti, illud GENVINVM ab sciolis est. Eadem quoque cautio adhibenda est Adnotationi 48. quae tota nunc post proximas Curas Poster. superflua est, imo, & in aliquibus falsa.*

IBIDEM in Adnot. 47. quod dicitur illud MAIORE ab sciolis esse, cave credas. Confer quae proxime in Curis Poster. ad finem cap. 4. de Sabbato majore, quod in actis S. Pionii legitur, edisserui.

PAG. 73. col. 1. v. 12. post τὸ praeesset, *dele quae sequuntur omnia usque ad initium* §. Atque hactenus. *Quum haec enim propere scriberem, effluxerant animo quae olim in Eusebio legeram lib. 3. vitae Constantini de ecclesia a Constantino exstructa in loco S. sepulcri. Ex quibus constat, tum locum S. sepulcri, tum ampliorem Basilicam, quae cathedralis erat, pro una ecclesia utrumque habitum, & tot illa nomina Anastaseos, Martyrii, S. Sepulcri, Golgothae, & similia tamquam utrique communia fuisse usurpata. Etsi sunt qui Golgotham ab utraque distinguunt. Ea vero aedificia intra novam urbem Jerusalem, a veteris situ sejunctam, non extra urbem fuerunt. Ejus ecclesiae accuratam descriptionem (post Valesium in calce Eusebii) nuper dedit S. Cyrilli Hieros. editor Benedictinus ad quem lectorem rejicio.*

IBID. statim post ea, quae modo deleri jussi, adde. Jam vero, quo minus de Praylii *chorepiscopatu sanctorum locorum* miremur, vide quae ad XXVIII. Martii §. IIII. pag. 119. col. 1. dicimus; ubi ostendimus Praylio Passarionem in chorepiscopatu eodem successisse, Passarioni Hesychium, & huic demum Anastasium.

IBID. Adnotatio 53. levis est, ac tota deleri debet. Nemo enim ignorat a Viro Cl. socios Bollandianos semper sub uno Bollandi nomine laudari consuevisse.

PAG.

(25) Festum S. Polycarpi natalicium jam tum statim post ejus passionem celebratum iri, promiserat circularis illa Smyrnensis ecclesiae epistola num. 18. *Nos postea ossa illius ... ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis ut fieri poterit congregatis* (ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ) *in exsultatione & gaudio* [quae sunt plane verba ἑορταστικὰ] *praebebit Dominus* (ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον) *natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui martyrium pertulerunt, tum in secuturorum hominum exercitationem & alacritatem.* Haec vero uti promiserant, sancte servata fuisse, testantur Acta Pionii: in quibus die XXIII. Febr. id Natale etiam fervente persecutione celebratum narratur; eaque gratia ille ipse dies (non secus ac dies Dominici & reliquae festivitates) *Sabbatum magnum* nuncupatus dicitur.

Obiter non omittendum est, quando Constantinus [teste Eusebio lib. IV. de vita ejus] inter festa a se stabilita etiam τὰς τῶν μαρτύρων ἑορτὰς (*Martyrum festa*) retulit, in eo Imperatorem non jus novum condidisse, sed vetus ac receptum imperiali sanctione firmasse.

PAG. 74. *Adnot.* 55. *v.* 2. *pro mendoso numero* 365. *scribe verum numerum* 395.

*IBID. ad finem Adnot.*55. *adde*. Imo si inter *transmarina exempla*, quae Augustinus indicat, Praylii coepiscopatus est referendus; tunc facile dixerim, Praylium anno 395. ineunte aut decurrente (verum antequam simile Augustino sub anni exitum contigisset) collegam ab Joanne adscitum fuisse. Quod si vera sit eorum sententia, qui Augustini ordinationem non anno 395. [& quidem exeunte, uti diximus cum Prospero] sed 396. consignandam putant (de qua opinione, parum ceteroqui probabili, vide Tillem.in S. August. Not.21.) tum aeque liberum erit Praylii coepiscopatum in eumdem annum 396. sed ineuntem aut procedentem conferre. Sed malo, utrumque anno superiore, uti dixi, consecratum.

PAG. 75. *col.* 2. *ante num.*22. *adde*. Huc pertinet ΕΥΧΗ [sic enim scribitur pro προσευχὴ, *proseucha*] illa, quam quaedam femina gentilis erexisse dicitur in lapide Gruteriano p. 1073. 1. qui titulus multa eget indagine. Ejus inscriptionis hic finis est: την τε (fort. pro τήνδε) ευχην ανεστησεν . . . υπερ εαυτης και των ιδιων παντων και εισερχομενου λαου. *Hanc orationem* [sive oratorium aut proseucham] *excitavit . . . pro se & suis omnibus & populo qui intrare voluerit*. Hanc vero inscriptionem pro ethnica habendam, tum praefixum Αγαθη τυχη, tum alia plura ostendunt.

ADDITAMENTA
MENS. MARTII.

*PAG.*83. *col.*2. *v.*11. *pro* haud diu post *repone* haud diu ante.

IBIDEM ad finem diei I. Martii adde. Hactenus dicta refingi poterunt ex iis quae postea ad IX. April.(ubi de S. Maria Aegyptia) ad finem cap. 4. pag. 182. commentati fuimus. Nam ibi statuimus, hoc die coli ignotum quemdam Sophronium vitae Mariae Aegyptiae auctorem, qui non Hierosolymorum episcopus, sed tantum monachus fuerit. Ita hodiernus Sophronius nunc primum ope nostrorum marmorum Ecclesiae fastis accedet.

PAG. 84. *in fine diei III. adde*. De hujus Pauli depositionis die restat non levis difficultas diluenda: de quo ad Dissertationem de SS. Episcopis Neapolitanis, quam in fine hujus voluminis dabimus, lectorem rejicio.

PAG. 86. *Adnot.* 3. *suspicionem illam, qua conjiciebam* Canisianum *Menologium, non ex Sirleti, sed ex antiquiore alterius interpretatione ad nos pervenisse, in totum rejicio; sicuti satis in fine adnotationis ipse me explicui.*

PAG. 91. *in Adnot.*9. *col.*1. *post locum Eusebii & post* τὸ locus esse debuit, *adde*. Quae tamen a sect.12.ad 14. Martyr eloquitur, eo aliquatenus spectant.

IBID. in fine col. 1. *& initio col.* 2. *tria maxime mihi recantanda sunt*. I. *Quod col.* 1. *v. penult. dixi passum die Sabbati, falsum est; quia tentus tantum die Sabbati fuit [quo quia Natale S. Polycarpi celebatur, ideo id Christianis* Sabbatum magnum *vocabatur,ut proxime in fine Curar.posterior. ad* 23.*Febr.docui] at vero die XII. Martii Fer. tertia occubuit*. II. *Quod verba illa*, Cum sabbatum magnum intraret, *erroris arguerim, id revoco: ut & in citatis Curis poster. monui*. III. *Quod in actis Pionii Natale GENVINVM S.Polycarpi accepi pro die quo editus in lucem fuit; id etiam revoco: nam Smyrnenses die* 23. *Febr. Natale passionis non nativitatis S. Polycarpi celebrabant: at illud GENVINVM a semidoctis intrusum fuit. Quae omnia in Curis poster. plenius ac planius edisserta habes.*

*IBIDEM totum id quod Adnot.*9. *col.*2. §.Illud *usque ad finem Adnotationis, de nomine Dei quadrilittero, quod Christiani*

atque ac Judaei sub arcani disciplina custodiebant, edisseritur, mire confirmatur ex iis quae ad IV. April. ad Acta S. Theoduli Mart. pag. 154. col. 2. de eodem nomine in pala annuli scalpto animadverti. Nam ibi quoque id per ambages ita significatur, ut tamen minime sit dubitandum quin de eo maxime nomine agatur. Confer si lubet.

PAG. 92. Adnot. 9. post versum antepen. adde. Postremo initium sect. 3. (quod tale est: *Facta ergo oratione sollemni, quum.. sanctum panem.. degustavissent*) alibi illustrabimus, nempe in Additamentis ad Petri Apost. passionem ab Ambrosio scriptam, ad illud num. XI. *Celebrata oratione*. In his enim *Orationem* esse Liturgiae ecclesiasticae sacrificium, etiam ex Can. XIII. Laodiceno ostendetur.

PAG. 93. die XVI. Martii col. 2. versu 2. dele haec verba: Is tamen ..*usque ad* gregarius est: *& eorum loco sic repone:* & ex Kalendario Carthaginensi V. saeculi, in quo sic legitur: *X. Kal. Jun.* (h. e. 23. Maii) *Luci & Montani*. De eisd. tamen saeculi IX. & X. Mrologia silent. At eos Romanum in XXIV. Febr. intulit. Eorumdem acta quovis thesauro pretiosiora exstant tum apud alios, tum castigatiora apud Ruinartum ad annum 259. quo depugnasse videntur. In hisce Actis duae sectiones [XIV. & XV.] privatim ad Montani gloriosum agonem pertinent. Vbi & illud pulcherrimum est, quod antequam feriretur, *Voce clara .. oravit rogans & deprecans, Vt Flavianus, qui per suffragium populi de comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertia. Et quo precis suae fidem faceret, manualem* [de quo vide Glossarium Cangii in *Manuale*; ubi & simile exemplum ex actis S. Maximini affert] *quo oculos fuerat ligatus, in partes duas discidit, & jussit alteram reservari, qua Flaviano oculi post crastinum ligarentur. Sed & in medio eorum in area* [Carthagine enim coemeteria vocabantur *Areae*] *solum servari jussit, ut nec sepulturae consortio privaretur*. Quod totum haud secus ac praedixerat jusseratque, factum fuit.

PAG. 94. col. 1. v. 13. pro Corbejensi *repone* antiquissimo Antuerpiensi.

IBID. col. 2. post vers. 20. adde. Haec inquam omnia indicio sunt, acta qualiacumq. ab his triumviris visa fuisse. At interim his antiquior Petrus Equilinus non aliud quam Mrologium S. Hieronymi laudat; etsi plura narret quam in Hieronymianis puris legantur. Verum mihi Petrus videtur ex Mrologiis Hieronymi nomen praeferentibus, sed ab aliena manu auctioribus, sua hausisse. Nec secus de illis triumviris sentio: qui facile in Vsuardina Mrologia a posterioribus aucta inciderunt.

Ceterum quod tum Bollandistae (ex quorum numero vide etiam accuratissimum Sollerium ad Vsuardi XXIII. Martii, de Actis non exstantibus conquerentem) tum alii, nulla hujus Montani acta reperiri expostulant, id de Actis integris est accipiendum. Nam ceteroqui sinceris S. Pollionis actis (apud Ruinart. ad ann. 304) prooemium quoddam praefigitur, quod sic incipit: *Diocletianus & Maximianus regnantes decreverunt, ut initiis sub* (vide an non pro *initiis sub* praestet legere, *iniqua sua*) *persecutione omnes Christianos aut delerent, aut a fide deviare facerent. Quo tempore haec praeceptio cum venisset ad Sirmiensium civitatem; Probus praeses imperata sibi persecutione, a clericis sumpsit exordium; & comprehensum sanctum MONTANVM presbyterum ecclesiae Singidunensis, diuque Christianae fidei virtutibus conversatum, jussit necari. Irenaeum quoque episcopum Sirmiensis ecclesiae* &c. Ex his vides, Montanum re vera presbyterum ecclesiae(1) Singidunensis fuisse: at vero in Mrologiis idcirco in urbe Sirmio poni,

(1) Singidunum ita solet vulgo in Moesiae superioris limite [quâ Pannoniam a Moesia dividit] recenseri, ut tamen Aurelius Victor id oppidum Pannoniae tribuerit, dum de Joviani Patre scribit, *Incola agri Singidonensis provinciae Pannoniae*. Accedit quod & in Hierosolymitano Itinerario Pannonia longius aliquanto in Moesiam irrumpit, dum post Singidunum

poni, quia ibi martyrium fecit, ubi & praeses consistebat. Nihil vero mirum quod in laudato prooemio de Maxima uxore taceatur; quia id sibi auctor illius prooemii proposuerat, ut in Clericos saeviri coepisse ostenderet.

PAG. 95. *ad diem XVI. col.* 2. *post finem versus* 2. *adde*. Praeterea videbis dicta inferius ad Martii diem XXVI. ubi Sabinum [de quo hoc die agendum fuisset] cum Montano (cujus dies esse debuit XXVI. Martii) sedes permutasse, observavimus. Quod quidem invicte demonstrat, Montanum hodiernum non nisi illum S. Maximae maritum esse. Cur is porro locum cum Sabino permutaverit, ea omnino causa fuisse videtur. Nam Neapoli quia die XVI. Martii Translatio aut Dedicatio Ecclesiae S. Montani celebranda erat; hinc potior Montani festivitas Sabinum exclusit sede sua. Deinde, quod consequens fuit, Sabinus invicem in diem XXVI. [quem Montanus vacuum reliquerat] rejectus necessario fuit.

PAG. 98. *ad finem diei XVIII. adde*. Notat tamen Tillemontius tom. VIII. in hoc Doctore, Artic. 4. quum Cyrilli festum praeter ceteros Graecorum libros, in Typico S. Sabae [quod in usum monasterior. Hierosolymitanae dioeceseos factum fuit] & in quodam Syriaco Kalendario die XVIII. Martii notetur; posse hunc diem pro θανασίμῳ haberi. Mortuus creditur anno 386.

PAG. 100. *in Adnot.* 21. *quaedam passim levi* (2) *castigatione indigent*.

PAG. 102. *col.* 1. *v.* 5. *deleantur versus quin-*

dunum adscriptum reperitur: *Finis Pannoniae & Mysiae*, sive Moesiae.

Ad rem vero nostram quod attinet, perinde est, utrum Singidunum in Moesia an in Pannonia [cujus Sirmium erat metropolis] fuerit; neq. id solum quia admodum vicinae urbes fuerunt, verum etiam quia eidem rectori utraque provincia suberat. Sub Severo certe lapis scalptus legitur apud Grut. p. 407. 1. his verbis: LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. PANN. ET. MOESIAE. SVP.

(2) *De Actis S. Castuli Mart. judicium accuratius.*

Adnotationem 21. [in qua de S. Castuli Actis agitur] maturanti mihi, Acta longiora S. Sebastiani [apud Bollandum ad XX. Januar.] conferendi nec otium nec voluntas tunc fuit; eoque factum, ut paullo secius, quam voluissem, de Actis S. Castuli censuerim: quae nunc, qua opus erit, diligentius retractabo.

Apud Bollandi socios ad XXVI. Martii duplicia S. Castuli acta prostant. Priora, quae ex Ms. S. Maximini eruta fuere, haud dubie ex Actis longiorib. S. Sebastiani [quae discriminis causa *Ambrosiana* vocabimus] decerpta totidem verbis sunt, praeter additamenta quaedam alicubi adsuta [cujusmodi illud est, quod Castulus plurimos ad Fidem traxisse dicitur, eosque S. Cajo baptizandos attulisse; itemque quod Castulus tortus eculeo narratur] quae, quia teste antiquiore carent, fidem non merentur. Nec enim horum actorum scriptor [cujus barbaries ex prooemio intelligitur] est ad fidem faciendam idoneus.

Sed & Acta posteriora [quae quidem in titulo a Bollandianis praefixo *Ex vita S. Sebastiani* desumpta dicuntur] haud dubie ex Ambrosianis manarunt. Quare ne credas, censeo, Bollandistis initio Commentarii praevii num. 1. monentibus, se ea excerpsisse ex Actis S. Sebastiani, *Prout ea*, inquiunt, *ex Graecis sunt iterum Latine edita*: quo videntur significare, ex Ambrosianis illis quaedam Graece scripta prodiisse; ex his vero illa Latina, quorum partem, quae ad Castulum pertinet, ibi secundo loco producunt. Ne credas, inquam, quia haec magis, quam priora, tota ex Ambrosianis sunt, & eisdem plerumque verbis decurrunt.

Neutra igitur de Graeco fonte ceciderunt: imo ea ipsa pauca, quae in Adnot. 21. tamquam ex Graeco profecta observavi [ut *Consoveo* ex συνθάλπω, itemque *Commaneo* ex συμμένω, *Praecanto* ex ἐπᾴδω] eadem nihilo minus in Ambrosianis leguntur. Utque paucis rem expediam: utramque quidem illam Castuli historiam ex Ambrosianis fluxisse, non est dubitandum: nisi quod de ipsis illis Ambrosianis quaeri forsitan possit, utrum ea ex antiquioribus Graecis de S. Sebastiani rebus commentariis derivaverit Ambrosius: nam longiora illa S. Sebastiani Acta ab Ambrosio juvene conscripta fuisse, in Appendice Ambrosiana, quam ad calcem hujus voluminis dabimus, ostendemus.

Ac sane quum adhuc juvenculus Ambrosius in traducendis ex Graeco operibus sese exerceret [uti ex Hierosolymitano excidio, quod ex

quinque ab Vtra autem *usque ad* fuisse.

PAG. 106. *Adnot.* 31. *post locum Papiae addes*. Vbi *Subducta* tantumdem est, quod *Subter inducta*.

PAG. 118. *col.* 2. *v. penult. pro* episcopum *repone* presbyterum.

PAG. 119. *col.* 2. *v.* 3. *numericas notas* 529. & 534. *refinge in* 429. & 434.

IBID. §. Nam *v.* 14. *pro* sexto *repone* septimo.

PAG. 122. *col.* 2. *v.* 14. *dele parenthesin.*

PAG. 123. *col.* 1. *v.* 1. *dele a* sive *usque ad* anni 578.

PAG. 124. *Adnot.* 62. *post medium, vulgatam apud nostros homines opinionem secutus, Lucullanum in ea parva insula, quae* Castrum Ovi *vulgo dictum sustinet, posui, Quod tamen integra diatriba de Lucullani positu scripta postea recantavi; in qua etiam de* Insula Salvatoris *a Lucullano distincta edisserui. Ea vero diatriba, partim ne lectorem remorer, partim ut certiora alia documenta conquiram, ad calcem hujus voluminis (si per ejus mol m licuerit) rejicietur.*

IBIDEM Adnot. 63. *v.* 8. *quod in annum* 910. *translationem S. Severini Neapolitanam conjeci, corr.* Anno 893. Mox quod Neapolitanam S. Severini ecclesiam exstitisse ante Lucullani eversionem negavi, id revoco. Nam contrarium videtur elici ex Praecepto quod affert Chioccarellus pag. 108. in quo Praecepto, ubi agitur de translatione S. Severini de Lucullano in hodiernum locum, legitur: *Quae* [ecclesia hodierna S. Severini] *erat vocabulo ipsius Sancti dedicata*: idque jam tum, quando sub Athanasio II. [qui patruo suo S. Athanasio successit] Accussarius Abbas Neapoli in hodierno S. Severini monasterio monachorum congregationem coegit: cui Accussario Joannes Abbas successit is, cui Praeceptum illud a Chioccarello editum, datum fuit.

IN ADNOT. 72. *pag.* 128. *col.* 1. *v.* 2. *post* vocantur *adde*. In Marcellini & Faust. libello (in fine pag. 37. edit. Paris.) Clementinus Vicarius Osio dicit: *Da tu prior sententiam, eum* (Vincentium) *de episcopatus honore dejiciens, & tunc demum exsequar in eum quasi PRIVATUM* [h. e. laicum] &c. In Cyrilli Glossis ἰδιώτης tantumdem quod *Privatus*. Hinc laici 1. ad Cor. XIV. 16. vocantur *idiotae* h. e. *privati*.

PAG. 131. *in subscriptione illa celeberrima Petri Notarii ad versum antep. sic adnotabis*. Illud TESTES SITIS idem esse, quod illud idem *Obtestor vos* [quod ante dixerat vers. 12. & 13.] patet ex toto

ex Josepho cum convertisse demonstravimus, potest intelligi] haud difficile dictu est, eum ex aliqua Graeca scriptione haec, quae nunc habemus, Latina fecisse. Nec refert quod Actorum S. Sebastiani stylus αὐτοφυὴς plerumque decurrat, ita ut in Latio primum, tamquam in nativo solo ea nata videantur, non autem aliunde translata. Id inquam non refert, quia [quantum ex Excidio judicari potest; & ex iis quae sive in Hexaemero, sive passim alibi ex Basilio, ex Origene, ex Didymo atque ex Philone est mutuatus] numquam consuevit Ambrosius, non dicam verbum verbo, sed ne sententias quidem paribus sententiis commutare: verum ingenio suo qua addendo, qua detrahendo, laxiores habenas ita permittebat; quasi si ea tunc primum ex vena ingenii sui fluerent. Vel sic tamen praeter ea pauca, quae in Adnot. 21. de *Consoveo, Commaneo, Praecanto* notavimus [quae tamen quum sint pauca numero, non necesse est, de Graeco fuisse derivata] plura in Sebastiani historia notari possent Graecam proprietatem redolentia. Exemplis abstineo. Verum in longa scriptione facile haec in calami mucronem incurrunt; maxime quum IV. saeculo non tantum Latium passim graecissaret, sed & Graeci vicissim Latinas plurimas ῥήσεις admitterent.

Illud vero etiam est considerandum, superesse adhuc quaedam manu exarata S. Sebastiani Acta, ex quibus Cangius in Graeco Glossario in Διασπύριος paucula verba depromit: quae videsis ad XXIII. Martii in Adnot. 25. Ea sane praestaret expendere, ac judicare numne novitia sint, an forsitan aevi antiquioris: tum si forte satis vetusta visa fuerint, utrum talia se prodant, ex quibus sua Latina Ambrosius aut transtulisse, aut saltem decerpsisse videatur. Quod utinam ab iis praestetur, qui ad ferendum judicium de hoc rerum genere ingenium subactum habent.

to contextu. *Testes sitis etiam vos per confessionem meritaque B. Januarii Mart. ut* &c. Locus sane pulcherrimus: ex quo intelligitur, unde vis verbi *Obtestor* fluat. Ergo proprie *Obtestari* non est nisi alium per aliquid ei carissimum orare.

FINIS MARTII.

ADDITAMENTA
MENS. APRIL.

PAG. 145. *col.* 1. *post vers.* 6. *addatur uti sequitur.*

§. IV.

Mortes S. Ambrosii & S. Joannis Neapolitani per omnia similes.

Nolo heic dissimulare maximam similitudinem, quae inter S. Ambrosii Mediolanensis beatum exitum & Joannis Neapolitani [qui anno quinto & tricesimo post Mediolanensem obiit] intercessit. I. Vterque paullo ante Pascha obiens, die Paschae elatus fuit. II. Vterque Sabbato Sancto migravit. Id de Joanne jam vidimus. At de Ambrosio certos nos facit Paulinus in ejus vita cap. 48. ubi ait, eum *antelucana hora* quae praecessit Sabbatum sanctum obiisse. *Atque inde*, inquit, *ad Ecclesiam majorem ANTELVCANA HORA* [*Horae* nomine *tempus* intellige, quasi scripsisset, *Antelucano tempore*, uti constat ex eo quod subjicitur, *Ibi eadem fuit nocte, qua vigilavimus*] *Antelucana*, inquit, *hora, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est, ibique eadem fuit nocte qua vigilavimus in Pascha*. III. Adhaec praeter Sabbati Sancti, mobilis ceteroqui festivitatis, συυτόπτω; tantum sesquidiei intervallum inter utriusque mortem interfuit. Nam Joannes quidem die secundo Aprilis obiit, at Ambrosius initio diei IV. ejusd. mensis. Etenim anno 397. [quo Ambrosius obiit] Sabbatum sanctum incidit in diem quartum Aprilis. Is autem obiit post medium ejus noctis, quae Sabbatum sanctum antecessit; nam *Antelucana hora* tempus illud significat, quod nocti mediae successit; a qua medietate more Romano [uti testatur Censorinus] sequens dies computabatur. IV. Vterque die Paschae depositus. De Joanne id jam vidimus: at de Ambrosio Paulinus cap. 48. *Sed lucescente die Dominico* [sancti Paschatis] *cum corpus ipsius, peractis Sacramentis Divinis, de ecclesia levaretur, portandum ad basilicam Ambrosianam, in qua* [eodem certe die] POSITVS EST &c. V. Postremo idem exsequiarum comitatus, nempe Christianorum, Judaeorum, Paganorum atque in primis neophytorum: quem de Joanne Vranius narrat, uti vidimus; de Ambrosio autem tradit Paulinus eod. extremo capite. *Erat enim exsequiarum turba innumerabilis totius dignitatis, totiusque sexus, omniumque pene aetatum, non solum Christianorum, sed etiam Judaeorum & paganorum: majore tamen gratia ordo praecedebat eorum, qui* [praecedente nocte, inter Sabbatum sanctum & Pascha intermedia] *fuerant baptizati*.

Vides quanta inter utrumque morientes similitudo intercesserit. Hanc tamen Vranius tacuit, quippe quam nondum animadverterat: certe notaturus, si quidem de ea cogitasset. Hoc autem respondere praestat, quam has Joannis morientis circumstantias fictionis accusare. Major est enim Vranii, & eum secuti Jo: diaconi auctoritas, quam ut ulla commenti suspicione flagrare possint.

Deinde in sequentibus sectionibus notas numerales promoveri necesse erit: ut §. V. §. VI. & sic usque ad VIII.

PAG. 152. *col.* 2. *post v.* 19. *adde*. De *strategis* videatur Valesius ad Ammiani lib. XXI. cap. 7.

IBID. §. Sequitur *in fine adde*. Porro Λογισαί videntur Valesio iidem fuisse, qui Latinis *Curatores* civitatium dicebantur.

tur. Hinc ubi ab Eusebio IX. Hist. 2. de quodam Theotecno dicitur, ἐδόκει λογιστεύειν, id vertit Valesius, *Curatoris officium gerebat* Antiochiae. De horum λογιστῶν, sive *curatorum* magna dignitate videatur idem Valesius ad Ammiani XIV. 7.

PAG. 153. *post finem sect. II. post* fuisse superstitem *adde.* Dixi τὸ πατέρες apud Graecos pro utroque parente non reperiri. Verum id nunc revoco. Nam ex exemplorum inopia non continuo id fuisse inusitatum pronuntiare debemus. Imo contra sicuti in inscriptionibus Latinis τὸ *Patres* pro utroque genitore ponitur; non abnuerim idem a Graecis fuisse usurpatum. Porro apud Gruter. pag. 692. 1. sic legitur: *M. Justinus. Secundinus. et. Primania. Marcellina. PATRES. amissione. ejus. orbati*. Adhaec p. 704. 1. *Filiae. miseri. patres. vivi. posuerunt*. Et p. 707. 5. *Hermodorus. et. Juliana. patres. male. judicantibus. fatis. superstites* (filio) *posuerunt.* Sed & locus hic ipse indicat, de utroque genitore, non de majoribus extinctis agi. *Huic*, inquit, *Patres* [h. e. pater materque] *erant in Thessalonicensium oculis*.

PAG. 166. *col.* 2. §. Postremo *v.* 21. *dele haec verba*, aut potius avi, *& sequentem parenthesin; nam ut in proxima Additione dixi, illud* πατέρες *non de ascendentium serie, sed de utroque genitore satius est intelligere*.

PAG. 168. *col.* 1. *v.* 9. *post* Ruinartum *adde*. Nam quod in his Actis num. 2. inducuntur equites undique discurrentes, ut Christianos aut ad Christum negandum cogerent, aut vinctos abducerent; id ex Actis SS. Agapes & soc. apud Ruinartum num. 4. confirmatur, ubi Dulcetius praeses ait: *Quumque ad hodiernum diem jussae a stationariis* [qui heic vocantur ἱππεῖς *Equites*] *ac primis militibus*, *CHRISTI negationem scriptam profiteri*, *facere id recusetis*; *propterea poenas vobis dignas accipite*. Adhaec quod in his Actis ad μυαροφαγίαν Christiani compelluntur, cum eo consentiunt acta S. Philippi Heracl. apud Ruinartum ad ann. 304. p. 413. num. 6. initio; quae confer. In eisdem v. 7. *Alios tristes sanctorum poena faciebat*: quod & in Theoduli Actis legitur.

PAG. 170. *die VI. col.* 1. *v.* 3. *dele* τὸ aut VII. *Deinde eod. versu illud* Totum autem &c. *sic refinges*: Peraeque autem dies obitus ac sepulturae, vocabuli *Depositionis* ambitu contineri solet &c.

PAG. 172. *Adnot.* 34. *col.* 2. *post v.* 13. *adde.* Quod dixi Mariam Aegyptiam non fuisse ab Usuardi manu in Mrologium illatam, id meae Usuardi membranae prope certum apud me faciunt: quas membranas ab antiquissimo ac probatissimo exemplari fuisse propagatas, verumque ac sincerum Usuardum exhibere, pluribus experimentis didici.

PAG. 191. *col.* 2. §. Num. 12. *v.* 11. *sic usque ad parenthesin refinge*: vocamus. Et quidem scriptorum XII. saeculi ac deinceps, eamd. disciplinam *Divinitatem* vocantium exempla suppetunt [id quod &c.

PAG. 200. *Adnot.* 60. *col.* 2. *quod Acta S. Terentii & soc. a Metaphraste videri scripta dixi, de eo* ἐπέχω; *nec nunc ea ad manus habeo, ut de stylo judicem. Consuli interim potest Jo: Alberti Fabricii index vitarum Metaphrastae* [*quem Biblioth. Graecae volumini VI. inseruit*] *in quo Acta Terentii & soc. recensentur quidem, sed sine asterisco, quo vera Metaphrastae opera praenotantur. Consulatur & Leo Allatius de Symeonibus*.

PAG. 206. *ad finem Adnot.* 71. *adde*. Nos quoque supra pag. 80. ad 27. Febr. [quo die in his Fastis *S. Hierontius* h. e. *Gerontius* colitur] plerosque hujus nominis caelicolas recensuimus.

PAG. 210. *col.* 1. §. Restat, *in fine post* imitatus, *adde*. Itaque uti dixi, ALMACIVS malim, utpote Latinum nomen, quam AMACHIVS Graecum; quia sub Marco & Commodo, sub quibus passam puto Caeciliam, inusitata adhuc apud viros illustres Graeca cognomenta erant. Ceterum non ignoro, sub Juliano Apostata Phrygiae praesidi fuisse nomen *Amachio* apud Socratem III. 15. Et in quodam coemeteriorum vitro apud Bonarro-

narrotium pag. 128. scriptum fuisse AMACHI, sicuti etiam in quadam apud eumdem lucerna fictili.

PAG. 211. *in fine adde*. Huc maxime faciunt acta illa egregia S. Sebastiani, in quibus ad baptizandos eos, quos Sebastianus ad Christum converterat, non Caius pontifex, sed Polycarpus presbyter arcessitur. Vide locum num. 31. & seq.

PAG. 212. *ad XII. April. post finem adde*. Et jam alibi ex Baronii auctoritate notavi, id Menologium ab ipso Sirleto Latina civitate donatum fuisse. Ceterum quia hic interpres in Graeco reperit Παυσιλίπτυ; religioni sibi duxit quidquam in nomine quamlibet depravato mutare.

PAG. 220. *col.* 1. §. Ibidem *post finem adde*. Hoc alterum verum est. Vel vide quae in *Supplemento Actor. S. Agnetis* [Adnot. 11. pag. 913. num. II. §. *Quod dixi*] de duplici tunica disputavimus: quarum interior reis etiam arsuris aut quidvis passuris non auferebatur. At illud heic maximopere notandum est, quod quae in aliis *Tunicae* vocari solent, eae in Philippo Episcopo *Lineae* nuncupantur. Quod argumento est, medio III. saeculo Episcopos non tantum sacris operaturos, sed etiam in cultu civili *Lineis* usos: quas postmodum *Albas* vocarunt.

PAG. 223. *col.* 1. §. Jam vero *in fine adde*. Itaque hoc Diocletianea vexatio superiorib. addidit, quod Christianos suis ipsos manibus tradere Scripturas cogeret. At in Deciana non tradi jubebantur, sed tantum perquirebantur jussu rectorum Scripturae: quae a persecutoribus inventae, postea concremabantur.

PAG. 224. *col.* 1. *num. VI. & seq. quae de peregrino ac barbaro nomine* Mucaporis *dixi*, *ea sequenti animadversione juvari possunt, loco congruo adjicienda*. MVCAPORIS nomen fuisse in Thracia usitatum, declarat sequens (1) inscriptio a Marangonio publici juris facta.

D. . M
FIRMINIO VALENTI. MIL. N.
STRAT. PR7. AGRICOLES. NATVS
IN. PROV. THRACIA. CIVIT. PHI
LIPPOPOLI. VIX. ANN. XXV.
MIL. ANN. VI. FECER. HEREDES
TATAZA. MATER. ET. TATA
ZA. MVCAPORA. VXOR. FEC.
EX X CCL

Cujus nonnullas explicationes inferne (2) subjeci; quandoquidem Marangonius explanationem marmoris securus praeteriit.

Exstat

(1) Edita fuit a Cl. Marangonio in opere quod inscripsit, *Delle cose gentilesche trasportate ad uso delle Chiese*, pag. 470. quam Romae in vinea Nariorum anno 1741. repertam dicit.

(2) Versu altero MIL. N. est *Militi numerario*, aut *Militum numerario*. Sed prius malo, quia MILitasse tot annis noster hic v. 6. dicitur; & Vegetius *Milites* vocat eos, qui numerariam facerent. Ait enim II. 19. *In quibusdam militibus notarum peritia, calculandi computandique usus exigitur*. Deinde quo id valeat, & totum Numerarii officium, pluribus idem exsequitur. De eisdem loquitur Augustinus de Lib. arbitr. II. 11. & uterque Codex & Notitia Imperii sexcentis locis.

Versu 3. STRATORES quid heic sint [omissis interim aliis ejus vocis notionibus, quae non sunt loci hujus] pluribus verbis ostendit lex unica C. de stratoribus, & Ammianus XXIX. 3. Horum nempe [ut verbo dicam] munus erat curare equos, qui a provinciis conferebantur. Qui id faceret, vocatur in inscriptione quadam apud Grut. p. 569. 8. *Stratora publicis rationibus*, sic enim ibi scribitur: M. VLP. SILVIO. STR. A. P. R. h. e. *M. Vlpio Silvio Stratori a publicis rationibus*. Quocirca in proposita epigraphe post STRATOR aut deest A culpa scalptoris omissum, itaut scribendum fuerit, STRATOR. A. P. R. aut ea praepositio subaudienda erit; aut postremo patrio casu efferre licuit *Strator publicarum rationum*. Sequitur nota illa [7] quae centuriam significat. Itaque totum hoc uno spiritu sic est legendum: *Stratori publicarum rationum centuriae Agricoles*. Hoc ultimum est loco *Agricolae*, quod erat Centurionis cognomen. Aevo sequiore rectum in A, genitivum terminabat in Es. Hinc *S. Agne*, quae & *Agna*, patrio casu AGNES scribebatur. De quo plura

Exſtat praeterea & apud Muratorium pag. 836. num. 5. Epigraphe militaris altera Moguntiae reperta, quae incipit, L. MVCAPORI. AVLVSI. MIL. LEG. XXIII. &c. ac paucis interjectis.. MVCAPOR.MVRALIS.MIL.LEG.XXIII. FRATRES. ET. CONTVBERNALES. &c. Nihil quidem in lapide hoc de natione Thracia dicitur. Sed facile hi quoque indidem fuerunt. Ex his vero intelligitur, *Mucaporem* Thracium fuiſſe nomen; ſed non continuo evincetur, Mucapores iſtarum inſcriptionum quidquam habuiſſe cum S.Philippi carnifice [de quo in Actis] commune. Ceterum quod Mucapor is, qui Aurelianum occidit, idem fuerit atque horum Martyrum princeps carnificum: id, inquam, ex illa, quae in Actis legitur, deteſtatione [*Ipſius naturae expers, atque humanitatis ignarus Mucapor*] nim. ob admiſſum Imperatoris ſatis boni parricidium contracta, ſatis clare conjicitur.

PAG. 225. *in Adnot. col.* 1. *v.* 18. *pro* dux erat Thracii limitis *repone* Thraciae praeſes erat.

PAG. 227 *ad finem diei XXII. dele verba illa*, Quod non poſſum non probare; *& horum loco ſcribe in hunc modum*. Verum multo praeſtabilius eſt dicere, haud raro in Hieronymiano Mrologio, in Bucheriano autem catalogo ſaepiſſime, *Depoſitionem* de veris Martyribus uſurpari. At poſtea ita inter martyres ceteroſque caelicolas diſtingui coepit, ut prioribus *Paſſio*, alteris *Depoſitio* tribueretur.

PAG. 237. *col.* 1. §. Statim *in fine ſic adde*. Sic quidem olim conjeceram: cujus conjecturae me nondum poenitet. Tamen ſiquis cum Tillemontio ad Tertulliani locum in lib. de Anima referre haec geſtiat; praeſtabit hunc Actor. S. Marci locum cum germano altero Lactantii conferre: quae duo loca lucem ſibi mutuam affundunt. Firmianus igitur in II. Inſtit. cap. 1. ubi praefatus eſſet, *Quum* (gentiles) *jurant, & quum optant, & quum gratias agunt, non Jovem aut deos multos, ſed Deum* [ſingularem ſcil.] *nominant: adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit*: quum haec inquam praedixiſſet, ſtatim ſubjicit, id ab eis non in proſperis rebus ſed in adverſis exprimi. *Siqua*, inquit, *neceſſitas gravis preſſerit, tunc Deum* (ſingularem) *recordantur... Si ſaeva tempeſtas, ſi grando ingruerit, ad Deum confugitur, a Deo petitur auxilium .. Siquis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat: ſiquis ad extremam mendicandi neceſſitatem deductus, victum precibus expoſcit, DEVM SOLVM obteſtatur, & per ejus divinum atque VNICVM numen hominum ſibi miſericordiam quaerit. Numquam igitur Dei meminerunt, niſi dum in malis ſunt.* Vides quanta ſit loci Actorum & Lactantii germanitas. Vtrobique adverſi caſus confeſſionem Dei ſingularis eliciunt: utrobique non tantum ſingulari numero DEVS effertur, ſed diſertim VNVS-DEVS ut in his Actis, aut DEVM SOLVM, ut in Firmiano. Porro ſi dixeris illud Lactantii SOLVM & mox VNICVM ex mera Firmiani interpretatione proficiſci, non quod re vera diſerte DEVM SOLVM aut VNICVM gentiles inclamarint: hoc inquam ſi dixeris, ego pariter excipiam, ſutorem iſtum non duobus diſtinctis verbis VNVS-DEVS exclamaſſe, ſed tantum qui poſſet plurali numero DEOS invocare, invocaſſe DEVM ſingulariter: ceterum illud VNVS videri ab Actorum ſcriptore additum, ut quanta in illo ſingulari numero [in quem ſponte interdum gentiles calamitate preſſi erumperent] vis eſſet, oſtenderet, ſimulque rationem redderet,

ra diximus in Comment. ad XXI. Januar.

Verſu 4. diſerte *provinciae Thraciae* fit mentio, ex qua *Firminius* ortum ducebat, cui MVCAPORA Threſſa nupſerat.

Ver. 7. & 8. aeque mirum eſt TATAZA illud [facile Thracicum vocabulum] matri & uxori Firminii commune nomen, ac *Mucaporis* aut *Mucaporae*.

In medio verſus ultimi notam denarii expreſſam habes. Itaque ducentis quinquaginta denariis Firminii monumentum ſtetit.

deret, cur Marcus gavisus fuerit dicens, *Prosperum fecit Deus iter meum*. Obiter autem id quoque est notandum, illud INTRA SEMETIPSUM videri Hebraeorum more dictum: quod opponitur clarae voci. *Ait intra semetipsum* [h. e. submissa voce] *Prosperum fecit Deus iter meum*: cujus locutionis similia exempla in N. T. legimus.

PAG. 238. *col.* 1. *in fine* §. *II. post* Censeo *adde*. Nisi quod dictorum aliquid refingendum mihi arbitror. Nam proxime a me dictum fuit, in titulo libri Philoniani [qui Latine inscribitur *De vita contemplativa*] Sandium *ingeniose, si minus vere* pro ἱκετῶν legi jussisse ἀσκητῶν. Cujus mei dicti nullam ibi, quod festinarem, rationem, cur *ingeniose* dictum fuerit, attuli: quae, si a me exigatur, talis est. In Hesychii [quem domo Alexandrinum fuisse volunt] lexico Θεραπευσία exponitur ἱκετεία i. e. *supplicatio*. Ergo sicuti ea duo sunt Hesychio synonyma, sic etiam Θεραπευτὴς & ἱκέτης. Ex quo manifestum est, Hesychium ea scribentem ad Philonem & Alexandrinos Therapeutas spectasse, apud quos ea duplex nomenclatio in usu erat: deinde falli Sopingium, qui in Hesychio pro ἱκετεία legendum esse οἰκετεία putavit.

IBIDEM col. 2. §. Num. 7. *in fine post* incidisse *sic adde*. Porro autem hic locus quantivis pretii est ad ostendendum, Alexandrinos ab S. Evangelista Marco jam inde ab initio edoctos fuisse Pascha non eodem die cum Judaeis celebrare, sed sequente Dominica. Nec Marcum Petri discipulum aliud docere decuit, quam quod Petrus ipse Romae docuisset.

PAG. 241. *col.* 2. §. Ibidem *post* intelligatur, *in fine adde*. In Actis SS. Tryphonis & Respicii, quae in Additamentis ad Kalendas Febr. copiose illustravimus, Martyres illi a Sacerdotibus & *viris religiosis* h. e. ascetis sepulti dicuntur. Et saepe alibi id officii ab hujusmodi viris religiosis impensum legitur.

PAG. 260. *Adnot.* 114. *col.* 2. §. Nam num. 13. *pro notis Romanis III. repone Arabicas* 111.

ADDITAMENTA

Ad Acta SS. Januarii & socior.

ADMONITIO

Quum ad finem mens. Aprilis Acta Bononiensia S. Januarii publici juris feci, plura tunc festinantis attentionem atque memoriam effugerunt: quae heic supplebimus locis suis. Ceterum ad XIX. Septembr. de his omnib. Deo dante solidius disputare dabitur, & illud in primis in virorum de me optime meritorum gratiam discutere, ecquid de vulgatis Actis sit sentiendum; ne forte Neapolitani nostri querantur, id me operam dedisse, ut scripta de hoc tanto Hieromartyre commentaria, diuturno usu adprobata, ex eorum manibus excuterem.

PAG. 265. *in Adnot. IV. col.* 2. *v.* 3. *in fine sic addes.* Quae jam olim Bart. Chioccarelli studio in volumen unum manu exaratum coacta idem Falconius in biblioth. Brancatiana reperit.

PAG. 266. *quaedam mihi in Adnot. IV. refingenda esse video; praesertim in Stephani episcopi verbis: quae quorsum sint accipienda, in subjecta* (1) *adnotatione aperiam.*

(1) *SVPPLEMENTVM adnotationis IV. ac simul de Stephani Episcopi verbis judicium accuratius; quamve hic historiam Joanni diac. tradiderit, ut eam copiosius exornaret.*
Joannes diaconus in Epistola ad Joannem Abb. quam Actis tum Martyrii tum etiam Translationis S. Sosii diaconi praefixit, testatur, se Stephano III. (qui X. ineunte saeculo cathedram Neapolitanam insedit) ad scribendas S. Sosii res hortanti diu reluctatum fuisse, maxime propter monumentorum S. Sosii inopiam. *Plurimae* (inquit Joannes) *martyrum passiones ex historiis & annalibus sunt decerptae, in quibus seriatim commendabatur,* quid-

quidquid gentilis illa perpetrabat examinatio. Non aliud meo judicio *examinationis* nomine quam tormentorum saevitiam intelligit: id quod de Graeco fonte cadit; nam ἐξετάζω (quod respondet τῷ *Examino*) Hesychius reddidit βασανίζω i. e. *torqueo*: hinc Anastasius in Hormisda: *Quos* (Manichaeos) *discussos cum examinatione plagarum exsilio deportavit*. Pergit ibid. Joannes: *At nos quibus nulla talium facultas suppeditat, quo exsequi pacto cogimur, unde ... inevitabile pseudoepigraphi* [imo *Pseudographi* h. e. *mendaciorum scriptoris* videtur ab Joanne scriptum: nam ψευδεπίγραφος non de homine dicitur, sed de libro, qui falso alicui inscribitur] *discrimen incurramus*? Ea Stephanus excusatione minime admissa, sic Joanni diac. respondet: *Est .. quaedam scriptura LEPIDA ut reor digestione contexta, quam me olim vidisse recordor; & quidem quoniam longi temporis meta relabitur, idcirco cunctando assero, utrum nec ne S. Januarii gestis, cum quo fortissimus Christi athleta* (Sosius) *immortalem percurrit agonem, aliqua sit ex parte diversa. Tamen haec qualicumque stylo prolata constet, sumenda est a te; & sicut certum est TVOS FECISSE MAIORES* [in gestis scil. Januarii dilatandis] *quaeque* [h. e. quaecumque] *fiunt superflua reseca, necessaria subroga, INEPTA abjice; & una cum his, quae de inventione corporis ejus* (Sosii) *sunt, fide tua, qui interfuisti, in civilem redige compositionem*. Hactenus Stephanus. Mox Joannes scriptor conqueritur, quod *in memoratis scriptis* [tum illa scil. historia quam Stephanus indicavit, tum aliis recentioribus S. Januarii Actis] *nulla parentum ipsius* (Sosii) *nec pontificis saltem, qui eum levitali redimitione dicarat, mentio inerat*: ideoque sibi *summatim commemorare* res S. Sosii libuisse ait.

Atqui in meo Comment. pag. 266. col. 1. ad haec Stephani verba adnotaveram, Praesulem non S. Januarii sed S. Sosii historiam quamdam Joanni chronographo deflorandam iis verbis proposuisse, aut saltem talem historiam quae primario quidem de S. Sosio ageret, etsi commilitonum quoque gesta narraret. Id quod partim nunc ratum habeo, partim novo temperamento molliendum puto. Agebat Stephanus de quadam Passione quae ita communiter Sosii ac Januarii gesta complecteretur, ut, quia eam jamdiu legerat, dubitaret utrum primario *Sosii*, an *Januarii*, an utriusque inscribenda esset. Id sibi volunt verba illa, *Cunctando* [h. e. *dubitando*, ut ex Glossis G. L. patet] *assero, utrum nec ne* &c. Quae quum ita sint, minime dubito, quin non aliud quam haec ipsa Acta, quae nunc primum dedimus, Stephanus episcopus Joanni decerpenda obtulerit, ut ex iis proficeret, & ex eisdem S. Sosii qualemcumque historiam ejusdem inventioni & translationi praemittendam concinnaret. Cujus meae verissimae sententiae has habeo caussas.

I. Nullam tunc exstitisse historiam, quae privatim res Sosii complecteretur, ex praevia illa caussantis ac subterfugientis Joannis expostulatione satis constat. Nisi quod haec tamen Acta olim a Stephano lecta exstabant: quae quũ & ab Sosio inciperent, & plura eidem peculiaria traderent [etsi postea, ubi ad certamen venitur, communiter de eo, ac Januario, ut & de ceteris commilitonib. agitur] hinc jure Stephanus dubitabat, Sosio ne an Januario, an potius utrique inscribenda essent. Atqui hoc ultimum verum erat. Nam si huic passioni verissimus titulus praemittendus fuisset; non is erat, qui nunc post tot saecula praescribitur, sed ferme hujusmodi: *Passio SS. Sosii Januarii & socior. Martyrum*. Sicuti contra a ceteris, quae olim erant, & adhuc sunt horum commilitonum actis [tum scil. Baronianis, tum Falconiano monumento *Ad gloriam*, tum variis lectionibus, & siquid aliud antiquitus scriptum extat] a ceteris inquam omnibus illae de Sosio peculiares narrationes prorsus absunt. Non alia igitur, quam quae nos primi dedimus, Acta Bononiensia Joanni Stephanus carpenda tradidit.

II. Re autem vera non aliam scriptionem, quam Acta Bononiensia, ab Stephano Joanni propositam, id maxime ostendit, quod quae privatim ad Sosium pertinent, non nisi ex ipsis hisce Joannes hausisse cernitur: quorum plurima eisdem verbis iteravit, etsi alia pro suo more paullo diversa elocutione variavit. Eorum porro quae Joannes ex his Actis in rem suam vertit, plurima specimina jam antea in nostro commentario protulimus, alia in repetita horum Actorum recensione, uti se res dabit, adnotabimus.

III. Nunc operae pretium erit in Stephani verba, quae paullo ante recitavi, accuratius commentari. *Est*, inquit, *quaedam scriptura, LEPIDA, uti reor, digestione contexta, quam me olim vidisse recordor*. Cur *Lepidam* dixerit, nemo alius praeter veteres Glossas, quas unas illius saeculi inopia ad manus habebat, docere potest. In iis quae Cyrilli Glossae vocantur, *Lepidus* & πιθανὸς aut πηθανὸς (h. e. *verisimilis*) tantumdem sunt. Pertinet hoc igitur ad laudem Bononiensi scripto ab Stephano tributam, quod eo scripto nihil nisi *lepidum* h. e. probabile ac verisimile contineri putaverit.

Pergit

EADEM Adnot.IV.col.2.v.3.delè verba illa, nec non Raynerii Translationem SS. Eutychetis & Acutii. *Nam Raynerius mihi videtur duobus saeculis Joanne diac. recentior: id quod alibi, contra ac vulgo homines statuunt*, *ostendam*.

PAG.268.v.2.post Scateat *adde*. Quod quidem nusquam magis quam in iis, quae de Graeco trahuntur, haud (2) raro occurrit; maxime si ea scripta peculiaribus forte

Pergit Antistes: *Haec* [scriptura actorum Bononiensium] *qualicumque stylo prolata*... *sumenda est a te*; *& sicut certum est TVOS FECISSE MAIORES*, *quaeque* (pro *quaecumque*) *fiunt superflua reseca*, *necessaria subroga* &c. Quibus verbis tantumdem ab Joanne fieri jubet, quod *Majores* in longioribus S. Januarii actis [quae, si minus omnia, saltem illa Baroniana Stephano h. e. ineunte X. saeculo fuisse haud paullo antiquiora, hinc discimus] pertexendis fecerant: in quae Januarii acta totū hoc Bononiense monumentum (quod Stephanus deflorandum Joanni dedit) eisdem plane verbis transfusum cernitur: nisi quod quae Bononiensis historiae initio de Sosio privatim narrantur, ea quia in Januarii historia *superflua* putarunt, foenaria falce *resecuerunt*: in ceteris Bononiensium actorum, qua parte jejuna & ficciora videbantur, ibi quae pro suo captu credidere *necessaria*, *subrogarunt*. Quin & Joannes in sua S. Sosii historia quam Stephani hortatu ex Bononiensib. actis defloravit, plura eorum, quae putavit *superflua*, *resecuit* [veluti quae de matre S. Januarii, de orario, de digito abscisso narrantur: quae nihil cum Sosio commune habebant] & quae censuit *necessaria*, ex recentioribus Januarii historiis, *subrogavit*. Ex quo patet, eum suo Praesuli plane morigeratum fuisse.

Sed & hoc etiam Praesul statim mandati dedit: *INEPTA abjice*. Dolet heic mihi sane, quod quantum laudis *Lepidi* vocabulum, quod supra usurpaverat, historiae huic nostrae adsperserat, tantum istud INEPTA nunc detrahit. At satis salvae res erunt, si istius saeculi notiones ex Glossis veteribus discere curae fuerit: in quibus INEPTVS inter cetera idem est quod Graece *ἀδρανής*. Hoc autem tantumdem est quod *Languidus*, *Imbecillus*. Nec dubito, quin eo nomine notarit Bononiensium actorum miram simplicitatem, ac dictionis humilitatem cum plurimis soloecis conjunctam: quae certe semper hisce actis fraudi fuit in tantum, ut jam tum despectui haberentur, ac neglecta in situ jacerent [unde & Stephanus ait, *Est QVAEDAM scriptura*, haud scil. vulgo nota, quaeque tum quoque cum tineis luctaretur] dum interim nova alia ornatiora plausu exciperentur. Ab hac igitur tanta locutionis rusticitate ac stribligine cavere sibi Joannem jubet. Nec secus ac jussus fuerat, diaconus fecit, omnia pro saeculi captu, si superis placet, *ἀνθολογραφήσας* [*ornate elocutus*]. Hactenus in Stephani quantivis pretii verba commentari non piguit, ut vel inde intelligatur, quodnam ineunte X. saeculo actorum Bononiensium fatum Neapoli fuerit. Quid porro miramur, si eadem postmodum usque adeo fucato novarum historiarum nitore oppressa jacuerint, ut Neapoli penitus interciderint; ac vix anno 1280. in Bononiensis monachi manus lacera & corrupta pervenerint, qui ea male transcribendo deteriora fecerit?

Antequam vero manum de tabula: nec de Stephani nec Joannis fide ac veracitate quidquam detractum volo: qui quidem siquid offenderunt, magis judicio quam sinceritate peccarunt. Ceterum posteriore Joannis historiae parte, qua de inventione & translatione quibus interfuit agitur, nihil est verius aut accuratius. Idque Joannes ipse in calce prioris partis profitetur: cujus partis hic finis est. *Beatiss. deniq. Sosium cives sui Misenates*.. *in mirifica collocaverunt ecclesia die IX. Kal. Oct. de qua*.. *post multor. annor. curricula qualiter Neapolim translatus sit*, *SVB TESTIMONIO FIDEI* [confer illa *signata veritatis verba*, ad quae in Additamentis pag. 928. col.2. in Additione ad XXII. Januar. commentati fuimus] *VERACI & SIMPLICI STYLO prosequemur*. Vides his verbis Joannem posterioris partis haud defugere auctoritatem; ac proinde prioris non in omnibus auctorem ac fundum se fieri velle, sed fidem penes auctores suos, ex quibus hausit, esse jubere.

(2) Cujusmodi sunt SS. Didymi & Theodorae acta sincera, etsi haud pulchre de Graeco antiquitus translata, eoque barbarie redundantia; quae apud Bollandianos ad 28. Aprilis Latine & Graece exstant, apud Ruinartum vero Latine tantum pag. 397. Ex quibus haec pauca ad specimen habeto. Sect. 1. *Judex dixit*: *QVIA* [quod respondet Graeco *ὅτι*: quam particulam hoc loco Latinae aures respuunt] *si ingenua*, *quare nubere noluisti*? Ibidem & sect. 2. CONTVMELIARE. Rursus sect. 1. prope finem: *Ab omnibus insanieris*. Sect. 2. v. 1. VERBOSANTEM. Sect. 4. v. 5. *Me indignavit condignatio*. Pluribus abstineo.

forte de causis (quas hisce S. Januarii actis nocivas fuisse, infra ostendemus) casu corrupta fuerint.

EADEM pag. in fine versus decimi sic addes. Nec magni refert, quod Bononiensis illius monasterii monachi dicuntur codicem, ex quo eruta haec passio fuit, non magni facere, eo maxime nomine quod apocryphis & fabulosis, ut ajunt, Sanctorum historiis is codex scateat. Nec enim id novum est, in uno eodemque Hagiologio inter carbones plurimos saepe numero unam aut alteram gemmam delitescere. Sic enim sequior aetas erat, ἀχρειοίᾳ tanta laborans, ut inter caenosa quaelibet, aliaq. frugis optimae scripta nihil distinguerent, eodemque loco utraque haberent, atque in sua syntagmata indiscriminatim omnia converrerent.

PAG. 269. quae in Adnot. 2. in eam sententiam diximus, ut ostenderetur, haec Acta de Graeco traducta fuisse, etsi luce clariora essent; tamen quod ejus rei argumenta vix strictim indicaveram, quantum scil. Graece doctis satis esse potuisset; factum est ut ea quibusdam non persuaserint. Ob eam causam non gravabor tum illa omnia, recocto olere, planius enucleare, tum etiam alia non minora Graecismi indicia ad satietatem usque adjicere. Quas repetitas curas, qui volet, in ima (3) *pagellae ora reperiet.*

PAG.

(3) *Acta Bononiensia tracta de Geaeco fuisse, ex integro luculentius demonstratur.*

In Adnot. 2. quae pag. 269. initio Actorum substernitur, primum argumentum ab eo capitur, quod in his Actis *Jannuarius* cum duplici N more Graeco scribitur: quod quia satis luculenter ibi explicavimus, non est iterandum. Mox ibid. v. 15. post *translata* addendum est, quod idem plane & in *Sossii* nomine factum cernitur: quod quia a Graecis ad XXIII. Septembr. cum duplici sibilo scribitur (Σόσσιος scil. ut in liturgicis Graecor. libris: at in Basilii Menologio ad 19. Sept. duabus syllabis Σόσσος) ideirco in hac Actorum versione ubique *Sossius* cum S duplici scribitur: nam interpretes in propriis nominibus raro solent a fontis sui scriptura recedere. Ea vero hujus nominis scribendi consuetudo quod etiam in Kalendario Carthaginensi & Beda ad XXIII. Sept. usurpata legatur, id argumento est, hisce auctoribus haec acta Bononiensia ob oculos fuisse. At cur iidem, inquis, die 19. Sept. *Januarium* cum unico N scripserunt? Istud, inquam, quum nomen Latinum esset, more Latinorum cum simplici liquida scribendum putarunt: at iidem in Graeco *Sossii* nomine Graecam actorum nostrorum orthographiam, quamvis pravam, sibi sequendam existimarunt.

Jam vero ipso statim Actorum initio legitur: *Consulatu Constantini Caes. quinquies* &c. pro eo quod a Latinis dicitur, *Constantino quinquies & ... consulibus.* Id vero ex Graeco αὐτολεξεὶ descriptum fuit, ubi more Graecor. scriptum erat, ἐπὶ ὑπατείας Κωνσταντίνου ... *In consulatu Constantini* &c. Etsi, ut ingenue fatear, aevo medio Graeca haec consulatuum notandorum consuetudo interdum Latine usurpata cernitur, ut in inscriptione apud Murator. p. 1950. 9. & nonnumquam alibi in marmoribus & libris. Itaque hoc argumentum pro Graecismo actorum militat, at non plane cogit. Illud gravius, quod statim sequitur, *Et Maximiani septies*; quum tamen parem in utroque fuisse consulatuum numerum satis constet. Nec quidquam descriptores Latini textus peccarunt; quia is error etiam in Baronianis & in antiquis lectionibus legitur: quod argumento est, antiquitus in his Actis Latinis sic scriptum fuisse. Nec vero ex *Quinquies* poterat librarius *Septies* facere, etiam si numericis notis primitus id notatum esset. At culpa facilius in interprete residet; qui Graecas notas numericas haud novit solerter distinguere. Nam aevo posteriore E [h. e. nota quinarii) & Z (septenarii nota) a tergo rotundos habebant ductus, & (maxime in libris) affines. Adhaec sect. 1. v. 3. cur *Mesinatae* (pro *Misenatis*) scriptum fuerit, in Comm. Adnot. 8. ex Graeco exposuimus.

Eadem sect. I. v. 5. dicitur Sossius fuisse *Annorum circiter triginta, sicut ipse cuidam episcopo, qui Dei gratia advenerat, in exstasis* (cor. *ecstasi*) *revelare dignatus est.* Quid porro ad annorum numerum resciscendum revelatione per *ecstasim* opus fuit? Ne lectorem diu teneam; mihi videbatur Graece quidem non aliter ac Latine, ἐν ἐκστάσει scriptum fuisse, sed longe alio sensu, quam mystico. Nam ἔκστασις etsi saepe *excessum mentis* significat, interdum tamen non aliud quam simpliciter *recessus* aut *discessus* est. Itaque non aliud sibi vult hic locus, quam episcopo illi ab Sosio disce-

discedenti, ac de aetate interroganti, *revelasse* [nam Graece erat ἀπεκάλυψεν] h.e. significasse sanctum Diaconum, se circiter annos triginta natum esse. Hinc vides dupliciter graecissare hunc locum, tum quia illud ἐν ἐκστάσει reliquit ἀνερμήνευτον [*sine interpretatione*] nempe *In ecstasi*, tum etiam quia verbo ἀποκαλύπτω respondere fecit verbum *Revelo*; certe quia in Cyrilli Glossis Ἀποκαλύπτω redditur *Revelò*. At quanto aptius vertisset, *Aperuit, indicavit, detexit*. Interim Joannes diac. eodem verbo utitur [*Erat tunc*, inquit, *beatiss. Sosius annor. circit. triginta, sicut ipse cuidam REVELAVERAT episcopo*] prae se aperte ferens non aliunde quam ex actis Bononiensibus, quae sibi Stephanus episcopus proposuerat, haec hausisse, quae nusquam alibi leguntur. Neque hic porro hellenismorum finis. Nam in eisdem verbis illud *Dignatus est* suspectum Graecismi habeo. Quaenam rogo *dignatio* aut (ut ea vox vulgo capitur) συγκαταβάσεως *indulgentia* tanta, ut memorari debuerit, in eo est, quod se tot annos quis natum esse fateatur? Omnino haec Graece sic concipiebantur, ὡς τινι ἐπισκόπῳ ... ἐν ἐκστάσει ἀπεκάλυψεν ἀξιωθεὶς, h.e. *Ut cuidam episcopo ... ab se digredienti postulatus aperuit*. Et certo verbo ἀξιόω Cyrilli Glossae, (quas aevo posteriore magno usui fuisse reperio) non aliam quam *petendi* ac *postulandi* notionem subjiciunt: quam notionem etiam antiqua Graecia familiarem habuit. At bonus interpres, in Graeco aeque ac Latino solo hospes, non aliud significari eo posse putavit, quam illud vulgare *Dignor*. Itaq. pro ea, quam modo de meo posui, verissima interpretatione, hanc alteram excudit suavissimam, *In ecstasi revelare* (quasi si in insula Patmo haec gesta fuissent) *dignatus est*. Ita tribus continuis verbis totidem absonos hellenismos admisit: quorum vel unus tantum satis esset, ut quivis nunc vel leviter Graece gnarus intelligat, haec Acta jam antea Graeca fuisse, quam Latinis verbis, sed captu Graecanico, balbutientia prodire in scaenam juberentur. Et tamen adhuc in eo se nonnulli obfirmant, ut haec Acta de Graeco tracta fuisse pernegent.

Ead. sect. 1. v. 11. in Graeco erat Σύναξις τοῦ θείου νόμου, pro quo debuerat reponere *Conventus* (aut *coetus*) *divinae legis*. At quum interpres animadverteret σύναξιν primario *collectionem* notare, ob eam causam insolens illud usurpavit, *Collectio divinae legis*. Quo etiam illud pertinet quod alicubi in hoc meo Comment. ex quodam de Graeco in Latinum traducto monumento notavi; in quo vetantur COLLIGERE h. e. conventus habere Christiani: certe quia Graece id συνάγειν dicebatur. Ibid. versu penult. *Illam ecclesiae manifestatur*. Ad quae verba pag. 269. prope a fine Adnot. 2. notabam, τὸ *Manifestatur* pro verbo deponente positum, & τὸ *Ecclesiae* pro *multitudine*: nim. utrumque ex Graecorum ingenio. At utrumque nunc re attentius considerata libens recanto. Ceterum quid hic locus (quem Graecismo vacare puto) significet, dicam Adnot. 5. in qua lacunas sectionis hujus pluribus in locis rimosae ac fatiscentis supplere conabimur. Quandoquidem vero in hujus unius sectionis hellenismis longior profecto fui; eo in reliquis ero brevior.

Sect. 3. pag. 274. v. 2. *Milites qui CUSTODIBANTUR carcerem*, insignis locus est, in quo per translationis Latinae rimas Graecae dictionis ingenium prorsus emicat. Nam quia Graecus auctor ἐφυλάσσοντο voce passiva, significatu vero activo usurpaverat (nam Graecis φυλάσσομαι notione activa usitatissimum est) putavit interpres sibi quoque tantumdem licere. Ceterum quod *Custodibantur* ἀρχαϊκῶς pro *Custodiebantur* scripsit, id quoq. non parvam huic scripto gratiam antiquitatis in sermone ἰδιωτικῷ perennantis conciliat; sicut infra sect. 6. SENIS pro *Senex*, & sect. 7. *Ante triduo*. Ibid. ver. 1. quod *Sine causa* pro εἰκῇ usurpatur, de eo satis dixi in illa Adnot. 2. quam nunc pinguiorem facimus: ubi & alterius locutionis rationem ex Graeca syntaxi petitam attulimus, quae ead. hac sectione versu ante finem undecimo reperitur: *Et ipsi se Christiani* (pro *Christianos*) *manifestant*: certe quia Graece scriptum fuit, καὶ αὐτοὶ Χριστιανοὶ ὄντες καταδηλοί εἰσι. Cujus syntaxeos est & exemplum alterum plane germanum mox extrema sectione quarta versu penult. *Qui se Christiani* (pro *Christianos*) *professi sunt*: plane quia Graecus auctor more Graecanico scripserat, οἱ Χριστιανοὶ ὄντες ὡμολόγησαν.

Quid vero magis Graecanicum quam illud, quod sect. 4. v. 3. scribitur? *Sed UT judex moras innecteret ... & ad amphitheatrum tardius properare, veniens arenarius dixit*. Vides heic aut utrobique infinitivo modo scribendum fuisse [nempe *innectere*, sicuti mox *properare*] aut utrobique per conjunctivum, nim. *properaret*, sicuti ante *innecteret*. Verum si posterius sequare, gravabitur error interpretis: qui, tamquam si istud UT causam finalem significet, cum conjunctivo copulavit; quum contra certissimum sit τὸ UT (quod Graece erat ὡς) non fuisse αἰτιολογικὸν, sed potius

tem-

PAG. 270. ad ea textus Actorum verba Vir prudentiae ſanctitate firmiſſimus, ſic

temporis: nempe ὡς pro ἐπεὶ, & VT pro *poſtquam*. Itaque prius malo, utrobique ſcil. infinitivo uſum interpretem. Id quod eâ gratiâ fecit, quod Graece repeririſſet ὡς iſtud temporis cum infinitivo junctum [quod pluries Graeci eleganter uſurpant] nim. ὡς δὲ ὁ κριτὴς ἐπιβραδύνειν, & mox βραδέως σπεύδειν. Quod imitatus ingenii ſervilis interpres, eâdem prorſus junctura utens, ſic poſuit: *Sed VT judex moras innectere ... & ad amphitheatrum tardius properare* [pro *nectebat, properabat*] *arenarius dixit*. Nolo heic autem acclamationem antevertere; nam haeret alius praeterea in eiſdem verbis helleniſmus, qua parte hiantem lacunam exhibui. Vbi tria ſunt in Actis verba (nim. *Cauſa publica faciente*) ſed pro *Faciente* in Graeco πραττούσης aut εἰσπραττούσης erat: quod verbum ſic primario eſt *Facere*, ut non raro ſit *Exigere*. *Cauſa publica exigente*. At noſter vir bonus (tantum ſcil. Graece gnarus, quantum ex macris illius aevi gloſſariis adipiſci poterat) nihil prius habuit, quam ut pro πραττούσης τὸ *Faciente* appenderet. Et tamen quum olim haec acta meram eſſe interpretationem, totamque de Graeco jecore ſapere, teſtaremur; ſurdo fabula canebatur.

Sect. 5. v. 4. leviculum illud eſt: *QVID ENIM* (pro *Quidnam*) *mali homines iſti fecerunt*. Nam in Graeco repererat, τί γὰρ, *Quidnam*. Etſi τὸ *Quid enim* eadem notione in Vulgata Mat. XXVII. 23. Mar. XV. 14. Luc. XXIII. 22. uſurpatur.

Sect. 6. v. 2. *Quidam SENIS pauperrimus*. Obiter: quidquam heic mutari veto. Nam quamvis nulla mihi nunc exempla ſuppeditent recti SENIS pro *Senex*, tamen ἀρχαϊκῶς id uſurpatum, nullus dubito. Certe ſicut a recto *Senex* olim obliqui fiebant *Senecis*, aut *Senicis*, & ſic ceteri caſus (ex quibus porro cognomina *Seneca*, & *Senecio*: & *Senica* pro *Senex*) ſic contra obliqui diſyllabi *Seni*, *Senem*, qui nunc in uſu ſunt, docent fuiſſe olim & rectum caſum *Senis*: a quo recto non tantum obliqui nunc uſitati deſcendunt, ſed & comparativus *Senior*: qui gradus a *Senex* debuiſſet eſſe *Senecior*. Verum haec etſi archaiſmi gratiam his actis conciliant, non ſunt tamen loci hujus, quo de helleniſmis agimus: quos jam notare pergo. *Quidam*, inquit, *ſenis pauperrimus .. OPPOSVIT ſe B. Januario ... ut aliquid de veſtimentis ejus mereretur accipere*. Nemo mihi hoc eripiet, quin hic interpres non alia de cauſa τὸ *Oppoſuit ſe* uſurparit, quam quia Graece repererit Απήντησε, quod, ſi originem & primariam notionem intuearis, eſt quod voluit interpres: ſin uſum ſpectes, reddere debuiſſet, *Occurrit*, aut *Obviam proceſſit*. Extrema ſectione: *Orarium meum .. ſcias TE me ipſum daturum eſſe*. Imo vero *Tibi* ſcripturus erat, niſi in ſuo auctore legiſſet ἴσθι ἐμαυτόν σε δωρήσεσθαι. Nam δωρέομαι paſſim Graeci cum accuſativo perſonae jungunt.

Sect. 7. v. 2. *Ante triduo*. Cave damnes: nam ἀρχαϊκῶς & ἰδιωτικῶς ſic loquebantur: nec magis in *Triduo ante*, quam in iſtoc *Ante triduo*, τὸ *Ante* adverbiaſcit. Illud verſu 4. *Quid vellet eſſe* eſt purus putus helleniſmus, quem in Graeco invenit; quem ſatis in cit. Adnot. 2. explicavimus.

Sect. 8. v. 6. *Spiculator cum magna virtute* [reſpondet iſtud *Virtute* illi, quod in ſuo reperit, δυνάμει: ut Adnot. 2. expoſuimus] *percutiens*. Sequitur v. 10. *Apparuit ſeni illi evidenter*, h. e. ἐναργῶς aut ἐμφανῶς, uti expoſitum eſt in Adnot. 2. Mox: *Orarium, VNDE* [pro *Quo*: nam jam tum altero & tertio ſaeculo *Vnde* ſic vulgo pro relativo uſurpabant, ſicuti Galli *Dont*, Itali *Donde*] *ſibi oculos ligaverat*. Verſu ſeq. *Ecce quod tibi REDDI debeam*. Corr. *debebam*. At *Reddi* eſt veluti deponens, ad exemplum ejus, quod Graece reperit, ὤφηλον ἀποδίδοσθαι.

Poſtremo ſect. 9. v. 4. quid ſibi vult portentoſum illud *Silentiora noctis*, niſi quia bonus interpres Graece ſcriptum repererat Σιγῇ ὥρα τῆς νυκτὸς: quod ipſe totidem verbis adnumeravit? *Silentio*, inquit, *hora noctis apparuit .. uni ex illis, qui parati erant corpus ejus tollere*. Quum ſiquid Graece, ſiquid Latine ſciſſet, is quidem non ignoraſſet, verti totidem quoque verbis potuiſſe, *Tacite* (aut ſi mavis, *Clam aliis*, aut *ſeorſum*) *noctis tempore*. Quandoquidem quis nunc ignorat, tertium caſum Σιγῇ (h. e. *ſilentio*) ſaepiſſime adverbiaſcere, & *tacite* aut *clam aliis* reddi ſolere? Aut quis illud neſcit, Graecam vocem ὥραν non tantum duodecimam ſive diei ſive noctis partem notare, ſed & generaliter *tempus*: quae videtur potius primaria vocis hujus notio. I nunc, & inficiare ſi potes, hanc paſſionem, quae locis omnibus Latina verba ex captu Graecorum, quae in textu e regione reſpondebant, uſurpat, Graecam antea fuiſſe, quam Latino ore immane quantum balbutiens induceretur.

sic inferne (4) adnotabis.

*PAG.*270. *in fine Adnot.*5.*sic addes*. Et quidem antequam aureus Lactantii de mort.persec. libellus in publicum prodiisset, Constantium & Gal. Maximianum Kal. Maiis anni 304. Augustos evasisse vulgo viris doctis persuasum erat. At ex Lactantiani opusculi cap. 18. & seq. postea compertum fuit, haec eadem sequente anno contigisse: quo anno Kalendis Maiis Galerius Maximianus Armentarius a Diocletiano Jovio, Constantius Chlorus Constantini Magni pater a Maximiano Herculio imperatores facti, Severus vero, ac Daza [qui ab illo tempore Gal. Maximinus est appellatus] Caesares creati fuerunt. Haec vero omnia Gal. Maximiano urgente effecta fuisse, idem Lactantius ibi narrat. Hoc ergo martyrium mense Aprili anni 305. contigit [ut infra dicetur] quando Constantius adhuc Caesar erat.

*PAG.*271.*in Actis v.*4. *post illud* Publicis locis *supplendum est* Videbatur. *Nam in fine hujus sectionis v.ultimo hoc idem eisdem verbis sic repetitur:* Idcirco Sancti, ut diximus, difficile in publico videbantur. *At quae statim sequuntur, cur medicam manum recusent, veram attuli causam in adnotatis ad eum locum Adnot.*11. *ubi aperte demonstravi, descriptorem in exemplar incidisse hac parte variis in locis corruptum, eumdem vero, perscripsisse ea tantum, quae potuit exsculpere, eaque exarasse continua serie, nullo relicto lacunarum spatio aut vestigio. Et nonnulla tamen heic quoque inferne* (5) *adspergimus, nempe ut quid hodie hoc loco in textu desideretur, aperte intelligatur.*

PAG. 271. *Adnot.* 13. *v.* 8. *dele parenthesin*

(4) Pro PRVDENTIAE scribe (soluta diphthongo & addito T) *Prudentia et.* Nempe *Vir prudentia & sanctitate firmissimus.* Sed enim *prudentiae* nomine Latini scientiam sapientiamque intelligebant: quae notio heic convenit. Nam ea cum sanctitate conjuncta Ecclesiae ministrum absolvunt. In Glossis veteribus *Prudentia* modo est σοφία (*sapientia*) modo γνῶσις h.e. *scientia*. Hisce Glossis tunc semidocti in interpretando utebantur.

(5) *Quibusnam locis sectio* 1. *manca videatur, quove modo lacunae sarciri possint.*

Ordiar a versu octavo, quia hinc maxime illi immanes hiatus incipiunt. Quae autem παρενθέντα (*parenthesi clauduntur*) ea judicio suppleta scito. *Non facile* (Sosius) *in publicis locis* (*videbatur*). *Hic* (Sosius) *notitiam habuit beatissimorum* &c. Porro *Notitiam* non aliud intellige quam *consuetudinem* & *familiaritatem:* quod & Latinos usurpasse reperio; & sic passim Itali loquuntur, *Aver conoscenza con alcuno*. Post autem *Beatissimorum* non tantum Januarii [de quo sectio 2. v. 1. sic loquitur, tamquam antea nominato, eoque sedis nomen ibi reticetur] sed & aliorum, de quibus in fine dicitur, *Sancti difficile in publico videbantur*. Nec forsitan *Festi* & *Desiderii* aliorumve, siqui forte fuerunt, Januarii comitum nomina tacebantur. Ad specimen igitur magis, quam quod ita scriptum praestare queam, sic totam periodum supplebis: *Hic notitiam habuit beatissimorum* (*Januarii Beneventanae urbis episcopi, Festi diaconi, & Desiderii lectoris &c. qui interdum*) *officio* [h. e. officii gratia] *veniebant in Ecclesiam* (*Misenensem: in qua ipsi & ejus*) *civitatis episcopus* [*cum Sosio &*] *diversis civibus se occulte invicem visitabant*. In qua tota periocha uncis interposita vides, quae de meo supplevi.

Quod statim sequitur, nulla propemodum sartura indiget. Pergit enim: *Sermo* [Graece erat ἡ ὁμιλία, ut in omnib. Vet. Glossis sibi ea duo respondent invicem] *Sermo videlicet, & collectio* (heic vero Graece erat σύναξις, *conventus*) *divinae legis erat in aedificatione hominis* (corr. *hominum illorum*) *quos episcopo* [Januario] *credere videbant*. Cum his & superioribus proxime suppletis confer insignem Joannis diac. locum, quem pag. 271. Adnot. 10. adscripsi.

Sequentibus porro maximam affundit lucem locus Jo. diaconi, quem p. 271. Adn. 13. recitaveramus: quem, utpote ex Bononiensibus actis haustum, heic iterum damus. *In oppido*, inquit, *Misenatium potissima incubuerat persecutio, quia illic celebris PAGANORVM FREQVENTABATVR OCCVRSVS PROPTER VATIS SIBYLLAE SEPVLCRVM haud inde longe discretum*. Confer & Raynerii verba ead. Adnot. 13. adscripta. Ergo qui sequitur locus majore medicina, quam supplemento

thesin propter eas causas, quas inferne (6) *adnotavi*.

PAG. 272. *in fine Adnot.* 14. *quod* Manifestatur *pro deponenti*, *&* Ecclesiae *vocabulum pro multitudine haberi posse censui*, *id totum revocavi in superiore Adnot.* 5. *ubi* *ea verba sic facili negotio restitui*: Cujus (*Sibyllae*) tumulus usque in hodiernum diem (apud) illam ecclesiam manifestatur, h. e. *ostentui habetur atque traducitur*.

EADEM pag. 272. *ad sect.* 2. *haec* (7) *paucula adnotari possunt*.

PAG.

indiget: quem sic restitues: *Et quia in ipsis* (h. e. *eisdem*; ut sequiore aevo usurpabant) *Et quia*, inquit, *in ipsis locis*, *idest cum ipsis* (*Sanctis*) *frequens erat* (*occursus*) *paganorum* (*et*) *nobilium virorum* (*propter Sibyllam*) *magnam vatem*, *cujus tumulus* (sic enim olim pag. 272. Adnot. 14. verissime restituimus pro monstro illo, *Et tustamulus*) *cujus*, inquit, *tumulus usque in hodiernum diem* (*apud*) *illam ecclesiam* (sic enim potius scribendum, quam *Ecclesiae*) *manifestatur* [h. e. ostenditur atque a Christianis traducitur] *idcirco Sancti ut* (*initio*) *diximus*, *difficile in publico videbantur*.

Nunc nequid diligentiae desit, praestabit totam hanc sectionem primam, inclusis parenthesi supplementis, uno spiritu ab initio recitare. *Temporibus Diocletiani Imperatoris*, *consulatu Constantini* [seu potius *Constantii*] *Caesaris quinquies*, *&* *Maximiani septies* [corr. *quinquies*] *erat persecutio Christianorum*. *In Ecclesia vero Mesinatae civitatis erat Diaconus nomine Sossius vir prudentia* (*et*) *sanctitate firmissimus*, *annorum circiter triginta*; *sicut ipse cuidam episcopo*, *qui Dei gratia advenerat*, *in ecstasi revelare dignatus est* [quod erat potius de Graeco vertendum: *a se digredienti rogatus aperuit*] *ipso* (h. e. *eodem*, illo scil. advena) *Episcopo asserente*, *quod Venerabilis Sossius propter metum paganorum non facile in publicis locis* [*videbatur*]. *Hic* (Sossius) *notitiam habuit beatissimorum* [*Januarii Beneventanae civitatis episcopi*, *Festi diaconi*, *Desiderii lectoris* &c. *qui saepe*] *officio* (h. e. officii gratia) *veniebant in Ecclesiam* [*Misenatem*: *in qua ipsi &*] *civitatis episcopus* [*cum Sossio &*] *diversis civibus se occulte invicem visitabant*. *Sermo videlicet & collectio divinae legis erat in aedificatione hominis* (corr. hominum) *quos Episcopo* (Januario) *credere videbant*. *Et quia in ipsis locis*, *idest cum ipsis* (*Sanctis*) *frequens erat* [*occursus*] *paganorum* (*et*) *nobilium virorum* (*propter Sibyllam*) *magnam vatem*, *cujus tumulus* [sic enim pro *&* *tustamulus* castigavimus] *usque in hodiernum diem* (*apud illam*) *Ecclesiam manifestatur* (Graece puto erat ἐπιδείκνυνται sensu deteriore, quasi dicas *ostentui habetur* ac deridiculo, ab omnibus scil. Christianis post pacem Ecclesiae datam]; *idcirco Sancti*, *ut* (initio) *diximus*, *difficile in publico videbantur*.

Atque ea maxime laceri corruptique loci qua ex ingenio sarciendi, qua etiam sanandi ratio vera mihi visa fuit: cujus tamen, quamdiu integrioribus membranis carebimus, quis auctor per omnia atque fundus accedat?

(6) Raynerii Acta SS. Eutychetis & Acutii Chioccarellus, Caracciolus, aliique scriptores nostri octavo saeculo composita crediderunt. Nostros porro homines Vghellus, Cangius in indice scriptorum quem Glossario praemisit, aliique secuti sunt. Quibus ego minime accedo pluribus sane de causis. I. *Raynerii* nomen, utpote Nortmannis familiare, argumento est hunc scriptorem post Nortmannorum in hoc regnum adventum floruisse. II. Ejus styli nimia cacozelia nihil simile habet octavi, noni, decimive saeculi scriptoribus. III. Imo hunc Raynerium non ante initia XII. saeculi hoc opusculum elucubrasse, ex duodecim hexametris Leoninis, quos eidem medio libello inseruit, apertissime arguitur. Qui sic incipiunt:

Pro studiis quorum munuscula dantur honorum,
Supplicibus donis his jungi posce patronis.

Eadem plane τῶν ὁμοιοτελεύτων lege (non quidem vaga atque inconstanti, sed perpetua exactissimaque, cujusmodi XII. saeculo usurpari coepit) ceteri omnes scriptoris hujus versus Leonini decurrunt.

(7) Quod sect. 2. v. 2. S. Sosius non decantans sed LEGENS Evangelia inducitur, id illius aetatis moribus apprime convenit; idque memini me alibi in Sanctor. actis animadvertisse. At Joannes diac. cujus tempore Evangelium a diaconis concinebatur, haec pro sui saeculi captu immutavit. Sic enim narrat: *Accidit* .. *ut idem* (Januarius) *ex more veniens reperiret illum* [Sosium] *forte in coetu fidelium sacrosancta Evangelia SONORO IVBILO PERSONANTEM*. Beda tamen *legendi* verbum, sicuti & ceteras actorum Bononiensium locutiones in S. Sosio ad 23. Sept. scite retinuit.

Jam vero versu penult. τὸ ET (quo sensus turbatur) in EST mutabis. *Osculatus caput ejus est*, *gratias agens Domino*, *caput* &c.

PAG. 273. *col.* 1. §. At equidem *v.* 3. *post* fuisse *adde*. Etsi non me latet, hisce temporibus praesidum, aliorumque virorum clarorum cognomina reperiri non raro Graeca.

PAG. 273. *ad sect.* 3. *pauca admodum in ima* (8) *ora adnotari convenit*.

PAG. 275. *ad initium sect.* 4. animadverti (9) nonnulla non poenitebit.

PAG. 276. *sect.* 8. *versu* 2. *de Sulphurataria vide quae inferne* (10) *animadvertimus*.

PAG. 277. *sect.* 9. *v.* 4. *vide quae supra Adnotatione* 3. [*quae de Graecismis horum Actorum est*] *in istud* silentiora noctis *adnotavimus*.

Ggggggg 2 PAG.

(8) Sect. 3. v. 3. aut scribe *secundum imperiale praeceptum* aut *sec. imperialia praecepta*. Versu 7. pro *Ardua* scribe *Arcta*: quod in Martyrum actis custodiae epitheton est perpetuum: *In arcta*, inquit, *custodia carceris*. Versu quarto ante finem τὸ RES est *Respondit*: quod superius bis notatur per notam ℞. Versu penult. *Arena* [cor. *Arenam*] *parari*, *et* (cor. *ut*) *una cum sancto Sossio ad ursos tradantur*. Vides obiter, ut heic etiam de Sosio, non tamquam gregario milite, sed tamquam uno ex duobus signiferis [quor. alter Januarius fuit] *agitur*.

(9) Versu 1. *Sed ut judex moras innecteret* [imo *innectebat*, non vero *innecteret*; nam VT non est αἰτιολογικὸν, quod cum conjunctivo jungitur; sed est loco Graeci ὡς pro *Vbi* aut *postquam*] *causa publica faciente* (pro *exigente*: nam ut sup. diximus Adnot. 3. Graece erat πραττούσης: πράττω autem primario est *Facio*, at interdum etiam est *Exigo*, *Cogo*) & *ad amphitheatrum tardius properare* [imo *properabat*, uti modo notavi] *veniens arenarius dixit judici*.

Arenariorum vox trita est pro iis qui in amphitheatro depugnant, ut l. 2. §. 2. D. *de test.* & l. 38. *de operib. libert.* & alibi. Nec aliter Tertullianus de spect. c. 22. simul damnans *quadrigarios*, *scaenicos*, *Xysticos*, *arenarios*. Addatur Praefatio libelli precum Marcellini & Faustini, ubi legitur: *Cum omnibus perjuris & arenariis .. Lateranensem basilicam tenuit*: mox ibidem: *Invitat arenarios*, *quadrigarios & fossores .. & obsedit basilicam*; Adhaec in Concil. Calched. act. X. συναγαγὼν ὄχλον ἄπικτον μετὰ ξιφῶν καὶ ἄλλων τινῶν ἀρεναρίων: & intra: μετὰ ξιφῶν καὶ ἀραναρίων καὶ δᾳδων τινῶν: ubi translatio vetus *Arenarios* reddidit. Verum utrum omnibus his locis *Arenarii* sint qui depugnent, an etiam interdum, quibus Arenae sive muneris apparandi cura incumberet, non definio. At in hoc certe Actorum loco *Arenarius* posteriore significatu accipitur: in quo etiam Graece Ἀρηνάριος fuisse, ex Concilii Calchedonensis locis productis discimus. Nec secus Symmachus usurpavit in V. epist. 57. *Dies*, inquit, *muneris .. admovetur: cui largitas candidati sola non sufficit*, *si lautioribus arenariis deferatur*. Vbi liquidum est, *arenarios* esse qui munus apparant, non qui depugnant: quidquid aliter sentiant. Quod vel ex adjectivo *Lautioribus* potest intelligi. Si lautioribus, inquit, arenariis [h. e. arenae praepositis] defertur negotium, quantalibet candidati largitas non sufficiet. Et certe idem nomen, etsi aliorsum detortum, praepositurae significantiam in Tertulliano obtinet extremo lib. de Pallio, ubi Pallium sic προσωποποιεῖ: *De meo vestiuntur* (loquitur pallium) & *primus informator litterarum*, & *primus enodator vocis*, & *primus NVMERORVM ARENARIVS* [h. e. arithmeticus, qui in abaco arena consperso numerorum compositiones edocebat] & *grammaticus*, & *rhetor*, & *sophista* &c. Omnes hosce doctores palliatos, non togatos fuisse ostendit. Quod si novum hoc *Numerorum arenarii* a Septimio fictum vocabulum, praepositi nomen est; quidni etiam amphitheatralis *arenarius* interdum de mancipe aut curatore ludi (quemadmodum in his actis accipitur) intelligeretur?

(10) *De Sulphurataria*.

In Actis Baronianis hoc loco vocatur *Sulphotaria*, ferme ut hodiedum is locus, ubi hi Martyres decollati fuerunt, vocatur; nunc enim propter copiosissimas sulphuris fodinas *Zolfatara* nuncupatur. At sequ. sect. in his actis *Sulphuratoria*, in Baronianis *Sulphotarea* scribitur.

At verum nomen erat *Sulphuraria*, sicut *Auraria*, *Argentaria*, *Ferraria*, & cetera fodinarum nomina eâdem analogia formata. Reperitur *Sulphuraria* in quodam vetere Onomastico, ac praeterea bis in Vlpiano. Semel l. 8. §. 10. D. *de poenis* in haec verba: *In calcariam quoque vel sulphurariam damnari solent*. Iterum l. 52. §. 8. D. *de furtis*, ubi sic scribitur: *Si sulpuariae* (sic quidem in Florentinis: at scribendum est *Sulphurariae*, aut vero *Sulpurariae*; quia in Florentino Pandecte saepius *Sulpur* legitur) *sunt in agro*, & *inde aliquis terram egessisset*, *abstulissetque*; *dominus furti aget*: *deinde colonus conducti actione consequetur*, *ut idipsum sibi praestaretur*.

PAG. 278. *in fine Adnot.* 35. *sic addes* Atqui re melius considerata in Joanne diac. non COMMODI (ut nim. sit viri nomen) sed potius COMMOTI (media scil. consona in tenuem permutata) scribendum censeo : *Revelatione commoti sustulerunt*.

IBIDEM Adnot. 36. *v.* 4. *post* abscondérunt *adde*. In Marciano olim Januarium fuisse conditum, testatur Joannes diac. in S. Joanne I. Et quidem *Marciani* nomen adhuc fundo cuidam prope Capucinos haeret : quem memoratum reperio in quodam instrumento Puteolano, quod mihi nuper ostensum fuit.

PAG. 280. *in fine Adnot.* 39. *sic addes* : Quod dixi S. Januarium cum sociis mense Aprili die XXI. capite detruncatum, & tamen ejus sollemne festum die XIX. Septembr. antiquitus celebratum fuisse, sive quod eo die ejus basilica in Marciano dedicata, sive quia eo die e Marciano Januarii corpus ab Episcopo Joanne Neapolim translatum fuit : id totum pluribus exemplis ex historia petitis possem ostendere. Verum heic profuerit ea tantum recoluisse quae in Auctario ad XXIX. Junii pag. 891. & seq. observavimus. Nimirum, si Polemii Silvii laterculo credimus, Apostolor. Petri & Pauli *Depositio* olim die XXII. Februarii colebatur. Verum ubi postea anno 258. Tusco & Basso consulib. celeberrima eorumdem Apostolorum translatio in Vaticanum die XXIX. Junii facta fuit, eaque translatio Depositione celebrior evasit; ab eo tempore mansit hoc semper secutis aetatibus, ut die 29. Junii praecipua eorum sollemnitas celebraretur ; ita ut demum is dies pro die passionis ab omnibus haberetur.

ADDITAMENTA
MENSIS MAII.

PAG. 289. *die XI. Maii de S. Hilarione tractationem integram alio rejeci, nempe ad diem XXI. Octobris, quo in hoc Kalendario scribitur*, NT S. HILARIV : *Qui haud dubie est Hilarion ille celeberrimus monachorum pater. Verum ne cui ea tractatio longius dilata videatur; statui heic non multa subjicere, per quae de utriusque diei festo ita agatur, ut simul etiam hujus diei Hilarion ab illo, qui die XXI. Octobris celebrandus proponitur, accurate distinguatur. Ergo brevis commentarius subjicitur, quo in duos una eademque opera Hilariones inquiremus, tum hodiernum hunc scilicet, de quo loqui distuleramus, tum alterum illum qui die XXI. Oct. annuntiatur. Verum praestabit a posteriore incipere, utpote longe celebriore.*

COMMENTARIVS
De duobus hujus Kalendarii Hilarionibus.

PARS I.
De Hilario sive Hilarione diei XXI. Octobris : quo die sic scalptum est :

NT S HILARIV.

Jam primum leve illud est quod die XXI. Octob. HILARIV Graeco casu pro HILARII scribitur; nam id passim in his Fastis occurrit. Verum id gravius, quod hoc die nullus usquam *Hilarius* nec in Graecorum nec Latinorum libris liturgicis usquam occurrit. De Pictaviensi Hilario, (de quo, utpote ceterorum ejusd. nominis celebratissimo, suspicari quis posset) nefas est cogitare, non tantum quia ille Idib. Januariis, aut saltem postridie coli debuerat, verum etiam quia additum fuisset *EPIscopi*, si quidem de eo nunc ageretur. Verum quid moror? Hodiernus *Hilarius* haud alius est ab *Hilarione* monachorum Palaestinae patre, Magni Antonii aequali, cujus elegantissima vita ab Hieronymo elucubrata omnium teritur manibus. Nec te turbet nominum tantula haec diversitas: nam (quod alibi pluries a me ostensum fuit) nomina primitiva passim cum suis derivativis invicem permutabantur; uti

Con-

Constans, *Constantius*, *Constantinus*; *Maximus*, *Maximinus*; *Antonius*, *Antoninus*, & sexcenta in eumdem modum. Quae quidem alternandi consuetudo mirum quas tenebras antiquitati offundat, nisi attentum lectorem nanciscatur.

Ne cui vero gratis Hilarionem heic pro *Hilario* videar affingere: ecce quidam alter *Hilarion* cognomento *Thaumaturgus* [qui in Graecorum libris Ecclesiasticis passim die IV. Maii colendus proponitur] alibi quidem passim *Hilarion*, alibi vero (1) HILARIUS pro *Hilarione* nuncupatur.

Porro quod dixi, hujus diei Hilarium alium nõ esse ab Hilarione monachorum parente, id ex eo liquet, quod apud omnes Graecos is hoc demũ die cultũ sollemnem obtinuit. Quod & Latini sunt imitati, ab eo opinor tempore, quo ejus vita ab Hieronymo pertexta sui admirationem apud occidentem excivit. Nam & in Rosweidano Mrologio, & in Beda, Adone, Rabano, Usuardo, ceterisque omnibus hoc die XXI. Octob. signatur. Nec verisimile mihi fit, tantae apud Graecos Latinosque dignationis Sanctum ab unis Neapolitanis hoc die praetermitti potuisse.

Ac de Hilarionis quidem emortuali die nihil Hieronymus, nihil veteres scriptores prodiderunt. Tamen ipsa, de qua modo dixi, utriusque Ecclesiae in Hilarionis die festo consensio hoc extudit a cautissimo Tillemontio judicium, nempe eum hoc die videri ad superos evolasse. Eum vide To. VII. in S. Hilarione. At hujus accuratissimi viri sententiae non tantum antiquitatis silentium refragatur, & quod ex die festivitatis diei depositionis argumenta capere vanissimum est, verum etiam hujus Kalendarii auctoritas obsistit, in quo hoc die NT h. e. *Natalis* generica vox (quae diebus non suis passim praescribitur) non vero nota DEPositionis praemittitur. Verisimilius mihi fit, in hunc diem incidisse sacri corporis Translationem e Cypro in Palaestinam ab Hesychio factam, eaque gratia hujus celeberrimi diei memoriam apud Palaestinos perennasse; quum interim diei emortualis recordatio Cypriis excidisset. Ceterum quod in metricis Ephemeridibus hoc die XXI. Octob. legitur:

Τϛατα Ιλαρίων ἐκομίσατο εἰκάδι πρώτῃ

Ter septene dies, ades ultimus Hilarioni:

id ex ejus versificatoris more fit, plerumque festivitatis diem pro die obitus accipientis.

PARS II.

De Hilarione, qui in his Fastis die XI. Maii colitur.

Restat nunc illud discutiendum, quis ille *Hilarion Monachus* sit, cujus *Natalis* in hoc marmore die XI. Maii signatus fuit in hunc modum NT S. ILARIONIS MON: quem loco suo a nobis praetermissum, hoc maxime loco reponimus.

Sciendum est autem, praeter Magnum Hilarionem, de quo hactenus scripsimus, fuisse & alterum ejusdem nominis Abbatem monasterii (2) *Pelecetes*, qui passim a Grae-

(1) S. Hilarion Thaumaturgus (de quo vide mox Par. 2.) die IV. Maii colitur in excusis Menaeis, in Synaxariis Mss. Claromontano, & Mazariniano (utroque Parisiensi) nec non in pluribus Ambrosianis Mediolanensibus, & in Taurinensi, in Chiffletiano, & Basiliano Cryptae Ferratae Menologio. Porro in duobus postremis pro *Hilarione* is *Hilarius* vocatur. Sic etiam in versiculis elogio Chiffletiano praefixis *Hilarius* scribitur in hunc modum.

Εγνων τὸν Ιλάριον (repete artic. τὸν, ut versus fulciatur) *ἱλαρὸν φύσει*,

Ος θαυματουργεῖ καὶ τάφῳ τεθειμένος.

Nosco equidem Hilarium hilaris virum ingeni

Etiam in sepulcro mira qui situs patrat.

Vide Bollandistas ad 28. Martii in S. Hilarione Juniore num. 4.

(2) Graece id sic concipitur, *ἡγούμενος τῆς μονῆς τῆς πελεκητῆς*, quod Bollandistae (ad 28. Martii in hoc Hilarione num. 5.) reddi posse ajunt, *Hegumenus monasterii dolatoris*. At bona cum eorum venia Πελεκητῆς est a recto *πελεκητή* h. e. *dolata* aut *dolatilis*, non a *πελεκητὴς dolator*. Iidem ibidem suspicantur, hoc monasterium in Asia fuisse, idque ex vita S. Stephani confessoris probari posse putant. Verum id inde non liquet.

a Graecis die XXVIII. Martii (etsi alicubi alio ejusdem mensis die) colitur: de quo videndi sunt Bollandistae ad XXVIII. Martii.

Fuit praeterea & tertius Hilarion cognomento *Thaumaturgus*, de quo Graeci agunt die IV. Maii. De eo nos quaedam diximus in Adnotatione prima: ad quem, ut arbitror, referendus est & ille Hilarion, cujus in quibusdam Graecorum MSS. liturgicis libris (apud Bollandistas die VI. Maii pag. 104.) μνήμη (*memoria*) conjunctim cum *Pachomio* & *Mamante* occurrit, diei sui vicinia id suadente.

Ac postremo quartus fuit Hilarion Abbas Dalmatarum: quem Graeci die VI. Junii colunt; si credimus Rosweido initio adnotationum ad Hilarii vitam ab Hieronymo scriptam.

His praemissis, valde suspicor, *Hilarionem*, qui die XI. Maii in Neapolitanis Fastis signatur, fuisse diversum a Magno Hilarione qui ab eisdem Neapolitanis cum Graecis ac Latinis omnibus, uti dixi, die XXI. Octobris celebratur. Quocirca hunc Hilarionem diei XI. Maii non alium esse habendum, quam *Thaumaturgum*, qui sollemni officio a Graecis die IV. Maii colitur, censeo. Ex quo die eum nostri in proximum XI. diem non sine causa transtulerunt. Non sine causa, inquam; quia quartus Maii dies antiquiore Martyrum festo impediebatur.

Ceterum Bollandiani (ad XXVIII. Maii in Hilarione juniore) persuasum habent, Hilarionem hunc Thaumaturgum non alium fuisse ab *Abbate Pelecetes*. Id si sit (nec enim praestare id possum) hodiernus Neapolitanorum Hilarion hos sibi titulos simul ambos adsciscet, *Hilarion Thaumaturgus* & *Abbas Pelecetes*. Quod si Thaumaturgus est ab Hegumeno Pelecetes distinguendus; tum, si me audis, Hilarion qui in his Fastis die XI Maii signatur, plane idem erit ac Thaumaturgus, qui die IV. Maii a Graecis celeberrimo officio colitur, potius quam alter ille diei 28. Martii Hilarion Abbas Pelecetes.

Verum quid diu dissimulo? Thaumaturgus Hilarion tam diversus est ab Hegumeno Pelecetes, quam canis terrestris a caelesti dissidet. Exstant apud Bollandianos die 28. Martii Josephi hymnographi Odae, quibus Thaumaturgi Officium pertexitur: in quibus Monasterii Pelecetes neque vola neque vestigium. Dixeris, nihil fuisse causae, cur poeta hymnographus ad *Pelecetes* mentionem stylum demitteret. At etiam in historico elogio, quod in Basilii menologio de Thaumaturgo contexitur, nulla prorsus Monasterii Pelecetes significatio. Adde quod non ut monasterii alicujus Hegumenus, sed ut *reclusus* ibi describitur. Non pigebit totum Menologii Basiliani elogium (quod die IV. Maii adtexitur) heic adnectere, quod tale est. *Hilarius* (vide supra §. 1. & ibi subjectam adnotationem: ex qua intelliges, cur hic pro *Hilarione* vocetur *Hilarius*) *Thaumaturgus in primo aetatis flore monachus factus & cruce sibi sua in humeros sublata, Dominum crucifixum secutus est. Quum autem carnis affectiones continentia subjecisset, in omnibus virtutibus monachos omnes superavit. Nam in obscuram domunculam se ipsum includens, & procul ab omni strepitu remotus, animo imperturbato claruit. Quamobrem dignus fuit qui Sacerdotio initiaretur & miracula patraret. Animalia enim, quae nascentibus seminibus nocebant, increpavit, eaque ex agro repulit: & plagam* (3) *grandinis fusis precibus repressit: sitientem terram imbribus madefecit: fluminis cursum instar Elisaei prophetae* (vide 4. Reg. *II.* 8.) *divisit: aridam cujusdam manum curavit: caeco visum restituit: claudos ambu-*

(3) In Basilii Menologio Urbini edito haec Graece sic leguntur: καὶ πηγὴν χαλάζης ... ἀνέστειλε. Verum *fons grandinis* prorsus absurde ibi quum legeretur; ei malo subjecta Latina interpretatio sic medetur, ut vertat, *Fontem uberrimum scaturire fecit*. Atqui pro πηγὴν scribendum esse πληγὴν [h. e. *plagam*] res ipsa monet: nec aliter in nescio quo alio Graecorum ecclesiastico libro, si probe memini, scriptum reperitur.

ambulare fecit: quumque plurima alia miracula fecisset, in pace ad Dominum migravit. Haec de Hilarione Thaumaturgo (qui in his Fastis die XI. Maii colitur) Basilianum Menologium: quae cum Abbate Pelecetes, siquid video, nihil prorsus commune habent.

Porro de aetate ejusdem Thaumaturgi Hilarionis si quaeras, eum sub Iconoclastis vixisse conjicio. Nam in earum Odarum, quas Bollandiani ex Officio Thaumaturgi desumptas die 28. Martii loco cit. produxerunt, octavâ haec leguntur: *Tua mors apud Deum gloriosa apparuit, Pater sanctissime; ipsius enim honorasti imaginem, & tyrannorum persecutiones sustinuisti, o Beate; atque in hoc martyr es declaratus*.

EADEM PAG.289. die XIII. dixi suspicari me, Polybium qui eo die annuntiatur, fuisse quemdam S. Epiphanii discipulum: quod ipsum etiam ad Kal. Martias (pag. 83. col. 2. ab initio ad medium) conjeceram. Sic igitur olim augurari placuit. Verum alio rem distuli, ut interea conjecturae hujus argumenta firmiora, si qua possem, colligerem. Quare meam ut fidem liberem, sequentem Conjectionem in medium affero.

CONJECTIO

De eo, quis ille sit Polybius, qui in Fastis Neapolitanis die XIII. Maii colitur.

Quis iste sit Polybius Episcopus, nec in Graecorum libris Ecclesiasticis, nec uspiam apud Latinos reperi, neque hoc die, nec alibi per totum anni circulum: quantamcumque in eo diligentiam adhibuerim. Vel sic tamen rem acu tetigisse videor, ac Polybii istius certam notitiam adeptus.

Res enim sic se habet. Mendacissimam quamdam S. Epiphanii vitam in calce illius operum doctiss. Petavius G.L. edidit, ita compositam, ut eam videatur Joannes quidam scripsisse, deinde alter nomine Polybius continuasse (quorum uterque de se primâ personâ loquitur) etsi revera unus idemque est stylus utriusque partis, ab unius impostoris manu profectus. Verum quantumlibet putida sint ejus vitae monstra ac παράδοξα, non ideo minus eam medii aevi scriptoribus fucum fecisse reperio; apud quos ut quidque portentosissimum erat, ita maxime fidem inveniebat. Itaque X. saeculo vitam illam admiratus videtur Imp. Leo Sapiens, dum eam secutus reperitur in laudando Chrysostomo. Adhaec elogium ex ea sumptum deprehenditur in Synaxario Basilii imp. Quam utramque observationem Papebrochio acceptam refero ad XII. Maii, pag. 46. num. 45. Ex his vides, eam vitam X. saeculo antiquiorem fuisse.

Sed & diu antea eadem vita Neapolitanis admirationi fuit. Nam quantum ex hoc Kalendario (quod medio IX. saeculo scalptum fuisse, in Diatr. praevia ostendimus) potest intelligi, S. Philonis Carpathii (de quo ad XXIV. Jan. disputavimus) notitiam non aliunde videntur, quam ex eadem Epiphanii vita, Neapolitani hausisse. Ergo, si me audis, *Polybius* Episcopus, qui hoc die colitur, non alius est, nisi vehementer fallor, quam ille Epiphanii discipulus ac tandem Rhinocorurorum episcopus, cui Epiphanianae vitae continuatio ab impostore aliquo per summum scelus tributa fuit.

At enim dixerit heic forsitan aliquis, non aliunde de hoc episcopo Polybio nos fieri certiores, quam ex Epiphanii vita: quae quum a capite ad calcem apertissimis mendaciis scateat, jam & illud concidere, quod huic fundamento innititur, nim. fuisse aliquem Polybium Rhinocorurorum episcopum, qui hoc die colatur.

Sed facillima est responsio. Nam certum est, impostores istos, dum sub alicujus nomine personati incedunt, non sibi larvam quamlibet temere fictam accommodasse, sed quae aliquem περιβόητον ἄνδρα (*celebrem virum*) referre posset. Itaque in illa fabulosissima Epiphanii vita etsi res gestae magnam partem sunt commentitiae, & ad admirationem ciendam confictae; tamen fuit omnino Joannes, fuit & Polybius, ambo

bo Epiphanii discipuli; quorum hunc alterum revera Rhinocorurorum episcopum fuisse necesse est: imo utriusque celebre apud antiquos nomen fuisse oportet. Quemadmodum qui poetae olim Orestis aut Ajacis fabulas docere aggrediebantur, veram ab historia personam assumebant, quam deinde commentis admirabilibus exornarent. Sic & Philo ille Carpasii episcopus (de quo diximus ad 24. Jan.) revera aliquando in rerum natura fuit. At vero quod verbi causa eidem Philoni profecturum Epiphanium auctor vitae scribit gregem suum commendasse, id inter incerta rejiciemus, utpote a vita illa dubiae fidei hausta. Ergo non est ambigendum, quin vere Polybius quidam fuerit Epiphanii discipulus, postea Rhinocorurorum in Aegypto episcopus, qui hoc die colitur. Quod vel ex eo ostenditur, quod quum in hunc diem ejus *Depositio* non inciderit (nec enim *Depositionis* notam, sed *Natalis* hodierno die scalptam vides) non aliud potuit Neapolitanos impellere, ut hujus festum agerent postridie ejus diei, quam festum Epiphanii celebraverant; nisi quod sibi Neapolitani proposuissent festum discipuli cum festo magistri conjungere. Postremo illa, quam saepe dixi, Epiphanii vita, etsi mendacissima, habet utilitates suas, modo quis ex Ennii stercore aurum colligere satagat. Vide dicta ad XXIV. Januarii: profecto intelliges, quantum ad Philonem Carpathium Ecclesiae scriptorem illustrandum ea vita nobis emolumenti attulerit.

Ex dictis jam probe animadvertis, fuisse hoc in Neapolitanorum more positum, ut quos summopere admirarentur Sanctos, eos non satis haberent peculiari festo colere, nisi etiam eorum discipulos, vitarumque scriptores, modo publicum cultum commeriti comperirentur, celebrarent. Sic quia S. Maria Aegyptia in oculis nostrorum erat; hinc etiam Sophronium quemdam monachum, non alia de causa, quam quia Mariae vitam scripsisset, in hisce Fastis inseruere Kalendis Martiis: de cujus facti ratione vide dicta pag.83. col.2. ante medium, & tota pag. 182. ubi accuratius firmatur novus ille Sophronius Monachus vitae S. Mariae scriptor & a Neapolitanis cultus. Pari ratione parum Neapolitanis fuit S. Epiphanium die XII. Maii in hoc Kalendario signare, nisi etiam discipulos ejus duos, nempe Philonem Carpathium (de quo vide mihi dicta ad XXIV. Januarii) nec non hujus dici Polybium Rhinocurorum episcopum hoc die venerandum proponerent: quem Polybium etiam Epiphanianae vitae compositorem fuisse crediderunt. Jam tum enim IX. saeculo (quo hi fasti prodierunt) supplementum vitae Epiphanii a Petavio editum sub Polybii ejus discipuli nomine circumferebatur, ei nempe ab aliquo impostore suppositum.

Et hac quidem tenus olim augurando processeram, quum ecce me minime vanum fuisse augurem, ex Ecclesiasticis Graecorum libris (quibus hi Fasti plerumque concinunt) tandem animadverti. Nam in MSS. Synaxariis duobus Taurinensibus biblioth. Ducis Sabaudiae quemdam *S. Polybium discipulum S. Epiphanii*, non huic quidem dici XIII. Maii, sed sequenti inscriptum reperiri, socii Bollandiani testantur tom. ult. Maii pag. 769. in Appendice ad XIV. Maii litt. B. Qui etiam post indicium hujus thesauri factum, hoc praeterea (si recte eorum verba capio) forsan significant, in iis Synaxariis se scriptum reperisse, ab hoc Polybio Epiphanii vitam fuisse scriptam. *Fingitur* (Bollandistae ajunt) *vitam Magistri scripsisse* (Polybius): *ego an in rerum natura* (idem Polybius) *fuerit, valde dubito.* Bona verba, quaeso. Nam re vera, ut toties monui, adhuc sub Polybii nomine Epiphanianae vitae auctaria exstant. Non fuerint illa quidem ab hoc Polybio Epiphanii discipulo, quo et parum digna sunt, scripta; at credebantur tamen aevo sequiore. Adhaec eadem haec vita sit quamlibet mendacissima; tamen is qui ejus auctor fingitur, non tantum in rerum

rum

rum natura fuerit oportet, verum & fama inclaruerit necesse est, ut sub ejus specioso nomine merces vendibiliores fierent. Postremo si clarissimi Bollandistae parum Synaxariis istis Taurinensibus fidunt; at Fastorum certe Neapolitanorum & antiquitas & passim alibi probata fides pro Polybio stabit; eumque non tantum in natura rerum fuisse, sed & cultum jam antea assecutum testabitur. Ac de S. Polybio Epiphanii discipulo, nunc primum e tenebris eruto, abunde hactenus.

PAG. 297. *ad finem* §. 2. *adde*. Postremo hactenus de *Candida* dictis addi possunt, quae Valesius ad Ammiani XXVII. 3. [pag. 522. editionis meae] commentatur: ubi contendit *Candidam* dici editionem illam, quae fiebat a magistratibus sumptu ipsorum, non ex arca publica: idque ex quodam Kalendario comprobat.

PAG. 300. *post finem Adnot.* 19. *sic adde.* Postremo si verum amamus, *Quadrati* notio duo mihi complecti videtur, staturae mediocritatem cum torosi habitus firmitate conjunctam. Vtrumque complectitur Suetonius de Vespasiano sic scribens: *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris*. Vtrumque etiam in sua *Quadrati* definitione ita requirit Ambrosius, ut grammaticorum omnes de hoc vocabulo nuper motas controversias tanto ante praeciderit, si ad eam definitionem attendissent: quae in lib. De Noe cap. VI. n. 13. talis est: *Nam & in usu ita est, ut eos QVADRATOS dicamus, quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis aestimamus*. Haec inquam finitio rixas litigantium dirimit, quas non videbatur ante satis sustulisse Tranquillus: qui ex nonnullorum interpretatione videbatur duo de Vespasiano docuisse, eum nempe & *quadratum* fuisse, & praeterea *compactis firmisque membris*. At ex Ambrosio discimus, in textu Suetonii etiam illa torosa membra ad *quadrati* constitutionem requiri; quibus qui careat, *μεσῆλιξ* sive *mediae staturae*, non item *quadratus* dicetur.

PAG. 306. *in fine Admonitionis sic adde*. Id solum doleo, quod quum hic de S. Restituta commentarius raptim, uti quidque particulatim scribebatur, typis mandatus fuerit; haud pauca sine delectu irrepsisse, fero tandem in hac recensione animadverterim: id quod in longioribus potissimum commentationibus interdum accidit. Vsque adeo verum est longe minus ad fundendam rerum copiam, quam ad amputanda ac falce premenda superflua, requiri curae atque temporis: id quod in ea quam mox subjiciam Palinodia ad pag. 337. potest intelligi.

PAG. 312. *in Adnot.* 32. *ad finem* §. Respondeo *sic adde*. Confer dicta ad 1. Junii ad Acta S. Justini M. in Adnot. 68. p. 474. quae Acta initio te *βασιλεῦσιν* (*imperatoribus*) quasi duobus loquuntur; ad finem vero *αὐτοκράτορος* unius [nempe Marci] mentionem faciunt, contempto desidioso collega.

PAG. 313. *Adnot.* 35. *col.* 2. *post v.* 4. *adde*. Et quoniam loca plura restituimus, haud erit difficile illud quod in codice canonum Eccles. Afric. edit. Justelli can. 78. legitur: *Rursum placuit, ut quoniam Hipponensium DIARETORVM ecclesiae destitutio non est diutius negligenda* &c. Vbi quis dubitat quin *Diarrhitorum* aut potius corrupte *Diaritorum* [ut sit *Hipponensium* *διακριτικὸν* cognomentum] sit reponendum? Et tamen Du-Fresnio viro summo somnus obrepsit; qui in Glossario locum voci DIARETOR [tamquam ex genitivo *Diaretorum*] dedit; etsi ipse pro *Diaretorum* mavult legi *Directorum*, quasi respondeat Graecae voci *φροντιστῶν*, quae in hujus canonis Graeca versione reperitur. Atqui qui Graecis *φροντισταὶ*, ij Latine non *Directores* sed *Curatores* vocandi erant: nec postremo est dubium quin Graecus translator erraverit dum suprascripti canoni verba ita reddidit: *ἐπειδὴ τῆς ἐκκλησίας τῶν ἐν Ἱππῶνι φροντιστῶν* (pro *τῆς ἐν Ἵππωνι Διαῤῥύτῳ*) *ἡ ἐγκατάληψις οὐκ ὀφείλει ἐπὶ πολὺ ἀμεληθῆναι*. Nullus heic erat *φροντισταῖς* locus, quia

 ecçle-

ecclesia illa episcopo, non curatoribus *destituta* erat.

PAG. 314. *col.* I. §. Sed & , *postquam patriae S. Restitutae nomen eo detortum observavimus, ut PONIZARITVS diceretur, jam confecta res est, nec ulterius ad corruptius illud alterum PONIZARIVS* (*sine T*) *progrediendum. Nam in S. Restitutae Lectionibus, quae in chronico Ms. S. Mariae de principio pag.* 13. *leguntur. Lect.* I. *diserte PONIZARITVS scribitur his verbis*: In provincia Affrica in loco qui dicitur PONIZARITVS. *Quae lectio omnino sequenda est, spreta corruptiore altera PONIZARIVS, quae codices invasit.*

Mox ad finem ejusdem columnae inter exempla nominum locorum, quae aphaeresim passa fuere, & illud referri potest, quod Baronius Kalendis Martiis S. Antoninae locum martyrii Caeam *ponit* (*quae nusquam nisi tantum in Sirletiano Menologio legitur, unde hausit Baronius*) *quae vere* Nica *a dicenda erat.*

*PAG.*317. *Adnot.*42. *acta SS. Tryphonis & Respicii breviter, quantum illa tum festinatio patiebatur, illustravimus. At eadem postea multo accuratius in Additamentis ad Kalendas Febr. a pag.* 930. *ad* 942. *expendimus, & eximia luce, qua certe indigere videbantur, perfudimus, non sine magno, uti credo, rei ecclesiasticae commodo.*

*PAG.*322.*ad finem cap.IV.adde*. Quod aetatem scriptorum S. Restitutae actorum ultra medietatem VII. saeculi, h.e. usque ad ejusd. saeculi finem prorogari posse, dixi, id nunc revoco. Nam ea acta ante scripta fuerunt, quam Restitutae reliquiae ex insula Neapolim afferrentur, uti infra notatur. Atqui eas reliquias non exeunte IX. saeculo, sed post septimi medietatem Neapolim fuisse allatas, infra adnotabimus.

PAG. 333. *Adnot.* 90. *v.* 8. *post* Reperiatur *sic Adde.* Verum re melius perpensa nihil in numerorum notis mutandum. Alibi adnotatum a me fuit, milliaria breviora apud antiquos fuisse quam nunc sunt. Ergo ea distantia nunc quidem paullo plus quam XX. millium passuum est: olim paullo minus quam XXX. Itaque recte hic legitur: *Fere milliaria triginta*.

PAG. 335. *col.* I. *observavi in Chronico S. Mariae de Principio Capituli Neapolitani lectiones S. Restitutae minime contractas reperiri, sed integras, & pari verborum processu, quo Acta Henscheniana* [*quae ex dictis lectionibus emendari pluries poterunt*] *decurrunt.*

A D M O N I T I O

*PAG.*337.*quae toto cap.VIII.de S. Restitutae Translatione Neapolitana diximus, ea pluribus locis mihi castiganda video. Quo circa sequentem subjeci* παλινῳδίαν.

P A L I N O D I A

Ad pag. 337. *& seq.*

De S. Restitutae translationis Neapolitanae, & Ecclesiae sub ejus nomine erectae tempore: quod totum vulgo Constantino M. tributum, ad Constantinum Constantis filium esse referendum, docetur. Item rerum S. Virginis Restitutae chronotaxis.

I. Primum omnium falsum est, quod non uno loco significavimus, S. Restitutae ecclesiam illā, cujus chronographus Ioan. in Zosimo mentionem facit, haud diversam a Stephania sive Salvatoris ecclesia fuisse. Imo diversa erat; quia auctor vitae longioris S. Athanasii a Stephania Ecclesiam S. Restitutae disertis verbis distinguit. Quamvis tamen a Stephania distingueretur, tamen eidem Stephaniae adjacebat, ferme uti nunc magnificentissimus ac venerandus S. Januarii Thesaurus hodiernae cathedrali adjacet. De quo alibi plenius disputabimus.

II. Antiqua S. Restitutae ecclesia diversa prorsus ab ea fuit, quae hodie *S. Restituta* vocatur. Nam hodierna *S. Restituta* certo certius eadem est ac vetus Stephania sive Salvatoris ecclesia; nec nisi ineunte XIV. saeculo ob illatas S. Restitutae reliquias nomen *S. Restitutae* adepta fuit, uti alibi copiosius exponetur.

III. Verba illa Joannis diac. in Zosimo (*Neapoli* Constantinus *basilicam fecit, asserentibus multis quod Sancta Restituta*

tuta

tuta fuisset) κατὰ πρόληψιν [*per anticipationem*] intelligenda esse, in Commentario de S. Restituta contendimus, tamquam si dixisset: *Asserentibus multis, quod* (Ecclesia a Constantino facta, illa ipsa Stephania, quae postmodum post illatas S. Restitutae reliquias) *Sancta Restituta* [vocari coepit] *fuisset*. Verum id [praeterquam quod falsae hypothesi nititur; nam modo num. II. negavimus veterem *S. Restitutam* eamdem ac Stephaniam fuisse] id inquam violens & contortum est; & omnino debent verba ita uti sonant accipi. Etenim re vera chronographi aetate, ac multo magis secutis temporibus, illa S. Restitutae ecclesia quae adjacens Stephaniae erat, a pluribus Constantino Magno quasi auctori tribuebatur: cujus erroris fontem mox inferius aperiemus.

IV. Etsi vero chronographus opinionem hanc refert, at non item sequitur: cui videtur fuisse persuasum, Constantinianam basilicam non aliam a Cathedrali fuisse, quae tunc Stephania, sive Salvatoris ecclesia vocabatur. Ita enim virum eruditum decuit, cui latere non potuit, illam Constantinianam Divino Salvatori fuisse consecratam: uti copiose alibi confirmabimus.

V. Praestructis his fundamentis, ad tempora translationis S. Restitutae, & erectae in ejus honorem ecclesiae (quam nunc extinctam desideramus) devenio: quae duo Joanne diacono longe antiquiora esse censeo. Hic enim chronographus ecclesiae S. Restitutae tamquam vetustae meminit, imo tam antiquae, ut, vetustate priscas memorias obruente, potuerit pro Constantiniana haberi. Ergo tum translatio reliquiarum, tum Martyrium earum gratia constructum pluribus ante Joannem diac. aetatibus facta fuerunt: sed quo potissimum temporis articulo, hoc opus hic labor est.

VI. Certum est autem, utrumque horum non modo a Constantino Magno fieri nequivisse, sed nec ante dimidium VII. saeculi contingere potuisse. Quade causa? Quia qui ineunte aut procedente VII. saeculo [quo Acta Virginis fuisse scripta in Commentario demonstravimus] S. Restitutae historiam elucubravit, is quum esset domo Neapolitanus (uti ex non dubiis argumentis ibidem conjecimus) tamen translationis Neapolitanae non meminit, imo suo tempore Restitutae in insula Enaria sepulcrum fulsisse miraculis praedicat.

VII. Sed & illud vice versa haud minus certum videtur, tum translationem Neapolitanam, tum erectam S. Restitutae Memoriam pluribus ante Joan. chronographum aetatibus contingere debuisse, quandoquidem ecclesiae illius & translationis antiquitas tanta erat, ut utraque falso potuerit Magno Constantino tribui.

VIII. Non aliud ergo restat, nisi ut post VII. saeculi medietatem (quam scriptoris actorum S. Restitutae aetas ex supra demonstratis haud potest excedere) & ante VIII. saeculi finem utrumque contigerit. Id vero certissime sub Constantino alio recentiore evenisse videtur: quippe cujus nomen in S. Restitutae ecclesia verisimiliter inscriptum, errori de Constantino Magno auctore ansam praebuerit necesse est. Nam in ea ecclesia *Constantini* nomen scriptum videtur; sed tamen sine διαγνωστικοῖς adjunctis: forsan quia non prosaica inscriptione, in qua non solent διακριτικὰ omitti, id nomen continebatur, sed versibus: pro more scil. aetatis illius, quae rerum monumenta non nisi malis versibus pessime inscriberet. Quum ergo sine discriminantibus cognomentis *Constantini* nomen lectitaretur; in proclivi fuit, ut ab ignara multitudine & Martyrii opus & sanctae martyris translatio non alii quam illi notissimo & celeberrimo Constantino Magno tribueretur, ad quem videlicet unum referre omnia vulgus solet.

IX. Et horum mihi quidem aliquid tum quoque suboluit, quum Commentarium de S. Restituta maturate ederem. Vel vide quae in hanc sententiam pag. 347. col. 1. conscripsimus, ubi & Acto-

rum S.Restitutae (tunc VII.ineunte saeculo recens editorum) lectione incensa fuisse Neapolitanorum studia ad S. Virginis assequenda pignora , ac re ipsa post medium VII. saeculum contigisse translationem conjeci : verum postea actis translationis ejus intermortuis , ignorasse posteritatem ipsumque adeo diligentissimum episcoporum chronographum , quo sub Episcopo , quove sub Imperatore translatio & Ecclesia facta fuerint .

X. Ita quidem olim conjeceram . At nunc circumspectis omnibus , non conjectura tenus , sed propemodum praestare audeo , tum translationem , tum ecclesiae S. Restitutae constructionem aut vergente saeculo VII. sub Constantino Constantis filio,aut desinente octavo sub Constantino filio Irenes facta fuisse . Et quidem ut sub hoc Irenes filio ea contigisse crederem , id suadebat , quod ejus tempore S. Cosmas episcopus Neapoli sedisset ; teste Joanne diac. in Chronico episc. num. XXXVIII. cujus Cosmae Depositio die XVI. Aug. in Fastis hisce marmoreis colitur. Atqui in Chronico S. Mariae de Principio fol. 5. diserte narratur Constantinus ille (qui scil. tam egregie de S. Virgine Restituta & ecclesia Neap.meritus fuit) ea omnia PER SANCTVM (1) COSMVM fecisse . Ergo quum in Chronico S. Mar. de Principio Cosmae episcopi Neapolitani mentio in ea narratione fiat;simul etiam non alium Constantinum , quam filium Leonis & Irenes , intelligi par erit , quippe cujus tempore Neapoli Cosmas sedit. Haec de Constantino Leonis & Irenes filio .

XI. Verum multo proclivior in Constantinum illum , qui post medietatem VII. saeculi Constanti patri successit , statim postea fui : quem confidentissime ajo, & S. Restitutae reliquias transtulisse , & ad eas recondendas aedificasse ecclesiam Stephaniae adjacentem . Id vero duabus de causis: quarum prior illa est quod utrumque horum factorum ab aetate Joannis diaconi quam maxime fieri potest, est removendum . Quid ita ? quia Joannis aetate(qui nono exeunte saeculo, aut vix ineunte decimo Chronicon suum scripsit) tantum temporis ab exstructione Martyrii S. Restitutae intercesserat , ut potuerit aedes illa ad Magnum Constantinum auctorem referri . *Asserentibus*, inquit , *multis quod* (ecclesia quam Magnus Constantinus fecit) *Sancta Restituta* (vetus scil.,quae Stephaniae adjacebat) *fuisset*. Quocirca multo est verisimilius , eam a Constantis filio (qui ducentis triginta annis nostro Chronographo antiquior fuit) quam ab Irenes filio factam , qui centum & decem annis scriptioni chronici illius antecessit. Altera causa illa est, quod utrumque factum ei Constantino est tribuendum , quem constet , aut saltem verisimillimum sit venisse Neapolim : quod tamen de antiquiore Constantino Constantis filio praestari potest , de altero non item . Quod proderit latius aliquanto diducere .

XII. Nam si Chronico S. Mariae (2) de Principio , si Mrologio (3) Romano , si ceteris omnibus Neapolitanis scripto-

(1) Quae beneficia a posteriore aliquo Constantino in Neapolitanam Ecclesiam profecta fuerunt , ea quum postea Magno Constantino accepta referrentur ; hinc etiam *Cosmas* ille Episcopus Neap. [qui tempore posterioris Constantini sedebat] in *Zosimum* (prima tantum consona mutata) forsitan transiit . Nam quia quarto medio saeculo quidam Zosimus Arianus S.Maximi Mart.sedem occupavit [qui tamen postea resipuit] hinc ab Joanne diac. *Cosmus* posterioris Constantini aequalis cum *Zosimo* illo antiquo confusus fuit : quem deinde Magno Constantino coaetaneum facere placuit,etsi ejus episcopatus viginti amplius annis a Magni obitu disjungebatur . Verum de his in Dissertatione de SS. Neapolitanae Ecclesiae Episcopis plura , Deo dante .

(2) In Chronico S. Mariae de Principio fol.5. a tergo in fine : *Quam quidem Cappellam sancte Restitute* construi etiam & edificari fecit *dictus imperator* [& quidem Neapoli praesens , ut in toto narrationis contextu saepius inculcatur] *qui ex devotione , quam habebat ad dictam beatam virginem Restitutam*

ſcriptoribus, qui ante hos ducentos annos ſcripſerunt, fidem adjungimus; Conſtantinus ille, qui & Translationis, & ſimul Eccleſiae S. Reſtitutae auctor fuit (quorum utrumque imperite in magnum Conſtantinum, quippe celebriorem, tranſcribitur) ſimul Neapolim veniſſe narratur, & ibi praeſens utrumq. illud, de quo diximus, ac ſimul tot alia in Eccleſiam Neapolitanam ornamenta contuliſſe. Atqui Conſtantinus Magnus numquam Neapolim venit; neque ex Conſtantinis alius in haec loca appuliſſe proditur, quam ille Conſtantis filius, uti mox oſtendam: qui quidem eo veniſſe tempore traditur, quo unice (uti ſup. num. VIII. innuebam) & corpus Virginis translatum, & ei Martyrium erectum fuiſſe neceſſe eſt. Tot igitur indiciis in unum concurrentibus, poſſumus hoc jam pro explorato hiſtoriae Neapolitanae capite noſtris hominibus tradere, Conſtantinum illum Conſtantis filium & de S. Virgine Reſtituta, & de tota Eccleſia Neapolitana, ab ſe plurimis beneficiis ornata, fuiſſe praeclariſſime meritum.

XIII. Sed antequam ab his diſcedo, de Neapolitano hujus Principis adventu eſt aliquid profecto dicendum. Hunc equidem ſcio ad ulciſcendam genitoris necem, & invaſorem imperii Mezezium ſuperandũ cũ ingenti exercitu in Siciliam trajeciſſe: quo facto, in Occidentis partibus tamdiu ſubſtitiſſe, donec Occidentalium rerum ſtatum componeret. Teſtatur hoc auctor ſatis luculentus Theophanes, ubi narrata Conſtantis Imp. in balneo Syracuſano internecionem, haec ſubjicit: *Conſtantinus audita patris ſui morte, cum ingenti claſſe ad Siciliam appellens, comprehenſum Mizizium una cum patris interfectoribus ulciſcitur. Tum vero* (καταστήσας τὰ ἑσπέρια, ἐπὶ τὴν ΚΠολιν ὥρμησεν) *rebus in Occidente compoſitis, CPolim repetit*. Sicubi autem tranſigenda tunc negotia Auguſto fuere, in Sicilia certe, in Brutiorum & Apuliae maritimis, ac potiſſimum Neapoli, urbium imperialium tum celeberrima, haud dubie fuerunt: nam pleraque alia regionum harum ſat ſcimus tunc temporis occupata a Langobardis fuiſſe; quos etiam ſcimus Neapoli in ſuam poteſtatem redigendae aſſiduos incubaſſe. An igitur dubitare poſſumus, hunc Imperatorem moram traxiſſe Neapoli, ibique per otium res imperii (καταστῆσαι) *compoſuiſſe*, ac praecaviſſe, nequid in ea Langobardi tunc nimium metuendi, turbarent? Qui princeps quum ſatis ad pietatem pronus eſſet; is omnino debuit [quippe temporibus etiam, uti dicebam, ſatis id intento digito demonſtrantibus] & S. Reſtitutae corpus transferre Neapolim, & ei eccleſiam, quae olim fuit, exſtruere.

CHRONOTAXIS
Rerum S. Reſtitutae.

Ex dictis igitur tum in Commentario, tum in ſuperiore Palinodia poterunt S. Reſtitutae geſta in hunc ordinem digeri. I. Ejus martyrium in Africa ſub Numeriano Aug. exeunte III. ſaeculo contigit. II. Ejuſdem corpus ex navicula (cui impoſitum ad comburendum dicitur) reductum videtur in Africam, & una cum cruoris vaſculo (quod vaſculum ſatis ſcimus in ultima inventione ante hos CL. annos repertum fuiſſe) in Africa ſepultum, non vero in Enariam Angeli ductu appulſum. III. Deinde per Vandalica tempora ex Africa in inſulam Enariam illatum videtur, ac ſimul geſta Martyrii ſincera, quae in Africa ſcripta fuerant, conquiſita. IV. Eorum lectione incenſus aliquis ineunte VII. ſaeculo fuit, ut eam hiſtoriam

tam ... dictam cappellam donavit capitulo Eccleſiae Neapolitanae &c.

(3) Mrologium Romanum ad XVII. Maii: *Et in ejus* (Reſtitutae) *honorem Conſtantinus Magnus baſilicam poſtea Neapoli erigendam curavit*. Nihil heic quidem de adventu Neapolim Conſtantini dicitur. Sed ea tota adnuntiatio ad Neapolitanorum vulgatas narrationes, a quibus manavit, eſt referenda in quibus Caeſar Neapoli praeſens ubique ſiſtitur.

riam miris prorsus additamentis atque ornamentis rhetoricis auctam interpolaret. V. Post ejusdem VII. saeculi medietatem[ac facile sub Constantino Constantis filio] Restitutae reliquiae ex Enaria Neapolim translatae fuerunt, eique ecclesia adjacens Stephaniae erecta fuit, in qua Restitutae pignora condita fuerunt. VI. Ineunte XIV.saec. quum post novam hanc cathedralem extructam vetus S. Restitutae Martyrium evertendum fuisset; ejusdem Reliquiae sub primario Stephaniae veteris Altari repositae fuerunt, eaq. de causa vetus Stephania hodiernum *S. Restitutae* nomen sibi adscivit. VII. Postremo exeunte XVI. saeculo Card. Alphonsus Gesualdus, quum id Altare ex imo basilicae in citeriorem locum a Capitulo retraheretur, Sanctae Martyris ossa cum vasculo sanguinis recognovit, eaque item sub Ara maxima una cum S. Joanne Scriba decenter reposuit.

PAG. 338. *ad finem Adnot.* 111. *adde.* Is tamen hymnus, sive potius antiphona legitur in pleniore S. Restitutae officio, quod in Chronico S. M. de Principio Capituli Neapolitani exstat.

PAG. 341. *ad finem Adnot.* 114. *adde.* Verum alibi postea (sed locum non memini) certo certius ostendi, S. Procopii martyrium cum adjecta castri Lucullani eversione, & S. Severini Translationem primitus quidem ab Jo: diacono satis eleganter pro illius saeculi captu scripta fuisse, at sero tandem ultimis saeculis, postque renatas litteras (quando ea humaniora studia Neapoli mire sub ultimis regibus Aragonensibus florebant) tunc temporis inquam id scriptum[ac facile a Benedictino aliquo S. Severini Neapolitani monacho, ex quo monasterio erutum id monumentum fuit] paucis admodum in meliora mutatis, fuisse scitissime interpolatum.

PAG. 356. *Adnot.* 131. *v.* 10. *pro numericis notis* 37. *repone* 27.

PAG. 373. *quae toto tertio capite Diatribae tertiae, & in Appendice pag.* 302. *& seq. scripsimus, ea quod sub operarum festinatione fusa fuissent; tum justo longiora, tum etiam spinosiora quam vellem evasisse doleo. Quae quidem si fuisset otium, in hac recensione ita refinxissem, ut non multa, sed clariora tantum argumenta proponerem, quibus tam Julii Bassi proconsulatus, quam S. Patricii passio in annum Christi centesimum conjiciendus demonstraretur: cetera vero partim in totum omitterem, partim in sepositas adnotationes compellerem. Interim lector, qui sua haec interesse minime judicaverit, ea quae dictis locis edita fuere, cautus transiliet, si videbitur.*

PAG. 396. *post finem Adnot.*225. *adde.* Porro apud Graecos Ecclesiae scriptores nihil reperio frequentius quam Κρίσιν pro *Geenna*. Hoc ex N. T. manavit, in quo κρίνω pro κατακρίνω & κρῖμα pro κατάκριμα usurpatur. Itaq. etiam κρίνω pro κολάζω (*punio*) & κρίσις pro punitione ignis aeterni adhiberi coeperunt. Verbum κρίνω hac notione usurpavit S. Clemens in I. ad Cor. cap. XI. de sodomitica clade agens: *Quum tota*, inquit, *regio circumjacens* (κριθείσης διὰ πυρὸς καὶ θείου) *igne & sulphure punita fuisset*. Sed & κρίσεως vocabulum pro igne aeterno apud antiquissimos aeque ac recentiores ecclesiae scriptores legisse memini: quorum loca nunc ad manus non habeo, nisi hunc forte oblatum Alexandri monachi in encomio S. Barnabae locum (in Junii Bollandiani die XI. p. 445. num. 27.) ubi sic Apostolus loquitur: οὐδὲ ἡ κρίσις τέλος ἔχει ... κολάζουσα τοὺς ἁμαρτωλούς. *Nec judicium* (h. e. gehenna) *finem habet ... peccatores excrucians*. Quam κρίσιν mox ibidem γέενναν τὴν ἀθάνατον nuncupat. Sed & ex Latinis quater *Judicium* eadem notione Tertullianus, semel S. Pionii M. Acta, semel Passio S. Philippi item Martyris usurparunt: quorum loca §.seq. reperies.

PAG. 398. *col.* 2. *post versum* 5. *adde.* Videtur porro Cedrenus eam Patricii concionem ex Georgio Hamartolo decerpsisse, ex quo [quippe ducentis annis anti-

antiquiore] plura in rem suam vertisse idem Cedrenus proditur. Vtinam Hamartoli hujus chronicon [quod in plurib. bibliothecis latet, ad annum usq. 842. quo vivebat, perductum] in lucem protrahatur. Sane Michael *Le Quien* in Oriente Christiano, in Serie episcopor. Prusae de S. Patricio nostro (quem tamen male posteriorem S. Alexandro quodam incertae aetatis facit) haec adtexit: *In Codice Coisliniano* 305. *chronicon habetur Georgii Hamartoli in quo fol.* 200. *refertur*, *PATRICII EPISC. PRVSAE RESPONSIO AD IVDICEM*. Nec dubito quin eadem sit illa de ignibus subterraneis dissertatio, quam jam a pluribus relatam animadvertimus: adeo oratio illa apud omnem antiquitatem admirationi fuit.

PAG. 409. *col.* 2. *post versum* 1. *adde*. In Chonico Ms. S. Mariae de Principio titulus orationis hujus *Divi* praenomen Constantino tribuit, qui sic concipitur: *Pro DIVO Imperatore Romano Constantino*. Sic etiam in oratione ipsa: *Miserere animae famuli tui DIVI Imperatoris Romani Constantini*, & cetera uti Chioccarellus affert. Ea porro oratio simul cum ceteris in Commemoratione omnium fidelium defunctorum dici jubetur in quadam processione, quae circumitâ nova hodierna Cathedrali, ac deinde S. Restituta, ac diversis in locis orationibus convenientibus recitatis, demum in Chorum S. Restitutae desinebat, ibique ultima illa Oratio pro Constantino pronuntiabatur.

PAG. 410. *ad finem diei XXI. Maii dicta, sic refingenda sunt.* I. Basilicam, quam Neapoli Constantinus aedificavit, ab eodem principe Divino SALVATORI dicatam fuisse, ex chronico Vulturnensi alibi proferendo constat. Proinde quando Stephanus sexto ineunte saeculo ecclesiam AD NOMEN SALVATORIS (quae ex nomine auctoris *Stephania* dici coepit) construxisse proditur, non nisi illā ipsam Constantinianam refecit & amplificavit. II. Haec vero Stephania ibi fuit ubi nunc hodierna Basilica *S. Restitutae* est. III. At fuit olim quaedam antiquior S. Restitutae ecclesia (quippe quam auctor vitae longioris S. Athanasii a Stephania distinguit) tunc facta quando S. Restitutae reliquiae VII. saeculo ex Enaria Neapolim in hanc tunc temporis constructam S. Restitutae ecclesiam illatae fuerunt. Haec vero videtur sub Constantino Constantis filio facta, & ideo postea proclivi errore Constantino Magno fuisse tributa. IV. Haec eadem vetus S. Restitutae ecclesia (olim in postico Capellae S. Mariae de Principio posita) quum ineunte XIV. saeculo concidisset; sanctae virginis Restitutae reliquiae in eam veterem cathedralem invectae fuerunt, quae jam tum ob eam causam *Sancta Restituta* vocari coepit. Haec eadem ac plura tum supra in Additamentis ad XVI. Maii enucleavimus, tum alibi copiosius declarabimus.

PAG. 412. *col.* 2. *v. ultimo post* arcessit *sic adde*. Quandoquidem vero Basiliani Menologii mentionem feci; ex eo non gravabor ex die XXII. Maii S. Basilisci elogium huc afferre.

Certamen S. Martyris Basilisci. Basiliscus Christi martyr imperante Maximiano fuit ex regione Armeniacorum consobrinus S. mart. Theodori. Qui quum antea cum SS. Eutropio & Cleonico S. Theodori militibus decertasset, illis pro Christo consummatis, in carcere derelictus fuit. Quumque Deum rogaret, ut certaminis cursum perficeret, monitus ab eo fuit ut cognatis vale diceret; ita futurum, ut postea Comanis martyrium subiret. Itaque suis vale dicto, ab Agrippa praeside comprehensus, ac vinctus Comana adducitur. Quo in itinere patratis miraculis, plures ad Christi fidem adduxit: mox Comana perveniens, sua oratione igne de caelo demisso, Apollinis fanum ipsumque simulacrum incendit. Qua de causa obtruncatus, & in flumen projectus fuit. Mox reliquiae inde extractae, Comanis reconditae fuerunt.

PAG. 425. *col.* 2. *v.* 6. *quae de tribus Symeonibus Cangio me debere dixi, ea sive aliunde quam ex eo hauseram; aut si ex*

Can-

Cangio, aliunde certe quam ex indice ſcriptorum, quem Gloſſario Gr. ſubjecit: ubi tantum Symeonem Logothetam, & Symeonem Sethi recenſet.

PAG. 426. *ad finem Adnot.*271. *ſic addes.* Poſtquam ſuperiorem Adnotationem de Symeone Magiſtro edideram, comparavi mihi librum rariorem, editum *Baſileae apud Mich. Iſingrinium anno MDXXXVIII.* qui liber Franciſci Galluppi, viri ſupra fidem eruditiſſimi mihiq. amiciſſimi fuerat: qui quantum unquam Graece, quantum Latine ſcriptum fuit, id totum non tantum accuratiſſime legerat, ſed & memoria (nec raro αὐτολεξεί) retinebat; qui ante hos paucos annos extinctus, ingens ſui deſiderium reliquit. Hujus vero libri index ejuſmodi eſt: *Συμεῶνος Μαγίστρου Ἀντιοχείας τοῦ Σηθὴ Σύνταγμα κατὰ στοιχεῖον περὶ τροφῶν δυνάμεων.* Quem titulum Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis (cujus ad libri calcem exſtat integra totius libri interpretatio) ſic in fronte libri interpretatur: *Symeonis Sethi* (ſed forſitan is Σηθὶ patrem habuit, ac vertendum fuerit: *Symeonis Sethi filii*) *Syntagma per litterarum ordinem, de cibariorum facultate*. Profuit integrum afferre titulum, ut I. ex argumenti ſimilitudine conjicias, videri eumdem fuiſſe ac illum, cujus pag. 425. col. 2. v.10. dixi in Biblioth. Reg. exſtare opus Ms. *De animalium virtute*.II. Hic porro qui *de ciborum facultatibus* inſcribitur, Imp. Mich. Ducae (qui vergente XI. ſaeculo imperavit) dicatus fuit. III. Non eſt vero mirandum ſi vita S. Symeonis Stylitae Junioris alibi Nicephoro Magiſtro Antiochiae, alibi Symeoni item Magiſtro Antiochiae tribuatur; quandoquidem id non inſolens in ejus aetatis ſcriptis eſt, ut unum idemq. opus alibi aliis vindicetur. Hunc ipſum *de ciborum facultatibus* librum monet Cangius (in Auctor. indice, quem ſubjecit Graeco Gloſſario) in Cod. Reg. 945. Pſello tribui. Poſtremo ſero animadverti, potuiſſe totam illam Adnotationem 271. in multo pauciora contrahi.

ADDITAMENTA MENSIS IVNII.

PAG. 484. *col.* 2. *v.*10. *poſt* opus *adde.* Id tantum non omittam, quod inter vetera monaſteria, quorum ſyllabum Tutinus (inter Mſs. biblioth. Brancatianae) ex veterib. chartis collegit, memoratur *Monaſterium S. Eraſmi ad Lampada regionis Furcillae*. Forſitan enim in ea vicinia ludus *lampadicus* (qui Neapoli celeberrimus fuit) olim exerceri ſolitus, loco nomen indidit.

PAG. 491. *col.*2. §. *ſtatim, in fine adde.* Porro etſi illud *Primo pullorum cantu* de initio gallicinii poſterioris & celebrioris intellectum defendi poteſt; tamen ipſe me revoco, probabilius putans, de priore gallicinio; quod in noctem mediam incidit, debere intelligi. Moveor autem exemplo Probi praeſidis, qui (in actis S. Irenaei Sirmienſis apud Ruinartum ſect.4.) MEDIA NOCTE pro tribunali ad interrogandum Irenaeum ſedit. Vide ibi dicta.

PAG. 496. ad finem Adnot.111. *adde.* Imo *confeſſio* haec peccatorum eſt: eaque ſi minus praecepta, laudabilis tamen: quod non ſolum ex producto Actorum loco (in quem plura alibi contulimus) ſed & ex diſerto Tertulliani loco demonſtratur. Septimii locus eſt lib. de Baptiſmo initio extremi capitis. *Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum CONFESSIONE OMNIVM RETRO DELICTORVM, ut exponant etiam baptiſmum Joannis: Tinguebantur, inquit, confitentes delicta ſua. Nobis gratulandum eſt, ſi non publice confitemur iniquitates aut turpitudines noſtras.* Opponit enim confeſſioni publicae a tinctis per Joannem factae confeſſionem privatam aevo Septimii uſurpatam.

PAG. 501. *col.* 2. *v.* 16. *poſt* concurrunt *adde.* Pulcherrima exſtat Faucium ſtricte dictarum definitio apud Lactantium in De opificio cap. XI. his verbis: *In extremis palati regionibus, ubi ſe COLLES FAVCIUM ſpectantes, uvam extollere incipiunt in tumorem.*

PAG.

PAG. 518. §. Hac *num. IV. v.* 3. *post* insignitus, *adde*: justi & ἀξιολόγυ oppidi effigiem prae se ferens.

PAG. 524. *in fine Adnot.* 163. *adde*: sive *Fugitarent*. Nisi vero *Fugarent* neutrius significationis sit.

PAG. 529. in toto S. Nicasii commentario nimia diligentia (praesertim molesta Adnotationum λεπτολογία) peccatum a me fuisse nollem.

PAG. 540. *col.* 1. *v.* 6. *pro* continuas *scribe* continuans.

PAG. 552. *col.* 2. *v.* 16. *post* ὑπάτιον *adde intra parenthesin* (sive potius ὑπατικὸν).

PAG. 583. *in Adnot. col.* 2. *v.* 6. *pro* Atne modum *cor.* At nemo dum.

PAG. 587. *col.* 1. *ad finem v.* 13. Memini notari alicubi hunc morem ab Eusebio, quo Pastorum *in exsilio consummatorum reliquiae* in suas civitates *revocarentur*. Ejus certe verba excerpta apud me habeo, sed sine loci designatione, quae sunt ejusmodi: τῶν δὲ καὶ τελειωθέντων ἐν ταῖς ἐξορίαις ἀνεκομίσθη τὰ λείψανα·

PAG. 590. *col.* 2. *post v.* 2. *adde*. Tamen Jo: Diaconi *Zosimus*, Constantino & Sylvestro aequalis potuit esse ille *S. Cosmas*, cujus meminit Chronicon S. Mariae de Principio, & cujus festum in hoc Kalendario marmoreo forsitan agitur: de quo plenius in Differtat. de Ecclesiae Neap. episcopis inter Sanctos relatis.

PAG. 559. *& sequ. Excursioni ferme toti quae* De Volusianis *inscribitur*, *festinatio nimium importuna fuit: qua urgente, & justo longior, & salebrosior, & conjecturis indulgentior evasit. At prae ceteris asperiora sunt, quae a pag.602. ad finem usque procedunt. Sed exsistet forsitan aliquis, cui* ὕλη *ista spinosior usui aliquando futura sit. Haberem nunc aliquot alia quae de Volusianis & Albinis adnumerarem. Atqui equidem tantum nunc a verbo addendo absum, ut universa jam illa edita Excursione supersederi maluissem.*

PAG. 616. *col.*2. *post v.*5. *adde*. Postremo ex iis quae in *Dissert. historica de Cathedrali Neap. semper unica* Parte II. cap. 2. sect. 2. §. 2. de Calepodio & Fortunato edisseruimus, nonnulla heic refingi poterunt. Ibi enim duos simul fuisse Neapoli episcopos [etsi unum alteri subjectum] prorsus negavimus, maxime cum IV. saeculo nihil Graeci oris Neapoli superfuerit. Deinde praeter rationem, quam heic proxime num. III. inivimus, alteram satis probabilem proposuimus, nim. *Calepodium & Fortunatum* duo fuisse unius episcopi nomina, quorum unum Sardicensis subscriptio, alterum Arianorum Decretum usurpaverit: at Joannem diac. singula tantũ suis episcopis nomina [usitatiora scil. sibique nota] tribuisse.

PAG. 621. *col.* 1. *dele totum versum quintum*.

PAG. 633. *col.* 1. *v. penult. post* Noster *adde intra parenthesin* (qui scil. ex VIII. viris ei muneri admotis praecipuus fuit).

PAG. 667. *col.* 2. *v.*22. *pro notis numericis* 377. *substitue notas* 407.

PAG. 674. *ad finem Adnot.* 424. *adde*. Quod de transvectione per virgas adhuc dubitans scripsi, id clarius constat ex actis SS. Perpetuae & Felic. cap. 18. *Ad hoc populus exasperatus, flagellis eos vexari PRO ORDINE VENATORVM postulavit*. Ad quem locum videantur adnotata ab Holstenio; qui duo loca Tertulliani protulit, unum ex lib. ad Mart. his verbis: *Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt*: alterum vero locum ex lib. I. ad Nat. *Si flagris mulier insultavit, hoc quoq. proxime inter venatorios ordine transcurso remensus est*. Hujusmodi transvectiones Eusebius V. 1. τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων, h.e. *flagrorum transvectiones* vocavit. Postremo Damasus carm. 5. in S. Agatham: *Laetior inde magisq. flagrans Cuncta flagella cucurrit ovans*. Quibus testimoniis hic locus actorum SS. Marci & Marcelliani, quem illustravimus, jungendus est.

PAG. 677. *col.* 1. §. Adhaec *v.* 4. *illud NATVRAM NON POENAM copiose postea ex paribus Ambrosii locis exposuimus ad XXIX. Junii Adnot.* 671. *Confer, si curae sit.*

PAG. 679. *col.* 1. *post vers.* 15. *adde*. Quod elogium aevo non modo hujus scriptoris, sed & S. Sebastiani longe antiquius esse, Tertullianus initio lib. *de pudicitia* (quem jam Montanista conscripsit prope ab initio tertii saeculi) testatur, cap. 1. scribens. *Audio etiam edictum esse propositum & quidem peremptorium, Pontifex scil. Maximus, quod est EPISCOPUS EPISCOPORUM, edicit: Ego & moechiae & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Unde *Episcopum episcoporum* revera tunc Romanae urbis episcopum inscriptum fuisse, satis constat; etsi Tertullianus tituli ambitionem traducit, atque εἰρωνευόμενος addit, *Pontifex scil. Maximus*; hoc enim, non vero illud *Episcopus Episcopor.* ad malignum Tertulliani additamentum pertinere hic locus Auctor. S. Sebastiani satis ostendet. Ergo hic sensus verborum Tertulliani est: Pontifex scil. maximus (quo redit titulus *Episcopus Episcoporum*, quem sibi arrogat) edicit. Etiam Rogaltius, qui tamen locum hunc Actorum S. Sebastiani non viderat, in hoc consentit, nim. dumtaxat illud *Pontifex Max.* ad Septimii additamentum pertinere.

PAG. 692. *col.* 1. §. Pluribus *v. ult. adde*. Sed de *Augmento jejunii* exstat longe antiquior Chrysostomi locus in Hom. in Magnam hebdomadam tom. V. edit. Paris. Montfauc. pag. 525. E. ubi Magnâ hebdomadâ decurrente Christianos bonorum operum studium intendere ostendit. Καὶ οἱ μὲν τὴν νηστείαν αὔξουσιν ... *Alii jejunium AUGENT, alii vigilias sacras* &c. Nam augmentum illud jejunii majoris hebdomadis peculiare erat. Non tantum autem ὑπερθέσει, sed & xerophagiis augebatur abstinentia.

PAG. 694. *Adnot.* 451. *col.* 2. *post vers.* 2. *adde.* Verum quid aliunde exempla corrogamus, quum quid Ambrosius *Reliquias* vocare soleat, ipse alibi suimet interpres exponat? Qui lib. de Tobia c. 1. num. 4. scribit: *Nuntiatis insepulti corporis RELIQUIIS, convivium* (Tobias) *deferebat.* Eod. lib. cap. 10. narrata foeneratoris [cadaver debitoris sui ad sepulturam efferri vetantis] duritia, & quid S. Episcopus ad retundendam avarissimi hominis saevitiam fieri jussisset; *Rogat* [foenerator ille] *ut ad tumuli locum RELIQUIAE* (h. e. integrum debitoris cadaver) *deferantur*, uti num. 37. pulchre exponitur. Idem Mediolanensis Epist. posteriore ad Syagrium num. 10. *Impositas jumento reliquias* [i. e. cadaver uxoris] *domum pertulit* Levites ille, de quo Judicum cap. XIX.

PAG. 707. *col.* 1. *versu quintodecimo ante columnae finem, post* non praesto *adde*. Multo minus de Exsuperantio Episc. Vercellensi, & S. Eusebii successore, cujus antea fuerat *Minister* (h. e. diaconus) *in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore*, [uti loquitur ille ad calcem to. 2. Ambrosiani rejectus Sermo LVI. num. 2.] cogitare decuerit. Nam ut de locorum diversitate taceam; quî fieri potuit, ut qui Mediolanensis conciliabuli tempore [i. e. anno 355.] diaconus Eusebii fuisset, usque ad annum 431. [qui fuit Paulini ultimus] vitam produxerit?

PAG. 708. *post vers.* 18. *addes*: non sine *pacis hereditariae* vocabulo.

PAG. 712. *ADDITAMENTUM*
Ad finem diei XXII. Junii.
De Campaniae provinciae consularitate aliquando a S. Paulino administrata, & inscriptione Puteolana.

Paulinus ipse se aliquando Campaniae fuisse rectorem indicat & ex ea incruentas se retulisse secures gratulatur. Sic enim Natali XIII. [qui unus ex iis est quos primus ex Mss. erutos Muratorius tom. 1. Anecd. edidit] v. 321. S. Felicem alloquitur:

Te duce fascigerum gessi primaevus honorem:
Teque meam moderante manum, servante salutem,
Purus ab humani (1) *sanguis discrimine mansi.*

Tunc

(1) Videntur luxata verba fuisse, quae Paulinus sic collocaverat, *Sanguinis humani purus discrimine mansi*. Nisi vero *Sanguis* casu patrio ἀρχαϊκῶς usurpari licuerit; aut nisi syncopes usum heic sibi permiserit.

Tunc etiam primae . . . . . libamina barbae
Ante tuum (2) *solium*, *quasi te carpente totondi*:
Jam tunc praemisso per honorem (3) *pignore sedis*,
Campanis metanda (4) *locis habitacula fixi*,
Te fundante tui ventura cubilia servi.

Deinde narratis aliquot in illa ipsa dignitate in decus S. Felicis & Ecclesiae Nolanae gestis, sic v.342. pergit:

Ergo ubi bis (5) *terno ditionis fasce levatus*,
Deposui nulla maculatam caede securim,
Te revocante soli quondam genitalis ad oram,
Sollicitae matri sum redditus.

Consularis porro Campaniae dignitatem iniisse Paulinum anno 379.non infeliciter conjicit Muratorius Differt. X. Et haec quidem de administrata a Paulino Campania ab ipso Paulino didiceramus.

Laetabar autem quod in ejus ἡγεμονίας [*administrationis*] lapidem litteratum testem incidere visus mihi eram: quo ex lapide novum etiam S. Episcopo nomen vindicabam. Nam in Nic.Toppii Biblioth. Neap. pag. 256. antiqua refertur inscriptio reperta Puteolis,& inde in Ducis Caivani translata domum, quae quidem quo tempore ea Toppius scribebat, Neapoli in Plagiae, uti vocant, regione construebatur. Quid eo lapide postea factum fuerit, nescire se fatetur Toppius. Mihi quoque ante hos annos XV. cujusdam inscriptionis *Paulino consulari Campaniae* positae [cui ni fallor etiam Pontio nomen erat, & aliud praeterea nomen sive *Proserii* sive potius *Proterii*, sive aliud: nec enim nunc de re tamdiu praeterita praestare possum] a V. Cl. Scipione de Christophoro allatum fuit, ac forsan idem ac Toppianum, aut saltem eisdem prorsus nominibus praeditum. Sed id nunc frustra quaesivi. Quam vero epigraphen dixi a Toppio exceptam, ea sic habet.

PONTIO (6) PROSERIO
PAVLINO. IVNIOR. V. C.
CONS. CAMP.
AB ORIGINE (7) PATRONO
PROVISORI. CIVITATIS
RESTAVRATORI. OPERVM
PVBLICORVM
JVDICI INTEGERRIMO
OB MERITA PATRIS AC SVA
ORDO SPLENDIDISSIMVS

 ET

(2) S. Felicem alloquitur. *Ante tuum solium* h. e. ante tuae Confessionis sive Martyrii limen. Ipse Paulinus Nat. IX. scripserat: *Fulgentis solii pro limine Felix*. Sidonius lib. IV. ep.18. *Sic & dilecti solium Felicis honorans*. Hoc idem Graecis σολέα aut σωλέα: quae celeberrima templi Sophiani pars erat. Italis *Soglia* vocatur: quae videntur a Latinorum vocabulo *Solium* haud dubie deducta.

(3) *Jam tunc*, inquit, *per honorem* [consularitatis Campaniae] *praemisso pignore* (Nolanae episcopalis) *sedis*.

(4) Rectoribus provinciarum metatores praeibant, qui sedes venturo praesidi metarentur. Et quidem pluribus in provinciis liberum rectoribus erat, ubicumque collibitum fuisset, demorari. Cereroqui si metropoleos habenda ratio fuerat; Capuae subsistere debuisset: quam tunc etiam Campaniae fuisse metropolim, tritissimus S. Athanasii locus testatur.

(5) Tritum est, consulibus bis senos, provinciarum rectoribus bis ternos fasces fuisse praelatos. Nam quod Muratorius in Dissert. ad hunc locum de in sexennium prorogato imperio conjicit, id nihili est.

(6) In altera hujusmet Paulini Consularis inscriptione [nisi vero ejusdem prorsus inscriptionis exemplum alterum fuerit] quam me amisisse supra dolebam, si probe memini, PROTERIO legebatur. Et certe aut utrobique cum P, aut utrobique cum S scribi id nomen poterat; utrumque enim in marmoribus reperio: nisi quod *Proterii* vox multo usitatior. At gens PROSERIA in Brixiano marmore apud Grut. pag. 659. 5. legitur; & gens PROSIA [ex qua *Proseria* inflectitur] in Grutero semel, in Muratoriano Thes. item semel obvia cernitur.

(7) Postquam colonia quaevis aut municipium sibi Romanum aliquem senatorem in patronum adsciverat; is patronatus ad filios ac nepotes primi illius propagabatur. Quo fit ut nihil frequentius eo, quod heic legitur, in marmoribus scalptum reperiatur. Quaenam iis temporibus mutua essent patronorum atque clientium officia, jampridem alii notare occuparunt.

ET HONESTISSIMVS
POPVLVS (8) PVTEOLANVS
STATVAM P. P.

Haec porro inscriptio quominus ad S. Pontium Meropium Paulinum, cujus nunc terimus opera, referatur, nihil aliud impedit, quam quod ab ea *Meropii* nomen [quod aliquoties in S. Praesulis Mss. legitur] exsulet; ejusque loco *Proserii* sive *Proterii* nomen substituatur. Verum eo tempore plurima geri nomina mos erat; raro tamen omnia exprimebantur. Forsitan igitur hic Noster *Pontius Meropius Proserius Paulinus* vocabatur: & tamen a librorum inscriptionibus *Proserii*, a lapidibus hisce *Meropii* nomen aberat. Itaque lapidis hujus indicio novum *Proserii* aut *Proterii* nomen S. Episcopo arrogasse videbamur.

Sed re melius considerata, Paulinus hic Campaniae consularis, de quo lapis Puteolanus loquitur, ab illo altero item consulari Campaniae [cujus nunc praeclara gesta & scripta miramur] omnino videtur distinguendus. Quid ita? Quia in Puteolani marmoris versu altero IVNIORI legitur, per quod hic consularis ab altero ejusdem familiae consulari seniore [h. e. celeberrimo S. Paulino] discriminatur. Ac scimus S. Paulino fuisse fratrem, qui nescio quo casu occisus, filium ex se reliquit. Quid igitur impedit, quin hic S. Paulini fratris filius fuerit ille Proserius Paulinus Consularis, cui epigramma Puteolanum inscriptum fuit?

Id si admittimus; tum hunc eumdem [exemplo scil. patrui sui S. Paulini senioris] abdicatis saecularium dignitatum infulis, Christo se artius devinxisse, & inter ecclesiae ministros allectum, mox patruo suo in episcopatu successisse, minime dubitaverim. Sane quidem celeberrimo S. Paulino cognominem alterum proxime fuisse substitutum, in repetita Vghelli editione adnotatum fuit. Vbi & illud conjecturâ tenus additur, ad hunc proximum S. Paulini successorem cognominem pertinere titulum, qui vulgo ad Paulinum III. [qui inter S. Felicem Juniorem & Leonem sedit] referri solet. Id epigramma hunc in modum in Veneta Vghelli editione habet:

DEP. S. PAVLINI IVNIORIS EP
IIII. ID. SEPTB. FL. DIOSCORO
VIC (cor. V. C.) CONS

Sed praestat arcae hujus inscriptionem ex V. Cl. Franc. Blanchini [qui suo in itinere ex ipso sarcophago exceperat] praefatione ad Anastasium, castigatiorem cognoscere in hunc modum:

DP. EP. PAVLINI IVNIORIS D III ID SEPTE
FL. DIOSMORO (sic) VC CONS

Dioscori (aliter forsan *Diosmori*) consulatus [quem cum Eudoxio gessit, sed plerumque solus Dioscorus omisso collega notatur] in annum 442. incidit: qui huic Paulino juniori θανάσιμος fuit, non vero illi tertio, qui diu postea saeculo VI. sedit. Accedit & *Junioris* nomenclatio, quae nonnisi de eo qui vicinior seniori fuit, usurpari debuit.

Ergo Paulinus Puteolani marmoris, & is qui in titulo modo exposito memoratur, unus idemque est; quia uterque IVNIORIS agnomento ab illo nobilissimo Paulino seniore discriminatur. Ac facile adducor, ut credam, hunc Juniorem, quem lapis Puteolanus itemque Nolanus memorant, celeberrimi Senioris fuisse, uti dixi, fratris filium: qui Junior prius Campaniae consularis, postmodum clero Nolano adscriptus, patruo in sede Nolana successerit. Huic eidem voluntariam captivitatem videri tribuendam post alios conjeceram.

Postremo quod in Puteolano epigrammate OB MERITA PATRIS AC SVA statua ei posita dicitur; ex eo non necesse est arguere, etiam hujus patrem fuisse olim Campaniae consularem, in eaque ἡγεμονίᾳ de Puteolis optime meritum: non necesse id inquam, quia patronatu civi-

(8) Ex eo quod Puteolani Paulino huic statuam decrevissent, ridicule Toppius eum pro cive Puteolano habuit. Sed & supra v. 3. illud CONS. CAMP. bonus Toppius *Consuli Campano* interpretatus fuerat. Sic erant tunc homines scilicet.

civitatis [qui toti familiae peculiaris fuisse versu 4. declaratur] fungens, beneficiis pluribus Puteolanos fovere assidue debuit. Ac de Paulini Jun. titulo Puteolano satis.

PAG.713. inter Adnot.476. & 477. ad illa Synaxarii verba, Monetur ut in Metropolim Salamina pergeret, ibi martyrium perfecturus, *inseratur Adnotatio*, *quam heic inferne* (9) *subjeci: quam ibi sub asterisco signare extra ordinem poteris*.

*PAG.*715. ad finem diei XXIV. monuimus, in nostro hoc Marmoreo Kalendario quatuor S. Praecursoris festa occurrere: nam praeter *Inventionem Capitis*, [quae die 24. Febr. recolitur] & *Nativitatem*, de qua die 24. Junii; fieri etiam de *Passione* die 29. Augusti, ac de *Conceptione* die 23. Septembris. Nunc ne de hisce posterioribus festis notitia a superioribus duobus nimium divellatur, statui in cupidorum gratiam de Passionis & Conceptionis festivitatibus pauca admodum in subjectam (10) Adnotationem seorsum conferre.

PAG.

(9) Valde notandus est hic locus. Christus magister fugiendam esse persecutionem jusserat, nec ultro furori saevientium magistratuum objiciendum caput. Ob eam causam secuta posteritas eos tantum pro *vindicatis* [uti loquitur Cyprianus] martyribus habebat, qui hoc Domini praeceptum caute custodissent: idque *martyrium Evangelicum* vocare solebat, quando scil. non ultro ad tribunalia prosiliebant, sed delati & quaesiti pertrahebantur. Quae quum ita esse omnes intelligerent, tamen plurimos invenimus sponte sua ad martyrium cucurrisse, eosque postea pro Christi martyribus vindicatos. Scio hoc recte responderi, illos non nisi S. Spiritu ad id interius instigante hoc fecisse. At bene est, quod in optimis hisce S. Aristoclis actis diserte legitur, eum antea quidem Evangelio morigerum, insectationis impetum declinasse, sed postea Divino ostento sibi fuisse significatum, uti procellae obviam iret. Hoc igitur expresso testimonio docemur, ceteros etiam confessores pari aliquo divino imperio, id ut auderent, fuisse antea monitos, quam ultro ad carnificinam volitarent.

(10) *De duobus aliis S. Praecursoris festivitatibus, nempe Decollationis atque Conceptionis. Obiter de Mariae immaculato conceptu: cui Ambrosium adstipulari, ex ejus loco non satis adhuc intellecto colligitur.*

I. De decollationis festo sane quam antiquissimo duo notari velim: I. quae in recentioribus Mrologiis *Decollatio* vocatur, eam in vetustissimo ac praestantissimo Hieronymiani Mrologii Epternacensi exemplo *Passionem* appellari. Quod Mrologium die 29. Augusti sic incipit: *IV. Kal. Septembris passio S. Joannis Baptistae & aliorum DCCCC. martyrum*: etsi in Lucensi apographo pro *Passio* est *Natalis*. Itaque quod in fastis hisce marmoreis die 29. Augusti PAS. S. IOH. BAP. scribitur, in eo vetus hujus festi adnuntiandi consuetudo servata fuit. II. Etsi verum passionis Baptistae diem nulla certa ratione aut veterum auctoritate colligere liceat; tamen quum ab antiquissimis usque temporibus eodem, quo hodie dum, die ejus martyrium honoratum fuerit; quumque marmoreum nostrum Kalendarium non nisi veris diebus emortualibus *Passionis* notam praescribere semper amet; ex eo colligere oportet verum passionis diem ab innumeris S. Joannis discipulis fuisse sollerter notatum, & quotannis celebratum: quocirca eumdem diem nunc etiam pro θανασίμῳ haberi debere, donec certe contraria nos alius docuerit.

De S. Praecursoris cruore, qui Neapoli in duobus Virginum coenobiis, *S. Gregorii Armenii*, & *Domnae Romitae* statis liquescit temporibus, abunde scriptores Neapolitani agunt; ac praeterea Papebrochius rem testatissimam, & omnium oculis expositam non omisit ad 24. Jun. pag. 763.

II. Venio ad festum alterum Conceptionis S. Praecursoris: quod quidem in nostris hisce fastis non die 24. Septembris [ut omnes Latini fecerunt] sed pridie, nempe die XXIII. Septemb. adnuntiatur his verbis: C. [i. e. *Conceptio*] S. IOH. BAP. ET. S. SOSSI. Porro *Sossius* qui cum Baptista concepto copulatur tum heic, tum etiam in Beda genuino, est ille S. Januarii Episc. Beneventani commilito celeberrimus, de quo abunde in Actis Bononiensibus agitur: quae ad finem mens. Aprilis illustravimus, ac postea repetitis curis post Additamenta mens. April. longe meliora fecimus.

At de Conceptione tum S. Praecursoris tum Deiparae Mariae notanda est Graecorum a Latinis diei unius dissidium. Etenim de Joannis conceptu hoc die a Graecis fit, at a Latinis die

sequenti. Similis, etsi gressu contrario, variatio & in Conceptione Deiparae occurrit: de qua Fasti nostri cum Graecis omnibus die IX. Decemb. agunt, at Latini die praecedente. Itaque Graeci [quibus hi Fasti adhaerent] Praecursoris Conceptionem uno die prae Latinis antevertunt, at vero Deiparae conceptae festum uno die prae eisdem postponunt. In quo Latini si minus certam [quis enim vera Conceptionis & Nativitatis utriusque tempora augurabitur?] at constantem tamen & sibimet consentaneam rationem sunt secuti, novem rotundis mensibus inter utriusque Conceptum atque nativitatem interpositis. At Graeci quo spectarint, dum in Deipara diem unum ei spatio ademerunt, in Praecursore adjecerunt, quis certo divinaverit? At non certe alia mihi nunc Graecorum facti ratio succurrit, nisi quod dies XXIV. Septemb. apud eos Protomartyris Theclae festo Ἀθλήσεως i. e. *Passionis* impediebatur, quod proinde non poterat cum alio aeque primario Praecursoris festo copulari; eoque pridie de Baptistae Conceptione agere occuparunt. Nec absimilis ratio suberat, cur idem in Conceptione Deiparae fecerint.

Ergo Latina omnia Mrologia [Hieronymi, Bedae, Adonis, Usuardi, Notkeri, Rabani] Conceptionem S. Praecursoris die 24. Septemb. inscribunt. Ex quo obiter vides quam antiqua & pervagata ea festivitas apud Latinos fuerit. Nec porro alium Latinorum Papebrochius reperit, qui eo die id Festum omiserit, ante Bellinum, qui an. 1498. Usuardi Mrologium in usum Rom. Curiae Venetiis edidit. Eoque postea exemplo etiam in Hodierno Rom. reformato idem festum omissum fuit. At apud Graecos nulla umquam circa id festum facta est mutatio.

Sane vero, quod heic Papebrochius [p. 701. num. 48.] apud Graecos hoc inter utramque *Conceptionem* enuntiandam discrimen observat, quod de Deipara agentes vocent *Conceptionem S. Annae* [ita ut *Conceptio* ἐνεργητικὴν notionem habeat] at vero, ubi de Baptista est sermo, non vocent *Conceptionem Elisabeth*, sed S. Johannis, παθητικῶς scilicet: id inquam etsi in plurib. libris & in nostro etiam marmore (in quo die IX. Decemb. sic legitur; CCEPTIO S. ANNE MARIE VIR. h. e. *Conceptio per quam S. Anna Mariam Virg. concepit*) in eum modum habet; attamen id non est perpetuum. Nam in Basilii Menologio die 23. Septemb. sic scribitur: Σύλληψις τῆς ἁγίας Ἐλισάβετ &c. *Conceptio S. Elisabet, quando concepit S. Joannem Baptistam*.

Monebo hic obiter, me dum in his essem, in pulcherrimum Ambrosii locum incidisse, quo is Mariae omnimodam virginitatem asserit, h. e. non tantum corporis, sed etiam (idque *per gratiam*) mentis virginitatem; sive (si sic loqui liceat) virginitatem a peccato, & ab omni etiam originis labe integritatem, gratia illam speciali praeservante. Id enim declarare voluisse mihi videtur Mediolanensis Antistes Serm. XXII. in Ps. 118. sect. 30. dum versum illius Psalmi ultimum enarraret, *Quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus*. Quae verba sic παραφράζει: *Quaere ovem tuam jam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarra, sed ex Maria*. Necesse est hic paullisper resistere. Notant Benedictini, in edit. Paris. exhiberi, *Non in carne, quae in Adam lapsa est*: verum illam negationem ab omnib. aliis editionib. cunctisq. Mss. respui, ac merito. Nam hoc vult Doctor eximius, Christi carnem ejusdem naturae fuisse, atq. Adami, a quo per generationis successionem propagata fuit; etsi ἀμέσως (*proxime*) Christi caro nec ab Eva, nec a Sarra prodierit, sed ab incorrupta Virgine Maria; cujus deinceps singularem & sine exemplo integritatem ostendit. Ergo Ambrosii verba particulis interpositis juvare in hunc modum licebit. *Suscipe me in carne* (quidem) *quae in Adam lapsa est* (sed tamen *suscipe me* [in carne quae ἀμέσως prodiit] *non ex Sarra, sed ex Maria*. Ac statim sequitur: *ut* [eadem scil. Maria] *incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam* (h. e. non tam corpore, quam etiam mente virgo per gratiam) *AB OMNI INTEGRA LABE PECCATI*. Ultimum quidem comma sic omnes exhibent, ut non nisi post *Per gratiam* notam distinctionis usurpent: sed equidem distingui etiam recte posse post *Virgo* puto. *Sed*, inquit, *Virgo, per gratiam* (praecaventem) *ab omni integra labe peccati*.

Vides opinor, quid Ambrosius senserit. Cui cum tota praecedens oratio de peccato originis, quod Saram & omnes justos infecerat, decurrerit; omnino dum Mariam *ab omni labe* fatetur *integram*, ab eadem originis labe eam praeservatam contendit: praeservatam, inquam, non liberatam: alioqui nec *integra a labe* fuisset, sed post labem mundata; nec *Virgo a peccato* [hoc enim sensu, ut semel dicam, Mariam fuisse Virginem contendit, dum ait, *Virgo, per gratiam ab omni integra labe peccati*] cui semel serviisset. *Terra Virgo* antiquis dicebatur, quae intacta prorsus aratro aut rastro esset; quae etiam *Integra* vocari solebat. Verum haec in transitu perstrinxisse sufficiat.

*PAG.*771. *ad finem Adnot.* 572. *adde*. Atque hinc mira lux Lactantio oboritur lib. De mort. persec. ubi *Mittere libellos* pro eo quod est epistolas sive pittacia mittere, usurpavit. Sic enim cap. 46. de Licinio [postquam formulam qua precaturus esset exercitus, monitu divino accepit] Firmianus narrat : *Scribuntur haec in LIBELLIS pluribus* [h. e. epistolis, ut ibi non inscite doctus adnotator monet] *& per praepositos tribunosque MITTVNTVR* [hoc loco PER respondet Gr. ἀνὰ; non enim praepositorum opera mittebantut; sed circa per praepositos tribunosque missi distribuebantur] *ut suos quisque milites* [conceptis precari verbis] *doceat*.

PAG. 772. *ad finem Adnot.*582. *adde*. De visipnibus, quae in S. Petri basilica fidelibus offerebantur, exstat apud Muratorium tom.IV. pag.1967. n.2. mutila e schedis Donii inscriptio : quam vide, si tanti id visum fuerit. Haud vero recte eam epigraphen ad nonum decimumve saeculum refert Muratorius; quae, quantum conjici potest, est potius sexti aut septimi saeculi, circiter id tempus, quo *mira superna videri* consuevisse in S. Petri Sergius memorabat.

PAG. 785. *col.*1. *cap.* 3. *v.* 9. *post* Lib. IV. &c. *adde*. Testis & Joannes Hesselius vir summi judicii, qui in sua *Censura* .. cum suasisset, ut loco Pseudo-Marcelli, potius libri tertii Excidii Hierosolymitani caput alterum [quod nos integrum Parte II. lectori sistemus] legeretur; addidit, Hierosolymitanum illud Excidium non ab Hegesippo sed ab Ambrosio auctore prodiisse.

ADMONITIO.

Quae sequuntur ad Glossarium ex Excidio & Ambrosio collectum Additamenta, in eorum gratiam eduntur, quibus vel ista forsitan usui sint futura.

*PAG.*795.*col.*1. *inter* FVNDIBALVS *&* INCENSVM *interjice hanc periocham.* HEPTAMYXVS vox est nulli usurpata praeterquam Exjosippo v. 10. & Ambrosio in Apologia David altera num. 49. Verum quia fuere quidam qui hanc Apologiam inscite admodum Ambrosio eripuerint; nolo vitiosae circuitionis accusari, si heic Excidium Ambrosio ex auctoritate Apologiae alterius vindicem, in Appendice vero Ambrosiana (ubi ea Apologia Ambrosio asseritur) eidem Ambrosio Apologiam auctoritate Excidii tribuam. Vide tamen quae mox statim in Appendice Ambrosiana initio Disquis. I. de eo vocabulo adnotatum ibimus.

PAG. 796. *post v.* 5. Adde sis & haec loca. De Nabuthe n.2.*Redoperi* [i e.retege] *terram.*Itemq.in I.Offic.n.62.*Facie ad faciem formam redopertae veritatis agnoscere.*

*IBID.Adnot.*619. *in* DEFVRO *adde in fine*. Etsi mihi videtur etiam in confesso Ambrosio lib. de jejunio n. 58. reperiri id verbum. Nam ubi prave nunc DEFVERIT legitur, mirum ni Ambrosius scripserit *Desuruerit* : quod & sensus requirit : Ceteroqui praeteritum *Furuit* tum Servio, tum etiam Sedulio usurpatum legitur. Vide locum. Quamquam siquis in Ambrosio *Deserverit* malit reponere, non irascar; nam & Plinius *Deservisse* a *Deserveo* inflexit.

PAG. 799. *in* INHALO *adde in fine*. Ibid. l. VI. n. 61. *Vel odor inhalaverit*.

IBID. in MAESTIFICO *adde in fine*. Idem de Jacob l. 1. n. 31. *Nec suorum amissionibus maestificatur*. In I. Offic. num.19. *In quibus eum maestificare possim.*

PAG. 800. *in* PRAELIARIS *in fine adde*. Idem in I. Offic. cap. 40. *Vt putent solam esse praeliarem fortitudinem*.

*IBIDEM col.*2. *in* VIANS *in fine adde*. Hexa. l.III. n. 38. *Luna viantibus lumen demonstrat*. Et Hex. V. n. 29. & 35. etiam VIANDI a *Vio* usurpavit.

PAG. 802. *Adnot.* 628. *v.*6. *post* usurpant *adde*. Sumpta est locutio a sagittariis in scopum oculorum aciem INTENDENTIBVS. Quo fit ut is intendendi actus recte *Intentio* vocetur, sicuti Graecis εὐθυωρεία. *In ead.Adnot. post ultimum Ambrosii locum addes hunc alium* : Lib. 2. de Jacob num. 49. *Ipsi quoque* [matri Machabaeorum] *suadere coepit* (Antio-

chus

chus) *ut filium ab intentione sua revocaret.*

PAG. 805. *Adnot.* 634. *col.*1. *v.*9. *post* legebatur *adde.* Quod etiam in V. Excid. 22. usurpavit his verbis: *Sed ubi NEQVITVM occurrere, de muro defunctorum reliquias . . dejiciebant.*

PAG. 807. *in fine Adnot. adde.* Aut certe erit plena locutio, *Ante exspectatum diem*: idque ex mente Ambrosii lib. de Tob. num. 26. scribentis: *Exspectato die* (foenerator debitorem) *ad publicum trahit.*

PAG. 808. *in* DEPONO *adde in fine.* Idem Ambrosius lib. 2. de Jacob num.3. *Senex depositus.* De jejunio num.3. *Jejunus* (Elias) *pluvias ore deposuit.* Vbi & trajectio notanda est; nam ordo erat, *Jejunus ore deposuit pluvias*; Sicuti mox statim: *Jejuno ore statuit fluenta Jordanis.* Eod. lib. n. 23. *Cibus visco etiam aves illigat, cibus volantes deponit ad mortem.*

IBIDEM in FVNVS *v.* 10. *post* transfixit *adde.* *In V. Excid.* 22. *Plerique condendis suorum funeribus immoriebantur.* Ambrosius Hexa. VI. n. 24. *Quasi miserans appropinquavit ad funus*, i. e. occisi cadaver.

IBIDEM in MALVM *v.* 2. *post* nusquam alibi *sic interpones*: [excepto Lactantio in De opif. c. 6. scribente: *Quae malum! vanitas erat.*]

*PAG.*811. *col.*2. *v.*7. *post locum Ambrosii adde hunc alium.* Idem in II. de Virgin. cap. 4. in fine historiae Theodorae Mart. *Tibi*, inquit, *cessi vestem, non professionem mutavi.*

PAG. 813. *in Adnotationis* 641. *versu penult. post* transtulerunt *adde.* Nam & Minucius, si probe memini, *Lectiones* pro auctoritatibus semel usurpavit; & certe Lactantius in V. Instit. cap.4. de S. Cypriano agens scripsit: *Quum ageret contra hominem veritatis ignarum* (Demetrianum gentilem scil.) *dilatis paullisper Divinis LECTIONIBVS* [h. e. Scripturar. testimoniis] *formare hunc a principio tamquam rudem debuit.*

PAG. 815. *col.* 1. *v.* 2. *post locum Ambrosii adde hunc alium*: In II. Offic. n.9. *Quasi eviratum & infirmum despuit.*

*PAG.*817. *in Adnot. col.*1. *post Lactantii loca sic adde.* Plura similia adscribere possim Institutionum Firmiani loca: sed ille perillustris est in V.13. *In hoc quoque illorum* (gentilium) *malitia convincitur, qui evertisse se funditus RELIGIONEM Dei opinantur, si homines* [cogendo sacrificare] *inquinaverint, cum* (tamen) *& Deo* (per poenitentiam) *satisfacere liceat, & nullus sit tam malus Dei cultor, qui data facultate, ad placandum Deum non revertatur, & quidem DEVOTIONE* [quam devotionem supra *Religionem* vocaverat] *majori.* Idem in de Opif.cap.19. Ambrosiano more *Fidem* cum *Devotione* h. e. religione junxit: *Nec fidem suam* (in Deum) *devotionemque prodiderit.*

EAD. Adnot. col. 2. *v.*1. *post* eximiam *adde*: quam *Holocaustum ferventis devotionis* vocat Ambrosius in I. Apologia David num.84.

PAG. 819. *in* RESIDEO *versus finem post omnia Ambrosii loca addes hunc alium.* In I. Offic. num. 57. *Duo absolvimus . . tertium genus quaestionis residet hujusmodi.*

PAG. 821. *in* CLAVES REMITT. *post locum Ambrosii epist. ad Syagr. addes hunc alium.* Idem epist. ad Irenaeum num.11. *Conjugii claves adipiscatur.*

IBIDEM in fine Adnot. 644. addes haec, quae inferne (11) subjeci.

PAG.

(11) *ADDITIO ad pag.* 821. *ad finem Adnotationis* 644.

VEL pro *Saltem* saepe apud veteres JCtos reperitur: saepissime autem apud Ambrosium tū in Excidio, tū ceteris ejus testatis operibus. Ex Excidii I. 43. hoc nunc tantum exemplum ad manus habeo: *Sub meis oculis effunde* (venenum) *ut vel* (h. e. saltem) *ad inferos non feram animum parricidalem.* Venio ad confessa Doctoris opera. De fide resurr. n. 81. *Alios quoque resuscitavit* (Christus) *ut nos vel exemplis uberioribus crederemus.* De obitu Valent. n.2. *Et iste tamen vel morte sua voluit implere promissum*: h. e. qui Mediolanum venturum se promiserat, quia vivus non potuit, mortuus *saltem* venit. Et n. 10. *Beatus qui vel sub ictu mortis animum avertit a vitiis.* Ep. (19) ad Vigil. n.26. *Parum fida* (Samson) *expertus . . prima connubia, debuisset cavere vel postea.*

PAG. 823. *in* ROGARE AD CONV. *locis Ambrosianis addantur haec duo alia.* Idem in II. Offic. num. 126. *Divites enim rogari videntur, ut ipsi quoque nobis reddant convivium.* Et lib. III. num. 71. *Ad caenam in hortos rogaverit.*

PAG. 828. *in fine Adnot.* 651. *adde.* In II. Offic. num. 131. *Truncatus* (Samson) *invicti crinis ornatum.* Ibid. num. 146. *Accinctaeque mulieres pectus.*

Et hactenus auctarium Ambrosiani Glossarii: quod in schedis repertum, deperire cupidis harum cupediarum nolui.

PAG. 867. *addes quae inferne* (12) *adscripsimus.*

ADDITAMENTORVM FINIS.

APPENDIX AMBROSIANA

Ad 29. Junii Part. I. cap. V. §. 10. Adnot. 654. & cap. VI. §. 2. Adnot. 671.

ADMONITIO

Ad diem XXIX Junii Parte I. cap. V. §. 10. Adnot. 654. in fine, quum ad judicium de Apologia David altera ventum fuit; nec non cap. VI. §. 2. Adnot. 671. (pag. 847. initio col. 2.) quum de Actis S. Sebastiani judicandum esset; fessus itineris, simul etiam ne longum facerem, ea duo judicia in locum peculiarem distuli. Hinc duas hasce Disquisitiones, uti fidem obligatam liberem, heic admetior: quibus breviorem aliam interjeci mediam.

DISQVISITIO I.

De alterius Apologiae David auctore.

Criticorum sententiae recensentur. Vox HEPTAMYXVS Ambrosio hanc Apologiam vindicat. Id ipsum tum ex locutionibus in Glossario nostro descriptis, tum aliis pluribus Ambrosianis, quas haec Apologia usurpat, ostenditur; ut etiam ex nervoso dicendi genere, & Virgilii & antiquorum imitationibus, Apologiae hujus: cujus interim loca aliquot illustrantur. Hujus libelli character plane Ambrosianus. Erasmi perversa κρίσις refellitur. Cur priori apologiae alteram superinduxerit. Hujus allegorica explanandi ratio tota officinam Ambrosianam spirat. Nec Monothelismus in hoc libro impetitur, nec locus ex hodierna Vulgata profertur.

(12) *ADDITIO ad pag. 867. ad finem Adnot. 728.* Prorsus non est dubitandum, quin apud Ambrosium heic *Celebrare orationem* sit Missae sacrificium peragere. In Actis S. Pionii M. apud Ruinart. sect. 3. *Facta ergo ORATIONE sollemni, cum die Sabbato* [quo Natale S. Polycarpi celebrabatur] *SANCTVM PANEM & aquam degustavissent*, Pionius cum sociis captus narratur. In synodi Laodicenae can. XIII. ex interpretatione Dionysii: *Presbyteri ruris, episcopo praesente, vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt, neque panem sanctificatum dare* [hoc ultimum Graece est, ὅτε μὴν ἄρτον διδόναι ἐν ΕΥΧΗ, *nec panem dare in ORATIONE*] *calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, &* (εἰς εὐχὴν) *ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt.* Zonaras ad hunc Canonem illud ἐν εὐχῇ interpretatur ἐν ἱερουργίας καιρῷ, *tempore sacrificii.* Hinc in libris Graecorum liturgicis Μυστικὴ εὐχὴ (*Mystica oratio*) est quod nos *Missam* dicimus. Balsamon ad Nysseni Epist. ad Letoium illud Μυστικῆς ἐπιτελουμένης εὐχῆς de panis & calicis consecratione explicat, cui secreta oratio a Sacerdote praemittitur, ut panis & calix sanctificetur.

fertur. Ammaon *Cleophae socius*, & Bethsabee *interpretatio Ambrosium produnt*. *Ex loco Apologiae hujus uno insignis menda* [*in Adnot.*10.] *excluditur*: *alter vero de sacerdotib. seipsos*, *h. e. Christum offerentibus ex pari Ambrosiano explicatur*.

Apologiam David alteram Joannes Gillotius is, qui ann. 1568. editionem Ambrosianor. operum Parisiis summopere aestimabilem dedit, quum in omnibus scriptis codicibus Ambrosio tributam reperisset, non dubitavit Mediolanensi episcopo mordicus asserere. De librorum manu exaratorum, etiam Italicorum, consensione, sicuti & illorum hominum qui ex Ambrosio excerpta dedere, ne Benedictini quidem dubitandi locum relinquunt: etsi iidem utriusque partis argumenta diluisse contenti, rem in medio controversam relinquunt, in negantem forsitan partem propensiores. At vero Erasmus styli diversitatem causatus (quam & Benedictini postea agnoverunt) jam tum hunc librum Ambrosio abjudicaverat. Idem secuti sunt Bellarminus, Possevinus, Nic. Faber, Hermannus, Tillemontius, & inter heterodoxos Rivetus. Utriusque partis momenta in Admonitione, quam Benedictini huic libro praeferunt, reperies: quam adiri a lectore cupio.

At equidem a me impetrare non potui quin styli Ambrosiani diversitatem (quam praecipue partis negantis patroni obtendunt, sed minime probant) in hoc me libro nullam agnovisse testarer. Jam vero inde ordiar.

Quod vocem HEPTAMYXUS inter nova vocabula Exjosippo Ambrosioque communia non retulimus in nostro Glossario §. 2. pag. 795. id quidem percommode fecimus; nondum enim Apologiam hanc alteram ab Ambrosio re vera scriptam tunc constabat. Ceterum quibus argumenta Parte I. & II. ad nauseam usque producta jam persuaserunt, Excidii historiam non nisi ab Ambrosio auctore profectam, iis haud aegre persuadebitur, & hanc apologiam ab eodem Doctore fuisse conscriptam, idq. vel hoc uno indicio, quod in hac non tantum vox illa inaudita *Heptamyxus* usurpatur, sed & pari metaphora in ea voce luditur. Videsis (1) locum. Verum age hoc argumento, apud me quidem validissimo, tantisper omisso, de stylo videamus, consentiatne cum Ambrosiano, an abhorreat.

Equidem duo haec effata constituo. I. Primum quum constet, plura Ambrosii scripta etsi dicendi charactere ab solito discrepantia videantur, tamen ex auctoritate codicum aliisque indiciis ei adserta fuisse; idem de hac Apologia judicium valebit: quam constanter scriptorum codicum, non tantum citimae aetatis (quod praedicat Tillemont.) sed longe antiquioris temporis (testibus Benedictinis) auctoritas Ambrosio vindicat. II. Deinde ex diverso vel si hic libellus nunc primum ex MSS. nullius auctoris nomen praeferentibus, ut ἀδέσποτος proferretur in lucem; tamen contenderem tantam in eo esse dictionis cum Ambrosio consensionem, ut ea tantū gratia, jure meritoque magno Ambrosio adjudicari deberet. De priore effato nullus est ambigendi locus: vel sufficiat tantum adiisse loco cit. Benedictinos. Ad alterum igitur confirmandum me confero, nempe ad locutionum stylique consensionem.

Ac primum quas ῥήσεις Exjosippo aeque atque Ambrosio sive familiares sive perpetuas in citato Glossario demonstravimus, earum non paucae & in hoc libello usurpantur: quarum aliquot in

imam

(1) Celebrem de *Heptamyxo* Apologiae alterius locum ad 29. Jun. Parte I. cap. VI. §. 1. pag. 843. recitavi, & cum germano altero Exjosippi contuli. Quae duo loca si inspicias, statim pronuntiabis, hanc Apologiam & Excidium ex unius ejusdemque scriptoris calamo fuisse profecta: proinde quum Exjosippus haud dubie Ambrosii sit, ejusdem & Apologiam hanc alteram fore. Hoc autem argumentum apud eos tantum valere volo, quibus jam forsitan persuasimus, Exjosippum eumdem esse qui Ambrosius: ne quis forte me vitiosae circuitionis accuset.

imam (2) pagellam compuli.

Quis autem negabit, innumeras esse alias Ambrosii peculiares locutiones, quibus in Glossario illo nostro locus non fuit, quod pares in Exjosippo nondum reperissemus? Atqui harum quoque plurimas in hac Apologia usurpatas inferne (3) reperies.

Nec minus Ambrosiana illa omnia dicendi genera haberi debent, quaecumque magnifica, quaecunque nervosa, quaecumque indolis Ambrosianae sunt.

Kkkkkk 2 Haec

(2) *Locutiones Apologiae alterius, quas Parte I. Ambrosio familiares ostendimus.*

In citandis Apologiae II. locis semper numeros editionis Benedictinae sequor. Ergo num. 9. extremo νομικὸν illud *Contemplatione* legitur. Num. 13. prope finem *Resurrectio* pro gloria beatorum: *Perpetuitatem*, inquit, *resurrectionis amittas*. *Quemadmodum* interrogative positum legitur num. 16. v. antep. & n. 25. initio, & n. 62. post medium. Idem vero μόριον infinite adhibetur passim toto libro. Num. 18. in fine *Circumscribo* pro *Illudo*. Adhaec adiectivum *Praeliaris* num. 34. usurpatur. Num. 34. *Mulieris* pro *Uxoris*. Num. 57. extremo & alibi *Lectio* pro loco Scripturae. Ibid. *Devotio* notione Ambrosiana. *Deniq.* pro *Itaq.* passim heic ut in Ambrosio. Num. 66. *Non enim otiosum est*. Sicuti & ἰσοδυναμῶν illud ET BENE quod n. 2. & 42. & 51. & 67. ἐν τῷ ἐξηγεῖσθαι τὰς γραφὰς adhibetur. His adde & ellipsin praep. IN. Ut n. 71. *Quos laqueos.. incidunt*: & num. 1. *Incentivum erroris incurrit*. Adde adjectiva neutra, sequente casu patrio substantivi, passim usurpata. Adde insolens genitivi regimen, ut n. 20. *Non avarus munerum .. nec gratiae angustus*. Quorum paria sexcenta loca in Glossario Ambrosiano reperies. Ceteris interim supersedeo.

(3) *Ejusdem Apologiae locutiones aliae Ambrosianae praeter illas in Glossario recensitas.*

Num. 5. & 32. in fine *Peccatum subreptum* (h. e. quod subrepit incautis) memini quidem in Ambrosio legisse, sed non praesto. Num. 14. *Ne te.. CRINICULIS erroris involvat*: quod Ambrosius simili sensu in quadam epistola usurpavit his verbis: *Depositis .. capillis, idest peccatorum criniculis*. Num. 15. *Allophylum immanem corpore* non alium quam Goliath intelligit: ideo quia haud raro Ambrosius Philistaeos vocat cum LXX. *Allophylos*. Num. 30. medio: *Speciem* (h. e. naturam) *carnis adsumptam* a Christo dicit: non male; quia pluries Ambrosius *Speciei* nomine τὸ philosophicum εἶδος, h. e. naturam sive substantiam intelligit. Sic Epist. 45. ad Sabinum n. 14. *Si magnetis lapis tantam naturae vim habet, ut ferrum ad se trahat, & transfundat se in illius speciem* (h. e. naturam: uti mox ex annulis ferreis docet, quorum unus alteri, magnetica vi imbuto, nectitur) *itaut .. plures annulos ferreos .. pari teneat modo*. Hexaem. lib. 2. n. 14. *Eadem species & natura est lumini*. Adde & De Myster. num. 25. extremo. Sed redeo ad Apologiam alteram: cujus n. 66. eadem translatione peccata *animorum VIBICES* dicuntur, qua & alibi apud Ambrosium legisse me certo scio. Adhaec num. 71. extremo: *Video quae praevaricationis AERA* (h. e. debita) *contraxerim*: quod translatum non semel lib. de Tobia usurpatur: sicuti & heic n. 72. & in de Tob. pluries *Foenerandi* verbum pari translatione sumitur. EO LOCI (uti & *Quo loci*) amicissimum Ambrosio fuit, sicuti & huic Apologetae num. 57. *Optabat* (dives) *eo loci fuisse, quo Lazarus*. ESTO VT in hac Apologia semel aut bis pro simplici *Esto* usurpatur; sicuti & in Ambrosio lib. 2. de Jejun. n. 5. *Esto tamen ut aliquid sibi .. rapiat*. Adhaec ALIVS pro *Alter* Exjosippo & Ambrosio satis usitatum fuit: sic etiam in hac Apol. num. 5. extremo: *Vnus .. alius .. tertius* .... INCANVS vox Ambrosio est amicissima, praesertim ubi μεταφορικῶς ponitur: atqui & heic extremo n. 38. *Incanam longaevae resurrectionis aetatem* translate dixit. FONTIS IRRIGUO ubi non ab Ambrosio usurpatur (praesertim ubi de baptismo loquens, *Aeterni fontis irriguo* aliquem lavari dicit) quae metaphora ne ab hac quidem Apologia abest. Est & apud Ambrosium perelegans dativi usus: ut epist. (36) ad Irenaeum sive Studium: *Quomodo interrogat* (Christus) *quod videbat? Sed interrogat NOBIS* [h. e. ad nostram utilitatem] *ut cognosceremus* etc. Sicuti de Cain l. 2. n. 12. *Non enim ipsis gaudeo, sed ..* Hexa. lib. 4. n. 32. *Descendit* (Deus) *nobis, ut ascenderet omnibus*. Atqui sic etiam in hac Apologia n. 32. *Peccaverit sibi* (David) *ut nobis omnibus emendaret*, supple peccatum: ut scil. omnibus emendationis specimen illustre proponeret. Hinc vero & ex aliis hujus lib. locis vides, non sustulisse hunc defensorem adulterii & homicidii Davidici historicam fidem, vel ibi, ubi in allegorias intentior, eam videtur num. 40. evertere. Sic etiam diserte num. 30. *Ut* [in Davide] *lapsus conditionis non negaretur, correctio erroris adstrueretur*.

Haec si dare omnia voluissem, nullus fuisset finis. Quaedam tamen in specimen inferne (4) exhibui.

Sed & ima eadem libri ora quaedam tum ex Virgilio tum antiquis aliis petita, quibus Ambrosius mire tenebatur (5) dabit:

(4) Exempli gratia quam illud nervi plenum! ubi n. 25. inter Salomonem Christumq. distinguit: *Alius est ille* (nim. Christus) .. *qui corpus suscepit, non qui coepit a corpore*, ut Salomon. Quam item Ambrosianum illud n. 26. *Et Arrius conticescat, qui contraria Sabellio urget erroris vestigia*. Num. 34. *Tolerabilior est culpa quae premitur verecundia, quam quae insolentia praedicatur*.

(5) *In apologia altera quaedam pulcherrimae veterum imitationes. Plura ejusdem loca illustrantur SAEVUS & BARBARI quid apud Ambrosium sint.*

Ambrosium Virgilianis imitationibus supra fidem sese oblectasse, saepissime jam ad 29. Jun. Par. I. [praeter Nannianas id genus observationes) demonstravimus: quod & heic quoq. qui attenderint, deprehendent. Verbi causa num. 15. ubi *Armis bellicis inhorrescentem* Goliathum dicit, mentior ni Mediolanensis animo illud Maronis X. v. 711. *Et inhorruit armos* [al. *armis*) obversabatur: etsi re vera Virgilius de apri armo id cecinit. Ceteroqui & Livius scripsit lib. 8. *Inhorret acies*, supple *armis*. Adde & illud extremo num. 27. *Sed jam redargutis SAEVORUM interpretationibus, ad Ecclesiam sermo vertendus est*. *Saevorum* nomine haereticos heic designari, ex superioribus non relinquitur dubitandum. At cur illos *Saevos* appellat? An non satius erit *Scaevorum* reponere? Gellius certe XII. 13. sic loquitur; *Scaevus profecto & caecus animi forem, Si* &c. Quid scopo apologetae hujus accommodatius, quam ut eadem notione, qua Gellius, haereticos nuncupaverit *scaevos*? Hoc quidem cui non arrideat? Tamen cum membranis *Saevorum* retineri malo; quia Virgilio *Saevus* tantumdem est, quod *Inimicus*. Cujusmodi illud videtur esse Aeneidos initio, *Saevae memorem Junonis ob iram*. Itemque illud V. v. 739.

Et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.

Nim. quia, ut adnotat Servius, *Lux est umbris inimica*. Ac saepe apud eumdem, notante Servio, *Saevus* tantumdem quod *Iratus*. Forsitan & illud Virgilianum initio fuerat, quod nunc quidem num. 42. [ubi Bethsabee nuditas ad allegorias traducitur] sic legitur: *Vidit* (Christus) *Ecclesiam suam nudam: & vidit & amavit*. At forsitan Davidis defensor scripserat: *Vidit Eccl. suam nudam: VT vidit, VT amavit*! Ex illo Maronis scil. *Vt vidi, ut perii*: i. e. postquem vidi, quomodo perii! Est enim ibi in Virgilii & Theocriti parib. locis elegans πλοκή.

Adhaec quod num. 40. videtur adulterii Davidici historiae fidem subruere in speciem, id quomodo sit capiendum, jam quidem Benedictini in Admonitione praevia exponere occuparunt. Atqui is locus ex Terentii Andria adumbratus est. *Neque* (inquit) *verisimile videtur, ut ante domum regis femina se lavaret; quasi locus lavacro opportunus alius esse non posset. Non quadrat, non congruit* &c. Confer haec cum Andriae act. 2. sc. 2. ubi Davus nuptias cum parcitate opsonii non cohaerere, cavillatur: item actu 3. sc. 1. & 2. ubi Simo similibus de partu adsimulato conjecturis indulget.

Postremo in suo Ambrosio Tillemontius Nota 59. hanc Apologiam Ambrosio ex eo abjudicat, quod num. 49. scribitur: *Profanari ritum observantiae ex Lege venientis, per incursionem BARBARORVM* [nempe Romanorum, qui Templum Tito duce incenderunt] *& captivitatem Judaeorum, passus est Christus*. Estne enim credibile, Ambrosium illum, quondam provinciae Romanae rectorem, eumdemque Imperatorum sui temporis corculum, Romanos homines fuisse *Barbaros* nuncupaturum.

Atqui putavi aliquando, Plautinam imitationem heic latere: cui poetae Romani *Barbari* h. e. non Graeci vocantur. Forsitan enim illud Comici prologo Asinariae ob oculos habuit, *Marcus vertit Barbare*, h. e. Latine: ac rursus Trinummi prologo, *Plautus vertit Barbare*: illudque Poenuli, *Hoc pingues fiunt in Barbaria boves*. Sic equidem reputabam. Sed recepi ipse memet, postquam ex pluribus Officiorum Ambrosii locis animadverti *Barbaros* S. Doctori tantumdem esse quod *Hostes*, *Alienigenas*, *Allophylos*, quae sunt apud hunc Nostrum Barbarorum synonyma. Primus locus est in I. Offic. n. 129. *Quae* (fortitudo) *vel in bello tuetur a barbaris* (h. e. hostibus) *patriam, vel domi defendit infirmos*. Alter ibid. n. 141. *Denique etiam adversarios molli veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent; HOSTES enim antiquo ritu PEREGRINI dicebantur*: h. e. *Hostis* vocabulum olim *peregrinos* significabat: quod sumptum ex Tullianis Officiis est.

Per-

dabit: adhaec & asyndeta (6) dispositionesque verborum vere Ambrosianas.

Hactenus satis de locutionum consensione docuimus. Atqui & character ipse & id totum quod Graeci εἶδος nuncupant, quod *effigiem* nos dicere poterimus: ea inquam tota alterius Apologiae effigies, est plane Ambrosiana ut nihil supra. Nihil heic ubi res poscit, non efficax, non grande, non vehemens, juxta atque in ceteris magni Doctoris, reperies. Hoc si opusculum ab Ambrosiano avulsum corpore, imo & initio ac fine truncum, qui nunc primum viderit, nae is, (si quidem nec obesae sit naris, & paullum modo Ambrosium de facie norit) eccui quaeso nisi magno Ambrosio vindicaverit? Nam quod obganniunt, hujus auctorem libri sic esse *Ambrosii feliciter aemulum, ut dotibus aliquot praecurrat* (sic enim Erasmus paullo confidentius apud Benedictinos pronuntiat) hoc est perinde ac si dixeris, heic Ambrosium non modo a semet non degenerasse, sed & vicisse sese. Etsi hoc alterum pernego; quum haec Apologia, etsi digna Ambrosio, a multis tamen Ambrosianis fetibus superetur. *Nam* [pergit Erasmus] *explicat dilucidius, & minus a re digreditur.* Atqui & hic liber haud paullo obscurior ceteris Ambrosianis est: nec raro Ambrosius sic in proposito perstat, ut non gressum unum ab scopo vagetur. Ac de ῥύσεσιν & charactere satis.

Ad res ipsas progredior. Ac primum illud videamus. Quae causa, inquiunt, fuit, ut ille priori Apologiae superinduceret alteram? Primum hoc novum Mediolanensi non fuit. Nam qui & de Cain, & de Abraham, & de Jacob libros binos jugavit, quid accusamus, si in defendendo Davide experiri iterato voluerit? Tum sane reprehenderem, si in Cain, Abraham, Jacobo, Davide eadem quae in priore libro recoxisset. Verum in his omnibus alius plane prioris, alius insequentis libri scopus & argumentum fuit; ut eos nec uno tempore illum scripsisse, nec idem quod in priore sibi proposuisse satis appareat. Dederat Noster Davidis apologiam ex sermonibus a se habitis contextam: quam & ad Theodosium misit.

Pergit: *Quod aeque .. de nostris assumptum dicere possumus; adversarios enim suos Hebraei Allophylos, hoc est Alienigenas appellabant.* Eod. lib. num. 263. *Si quis contra patriam opem BARBARIS ferens* i. e. hostibus. Ex his omnibus discis, quid *Barbaros* Noster vocaverit. Postremo quod epist. (59) ad Severum Episc. Neap. Neapolitanorum immunitatem *a barbarorum incursibus* opponit *Barbaricis motibus & bellorum procellis*, quibus ipse Mediolani jactabatur, id sive Maximi sive Eugenii tyrannorum impressionibus [de quo litigari video] aptaveris, perinde erit; quum *Barbarorum* vox quibuscumque hostibus ab Ambrosio tribuatur.

(6) *De hujus opusculi asyndetis, situque verborum ex more rituque Ambrosiano.*

De peculiaribus Ambrosii asyndetis, quorum membra bina procedunt, dixi ad 29. Jun. Par. I. cap. V. §. 9. Adnot. 653. Atqui nec aliter hic auctor saepissime loquitur. Ut num. 26. initio: *Una quaestione.. Christus omnium haereticorum ora sepsit, sacrilegia conclusit.* Num. 31. *Ut apud gentiles* (in Davide) *lapsus conditionis non negaretur, correctio erroris adstrueretur.* Num. 57. extremo: *Qui* (Lazarus) *pro fide & devotione vulnera corporis non horruerit, famem jejuniumque toleraverit.*

Venio ad verborum juncturas Ambrosianas. Qui Doctor assolet sic adjectivū ab substantivo removere, ut illud omnibus in acie praecedat, hoc vero ultimo loco subsidat, ut Par. I. observatum fuit. Cujusmodi & in hoc libro haec sunt. Num. 4. *Licet diversarum series decursa sit lectionum.* Item num. 16. *Suarum non solvit* (Samson) *nexus cupiditatum.* Item num. 33. *Propriae merito possit* (maculam) *abolere virtutis.* Num. 35. *Tanta divini recessus potest spectare mysteria.* Num. 38. *Quadam virtutis defecit infantia.* Num. 40. *Genitalibus erat naturae suae exuviis destituta.*

Postremo & id Ambrosianae est consuetudinis, ut duo substantiva verbo aut alia orationis parte media divellantur; ut in priore Apologia *Injuriae patiens & doloris*; & alibi sexcenties. Quo etiam haec exempla hujus alterius Apologiae pertinent. Num. 24. *typum futuri agnoscebat & nomen.* Num. 37. *Ut veritas substitueretur & gratia.* Num. 41. *Nudus est, qui peccato nudatur & culpa.* Num. 57. *Ille* (epulo) *qui ante in ostro dives jacebat & purpura.*

ſit. Id argumentum quum & auditoribus ſuis, & Principi ſe probaſſet; non invitus fecit, ut non modo non exploſum ſed cum caveae plauſu exceptum argumentum in ſuis concionibus revocaret, ex iisque itidem concionibus [id quod ex hac altera Apologia initio V. capitis conſtat] alterã hanc defenſionem pertexeret, ſed tamen longe diverſo ſcopo. In priore moralia ferme ſecutus erat: in poſteriore vero totum ſe in allegorias abdit. Porro qui in Ambroſianis ἀλληγορουμένοις non ſunt prorſus hoſpites, haud aegre in hujus libelli allegoriis, quae ab ſeptimo capite ferme ad finem uſque progrediuntur, ipſiſſimam Ambroſianam τῷ ἀλληγορεῖν rationem methodumque dignoſcent. Certe plurima illa paſſim cap. 8. & ſeq. Canticorum Salomonis teſtimonia ſunt Ambroſianae in allegoriis pertexendis conſuetudinis. Miſſa facio, quae in Benedictinorum laudata Admonitione legi poſſunt; ecquid enim erit in crambe recocta gratiae? At quod iidem egregii editores ſive Monothelismum in hoc opuſculo convelli, ſive ex Vulgata locum neſcio quem Scripturae afferri, obſervarunt, ea duo objecta (7) cujusmodi ſint, parum intelligo.

Illud autem quo piaculo praetermiſerim; quod n. 43. duor. diſcipulorum, quibus ſe Dominus conſpiciendum praebuit, ac Scripturarum ſenſum aperuit, uni *Cleophae* nomen fuiſſe, alteri *Ammaon*, prodidit? *Sicut*, inquit, *teſtantur in Evangelio Ammaon & Cleophas dicentes: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis etc.* Atqui ignotum *Ammaonis* iſtius nomen (quod nonnulli ex caſtello *Emmaunte* ſive errore, ſive re ipſa detortum putarunt) ubi non apud (8) Ambroſium perſonat?

Quid illa nominis *Bethſabee* interpretatio, quae num. 51. initio legitur? *BETHSABEE filia Sabbati*. Quid rogo magis Ambroſianum? Niſi quod alibi *Filiam ſeptimi* (9) fidelius reddiderat. Verum quia *Septimus*, ſupple dies, non aliud quam Sabbatum eſt, hinc maluit heic *Filiam Sabbati* vertere. Ceterum cur idem hic libellus *Davidem* latine verterit *Humiliatum* (10) ne id quidem

ab

(7) Quod Benedictini, & poſt eos Tillemontius, in hac Apologia Monotheliſmum impugnari, quaſi ſi jam exortus eſſet, affirmarint; id quale ſit, non queó dicere. Nam quum ſemel iterumque hoc opuſculum attentius perlegiſſem, ejus rei veſtigia deprehendere nuſquam potui, ne in iis quidem locis, ad quae margo Benedictinus remittit.

Deinde quod iidem in ead. praevia Admonit. queruntur, num. 67. (qui prave in margine ejus Admonitionis eſt num. 66.) Jeremiae locum capitis XVII. 1. ex hodierna Vulgata citari, ne id quidem verum eſt. In hodierno interprete ſic caput illud incipit: *Peccatum Juda ſcriptum eſt STYLO ferreo IN ungue adamantino*. At in Apologia hac ſatis varietatis eſt, cur locum ex Vulgata hodierna arreptum negem. Nam variatur hoc modo: *GRAPHIO ferreo ET ungue adamantino*. Deinde quod in ſubjecta Nota addunt, Ambroſiana Scripturae teſtimonia conſueviſſe cum LXX. convenire, & apud hos tamen deeſſe id totum initium; reſpondetur, non raro Ambroſiana ſcripturae loca ab LXX. vulgatis diſſidere, & ad alias Seniorum editiones accedere. Haec ipſa porro verba non abſunt a Complutenſi editione, ubi ſcribitur . . *ἐν γραφίῳ σιδηρῷ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ* (h. e. *Graphio ferreo, in ungue adamantino*, plane ut affert hic Apologeta) quae Graeca verba etiam in aliis quibuſdam leguntur editionibus, imo & in Vaticana ſub aſteriſcis.

(8) Sic & lib. X. in Luc. num. 173. *Se Ammaoni & Cleophae ſeorſum jam veſpere demonſtraverat.* Ad quem locum vide Benedictinorum adnotationem, plures alios S. Doctoris locos indicantium, quibus Ammaonem hunc memorat: quem tamen Origenes praefat. ad Joannem vocat *Simeonem*.

(9) Loca Exjoſippi & Ambroſii, quibus Bethſabee *Filia ſeptimi* (ſupple *diei*) vertitur, produximus Par. I. ad 29. Jun. cap. VI. §. 3. Adnot. 675. pag. 851.

(10) Extat ea interpretatio in hac Apologia num. 39. his verbis: *Quod David Hebraei (EXCELSUM) dicunt, Latini HUMILIATUM interpretantur.* Abſurdiſſimus ſane locus, ut a Benedictinis eſt editus. Nam quis hoc fando audivit, unum idemque nomen aliter ab Hebraeis, aliter a Latinis reddi? Imo ſi *David*

Latini

ab Ambrosiana (11) consuetudine alienum reor.

Ex hactenus dictis vides, verum id esse quod initio proposuimus, nempe si nunc primum haec Apologia ex MSS. prodiret ἀδέσποτος; eam tamen ex locutionum, rerumque & characteris consensione fuisse acquirendam Ambrosio: multo vero magis non fore de eo prorsus dubitandum, quandoquidem in scriptis omnibus Ambrosio tribuitur.

Antequam vero ex his discedo; quid illud sibi vult, quod extremo num. 25. scriptum ab hoc Davidico defensore fuit? Ubi praefatus de cruentis veterum sacrificiis, addit: *Posteaquam Christus .... semetipsum pro salute obtulit mundi* (*ut quos taurorum sanguis lavare non poterat*, *Christi sanguis ablueret*) *SEMETIPSOS COEPERUNT OFFERRE PRO HOSTIIS SACERDOTES*. Imo dixisset potius: *Christi corpus & sanguinem coeperunt offerre pro hostiis novi foederis sacerdotes*.

Possem viam expeditissimam ingredi, obtendens, Evangelicos Sacerdotes non tantum Christi corpus sed & una seipsos offerre. Sed & id quoque expeditissimum erit, si dicamus, Mediolanensi non de exteriore ac publico sacerdotio heic sermonem esse, sed de interiore altero, quod ad omnes Christianos peraeque pertinet. De quo Noster lib. II. de Cain & Abel num. 19. *Hoc est vere sacrificium primitivum, quando unusquisque SE offert HOSTIAM, & a se incipit, ut postea munus suum* (in sollemni oblatione ad Altare) *possit offerre*. Vide & ad Ps. 118. serm. 20. n. 55. & alibi.

Tamen neutrum horum exspectationi ingenti respondet, quam commoverat magnus Antistes verbis illis, *Posteaquam Christus .. semetipsum pro salute obtulit mundi, ut quos taurorum sanguis lavare non poterat, Christi sanguis ablueret &c.*

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

Nihil enim satis par exspectationi responderit, si dumtaxat Damasus aut si Ambrosius se ipsos pro tauris in medium oblaturi prosiliant. Equidem quo penitius Ambrosianum ingenium introspicio, hoc arcanius aliquid heic ab eo designatum suspicor. Sed tamen quid vetat hariolationem hanc meam proponere? Aliud heic Noster dicit, aliud in positis jam & concessis habet. Pro confesso hoc sibi sumit, Sacerdotes nostros Christi personam induere, seq. pro Christo gerere. Hoc posito, ubi docet, Sacerdotes semetipsos offerre, tantumdem illud *semetipsos* est, atque ipsum *Christum*, pro quo illi se gerunt. Sive [quod eodem redit] ubi ait, Sacerdotes semetipsos offerre, vult di-

Latini interpretantur *Humiliatum*, non alia de causa sic vertunt quam quia hoc ipsum apud Hebraeos significat. Ergo illud EXCELSUM, quod equidem dedita opera interposui, est prorsus exterminandum, tamquam Ambrosio infestissimum. Ac miror Benedictinos (quibus nefas esse solet a membranarum consensu discedere) heic non solum ab editis omnibus, sed & a maxima MSS. parte secessionem fecerint, ut paucissimos codices sequerentur, in quibus EXCELSUM obtruditur. At hanc vocem, inquiunt, *videntur respicere, quae infra sequuntur*. Verum ibi ab τῷ ῥητῷ εἰς τὸ νοητὸν, sive ab littera ad spiritum transit quo spiritu *David* non alius quam Christus est. *Hic*, inquit, *est qui SIGNIFICATUR David, EXCELSUS per naturam, sed humiliatus per misericordiam* &c. Ubi enim ad Davidem νοητὸν ventum est, ibi jam Excelsi & Humiliati discrimina ex naturarum, non ex linguarum (Hebraicae Latinaeque) diversitate petuntur.

At illud, inquis, quo pacto verum erit, *David* tantumdem esse quod *Humiliatum*? Apud Syros דוך *Daved est Turbare, Perturbare*. Hoc autem bibliorum Latinorum dialecto *Humiliare* dicitur. En cur *David* (qui Hebraice re vera *Dilectum* notat) ex Syrorum (qui etiam Hebraei vocabantur) sermone *Humiliatum* designare aevo illo crederetur. At vero hoc idem *Davidis* nomen si equuleo torseris atque distenderis, nihil profecto extorseris, quo *Excelsum* significet.

(11) Sic *Assyrius* [quae vox apud Ambrosium, ut alibi vidimus, in titulo Ps. LXXV. legebatur] *Vacuum* significat, si Ambrosio credimus. Sed aves non addicunt. Mitto ejusdem modi alia.

dicere: Christus [qui a mortalibus Sacerdotibus geritur] semetipsum quotidie pro hostiis cruentis offert.

Sic quidem augurabar. Verum haud vanum me fuisse haruspicem, ipse me postea admonuit Ambrosius Enarratione in Ps. 38. num. 25. *Vidimus Principem Sacerdotum* (Christum) *ad nos venientem, vidimus & audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum : sequimur ut possumus* [& nos] *Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, at honorabiles sacerdotio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur : immo IPSE OFFERRE manifestatur IN NOBIS, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur*. Ultima Ambrosii verba eo pertinent, ut verba Christi, quibus sanctificantur oblata, nempe illa, *Hoc est corpus meum*, clarissime ostendant, Christum in nobis offerre, & (quod eodem recidit) nos Christi personam sustinere; ac proinde verum esse quod in Apologia David dicitur, sacerdotes semetipsos offerre, pro eo quod tantumdem erat, Christum semetipsum offerre. Postremo tum Enarrationis in Ps.38. tum Apologiae alterius verbis concinit primus Offic. liber cap. 48. n. 248. *Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus, nunc Christus offertur . . & offert se ipse quasi Sacerdos*. Ex his omnibus vides, hunc alterum Davidis defensorem haud plane alium ab Ambrosio fuisse.

DISQUISITIO II.

Qua Benedictinorum facto in expungendis omnibus Ambrosianis sermonibus ad examen revocato, in exemplum Sermo XLVI. inter spurios rejectus adducitur : cum quo saltem ostenditur potuisse clementius agi.

Benedictini monachi, per quos S. Ambrosii egregia editio prodiit, Sermones omnes antehac Mediolanensi tributos (excepto illo De non tradendis basilicis, & altero ad Soror. De reliquiis SS. Gervas. & Protas.) uno falcis ictu reciderunt. Nempe eos partim in totum ex editione sua excluserunt, partim ad calcem Tomi alterius inter adulterinos ablegarunt. At equidem vereor, ne ista severitas nimia nonullis videatur. Quid enim? Cassiodorus lib. De instit. Div. litt. c. 5. homiliarum Ambrosii meminit. Atqui nunc una Benedictinorum subnotatione censoria quidquid Ambrosianarum concionum circumferebatur, deperiit, aut in tomi fines, tamquam in Oasim aut Gyaros, relegatum fuit; eoque ventum, ut non alios sermones scriptos ab nostro Mediolanensi fateantur, quam quos ipse in formam librorum sub certis titulis redegisset.

Nec adeo stipes sum quin fatear, pleramq. eorũ sermonum partem ea nota dignam videri. At nonne praestabat eos tantũ expungere, qui νοθεῖας manifesti essent, ceteros autẽ seorsum inter dubios referre? Sunt autem ex Sermonibus istis exsulibus non pauci, qui tantum aurium (quarum scil. est de stylo & ejusmodi rebus judicare) *superbo judicio*, uti loquitur Cicero, ejectos se conqueruntur. Eo enim referri debet, quoties sive dictionis humilitatem, sive styli dissimilitudinem, sive tractandi rationem ab Ambrosio diversam illi censores causantur. At in iis ipsis operibus omnibus, quae Ambrosio auctori illi vindicarunt, quanta Deus bone! styli ac rerum, quas dixi, omnium diversitas! In sermonibus autem (quorum plurimos ex tempore ab Ambrosio fusos, & notis ab auditoribus exceptos fuisse facile crediderim) qui poterat Mediolanensis eosdem semper illos spiritus ingentes gerere, praesertim siquando viribus, & animo concidisset, aut vox hebetior (quod illi usu veniebat) quominus incalesceret, obstitisset? Atque haec non eam in partem dicta velim, quasi si ipse sermones hosce ad trutinam revocassem; vix enim unum & alterum ex iis legi : ex quorum lectione animadverti, potuisse eos duos aut Ambrosio vindicari, aut, quod facilius fuit, inter dubios referri. Ac sane proderit ex duobus, quos modo dixi, unum speciminis heic gratia proponere.

Est

Eſt ergo in Appendice Ambroſianorum ſermonum Benedictina Sermo XLVI.qui incipit, *Mirum ſane eſt*, quo locus Proverb. XXX. 19. explanatur: cui meo judicio parci interim poterat, nec loco moveri, tantiſper ſaltem donec certius aliquid de eo afferretur. Quid enim? In ſuperioribus editionibus id opuſculum in Ambroſiano cenſu numerabatur, certe quod antiquiores editores illud in Mſs. Ambroſio tributum repererant. Aſſerendum igitur ſancto Antiſtiti ex edicto *Vti poſſidetis* illud idem fuerat; nec *νοθείας* damnandum, niſi certioribus argumentis de ſuppoſitione conſtaret, quam una illa ratione quod Eraſmus (qui tamen ceteroqui in eo elegantiam demiratur) ſtyli diſcrepantiam ab Ambroſiano notaverit: maxime quum Mediolanenſis non idem ubiq. dicendi genus prae ſe ferat.

Jam vero ſi de dictione lis eſt; Hermannus ſtyli diverſitatem, quam praetexunt, diffitetur. Quivis vero in Ambroſii lectione verſatus ſtatim in eo libello orationis ſublimitatem Ambroſio parem, & Ambroſianam verborum diſpoſitionem deprehendet. Adhaec plures in eodem leguntur locutiones Mediolanenſi aut perpetuae aut familiares: cujuſmodi illud eſt quod n. 4. v.1. *Lectio* eſt Scripturae teſtimonium: de quo ad 29. Jun.[Par.I. pag. 812.Adnot.641.]plura notavimus.Adhaec mere Ambroſianum eſt illud *Alarum remigium* quod num.5. de aquila ſic eleganter uſurpat: *Quos dum in aere alarum remigio ſubvectando ſupportat*: cujus ſimilia loca ſup. in Ambroſiano Gloſſario Adnot. 719. produximus. Adde illud eod. num.5. *Quaſi Aquila* (Chriſtus) *REVOLAVIT ad Patrem*: de quo confer quae diximus ibid. pag.845.col.1. & in Adnot. IV. Sic & illud num. 10. *Eccleſiam in SALO mundi hujus conſtitutam*, Ambroſianum eſſe, facile poſſem oſtendere. Ac ne minutiora perſequar. num. 11. ſic incipit: *Inde Montani antra latratu falſi CARMINIS reſonant*. Ubi ejus ſectae prophetias *falſum carmen* more Ambroſiano vocat. De *Carminis* voce apud Ambroſium notavi plura ad 29. Jun. ad Exjoſippi narrationem de S. Petri cum Simone conflictu. Sequitur: *Qui duabus feminis prophetiſſis, Priſcillae & Maximillae tamquam alicujus Scyllae rabidis ſuccinctus eſt canibus*. Id vero peculiare Ambroſio fuit, ut Virgilium ubilibet imitaretur: qui Ecl.VI. *Succinctam latrantibus monſtris* Scyllam dixit; & in Ciri, *Scylla rapax canibus ſuccincta*.

Ad haec praeter Ambroſianae dictionis ſimilitudinem, nihil in eo libello non antiquum, nihil quod Mediolanenſem dedeceat: Scripturarum loca ex Italica vetere producuntur; quae paſſim ex Ambroſiani ingenii methodo captuq. explanantur. Poſtremo quae in hoc libello de aquila pullos probante, de Rahab meretrice, deq. cocco figuram paſſionis Chriſti praeferente dicuntur, ſimillima iis ſunt quae eiſdem ſententiis in confeſſis Ambroſii operibus uſurpantur: qui in tritas ſibi ſemitas amat ſaepius eloquendo recurrere. De aquila pullos probante vide Hexa. l. V. n. 60. & in Ps.118. ſerm. 19. n. 13. De Rahab ubi non loquitur? De cocco Paſſionis Dominicae colorem imitante agit lib. III. in Luc. n. 24. & alibi pluries.

Poterat igitur hic libellus inter Ambroſiana retineri, eodem ſaltem jure, quo dubia quaedam opuſcula ex eo cenſu minime detraxerunt, contenti admonuiſſe lectorem, eſſe quod de *γνησιότητι* dubitetur.Nam quod num.15. inter Chriſti miracula hoc recenſetur, quod *largum ſanguinis fluxum ſiccat in Martha*; neminem id offendere debet, qui reputaverit, multas fuiſſe narrationes ex antiquorum traditione tranſmiſſas. At, inquiunt, Ambroſius dum lib. VI. in Luc. num.56. & ſeq. mulieris haemorrhoiſſae hiſtoriam tractat, de Martha verbum nullum facit. Verum de Martha ne id negat quidem. Poteſt & hoc reſponderi, fluxum ſanguinis in S. Martha ſiccatum ex mente hujus auctoris fuiſſe miraculum ex veterum opinione notum, & aliud ab illo celebri, quod refert Lucas de muliere

 hae-

haemorrhoissa, cujus etiam Eusebius & Sozomenus meminerunt.

DISQUISITIO III.
De auctore Actorum S. Sebastiani Martyris.

Duplici in loco de hujus historiae auctore egimus. Nam primum ad diem 18. Junii cap. 2. §. 1. pag. 675. dum in hoc opusculum commentarer, illud S. Ambrosio videri abjudicandum ob styli dissimilitudinem probabilius censui. At vero deinde ad 29. Junii (Parte I. cap. V. §.2. Adnot. 671. ad finem pag. 847.) accuratius de vero ejusdem auctore judicium in alium locum, huc nempe, distuli. Utrobique vero ex Bollando anonymi monachi auctoritatem protulimus, qui in historia Translationis reliquiarum S. Sebastiani in S. Medardi monasterium, antiqua haec S. Sebastiani Acta non dubitavit S. Ambrosio disertim tribuere. Sed sciendum est, monachum hunc (quem Bollandus pro anonymo, & quidem IX saeculi scriptore habuit) fuisse non alium quam Odilonem quemdam, Suessionensis S. Medardi monasterii monachum, qui ineunte X. saeculo claruit: id quod Mabillonius (12) certissime ostendit.

I. Quum ergo Odilo (scriptor minime ineptus) haec de quibus quaerimus Acta citra [13] ambages Ambrosio Mediolanensi asserat; id argumento est, eo saeculo S. Sebastiani historiam ab omnibus passim pro Ambrosiana agnitam, & Ambrosii nomen in fronte praetulisse: cui testificationi grave est contradicere. Ergo si veterum auctoritatem sequimur, ea Ambrosio suffragatur.

II. Altera sequitur criterii ratio ab stylo petita. Fatendum est vero stylum horum Actorum ab Ambrosiano haud parum distare: de quo confer quae ad XVIII. Junii loc. cit. diximus, quae nolo heic recoquere. Fassus id quidem ibi fui, & nunc iterum fateor. Verum ne illud quidem negari ab viris in terendo Ambrosio exercitatis potest, S. Antistitis stylum non uniusmodi sed multiplicem deprehendi, imo in iis etiam interdum operibus quae eodem ferme tempore ab eo prodierunt. Quanto id magis in iis lucubrationibus procedet, quae ab juniore Ambrosio emissae fuerunt? de quo confer quae notavi ad 29. Junii Par. I. cap. 5 Nam profecto si haec acta ab S. Ambrosio elucubrata fuerunt; ab eo adhuc aetate tenera profecta oportet. Certe longior illa a cap. III. ad VI. S. Sebastiani concio juvenilem aetatem & studium sese exercentis sapit. In hisce μελέταις juvenes tunc temporis proludebant; & nacti aliquod idoneum argumentum, in eo quantum possent, ornando atque amplificando mirifice desudabant. Huic vero dilatandarum ὑποθέσεων consuetudini quantopere juvenis Ambrosius affixus fuerit, Exjosippus (qui uti certissime demonstravimus, haud alius quam Ambrosius adolescens fuit) declarat; qui saepenumero ex brevioribus Graecis Josephi concionibus Latinas longiores dedit. Vide prae ceteris lib. V. cap. 2. Exjosippi quam longissimam de Hierosolymitano excidio lamentationem: quae tamen apud Josephum lib. V. cap. 1. num. 3. sex non amplius septemve versibus tota absolvitur. Rursus idem Exjosippus extre-

(12) Vide Mabill. Annal. Bened. lib. 29. ad ann. 826. [in quem ea translatio incidit] cap. 85. *Quem* [librum de translatione illa scriptum Odilo] *Ingranno decano S. Medardi ineunte saec. X. nuncupavit.* Eaque Odilonis dedicatio (ex qua nomen auctoris innotuit, quaque Bollandi Ms. carebat) ab eodem publicata fuit Parte I. saec. IV. Bened. pag. 385. & seq.

(13) In historia Translationis S. Sebastiani ab Odilone scripta legitur num. 23. non fuisse laborandum in inquirendo reliquiarum loco. *Siquidem*, inquit, *ex serie passionis ejus* (Sebastiani) *a S. Ambrosio luculenter editae didicerant, milliario tertio ab Urbe, loco qui ob stationem navium CATACUMBAS dicebatur* [de hac etymologia vide dicta ad 29. Junii in Auctario cap. 2. §. 2.] *praecepisse per visum eumd. beatiss. Martyrem Lucinae cuidam matronae sepeliri se ad vestigia Apostolorum Petri & Pauli.* Quae confer cum iis quae in S. Sebastiani passione num. 88. scribuntur.

extremo lib. V. Eleazari de consciscenda morte suasionem ex brevi apud Josephum argumento quam latissime diduxit. Idem plane & in S. Sebastiani historia factitatum: cujus conciones haud dubium est ab ingenio scriptoris esse profectas; quod tum ex nimia longitudine S. Sebastiani orationis a cap. III. ad VI. tum ex eo quoque potest intelligi, quod quae num. 55. & 56. S. Polycarpus de mathematicorum vanitate concionans inducitur, ea scriptor totidem verbis ex Origene (qui eadem ex Recognitionibus Clement. hauserat) est interpretatus : ut infra ostendetur. Atqui re vera eadem Polycarpum sive ex Recognitionibus, sive ex Origene memoriter recitasse, stultissimum est cogitare.

Dixeris, plurimum de hujus historiae fidelitate decessurum, si quidem conciones fictitiae fuerint. Atqui equidem non funditus falsas, sed tantum ex brevioribus argumentis, quae in Actis antiquioribus erant, amplificatas esse dixi, & Exjosippi concionum exemplo confirmavi. Ceterum ne haec qualiscumque licentia fraudi esset veritati, scriptor satis praecavit per illud intercalare, *Haec & his similia dum prosequeretur* &c. quod in hac historia [14] frequentissime haud minus atque in Clementis ἀναγνωρισμῷ reperitur.

Itaq. utrum styli dissimilitudo impedimento futura sit, ne hic fetus ab juvene Ambrosio sit editus, etiam atque etiam considerandum est : praesertim quum hujus Passionis stylus interdum Exjosippum h. e. Ambrosium juvenem mirifice referat : cujus rei egregium specimen inferne (15) subjeci. Quid quod in hoc ipso opusculo stylus mirifice variat? Nam auctor in narrationibus modo in paene justi historiographi cothurnum sese attollit, modo ad consuetam passionum Martyrum simplicitatem sese demittit : quod alterum ibi credo maxime fecit, quoties non (16) raro antiquiora acta κατὰ πόδα de-

(14) Hoc loquendi genus in Actis S. Sebastiani legitur n. 7. v. 1. num. 29. v. 1. num. 30. & num. 31. v. antep. num. 55. post medium : num. 67. v. 1. ac fortassis alibi. Idem temperamenti genus in Recognitionib. totis paginis, adhibetur.

(15) Confer si lubet totam Tranquillini expostulationem, qua erga filios Marcum & Marcellianum utitur, cum illa longissima Exjosippi lamentatione lib. V. cap. 2: haud dubito, quin ab eodem utramque calamo profectam statuas. Tranquillini quidem conquerentis extremae eae voces sunt: *Venite huc senes, & mecum super filios plangite .. Venite huc juvenes, & flete super* (hos) *juvenes sponte pereuntes. Huc accedite patres, & prohibete talia, ne talia patiamini. Deficite plorando oculi mei, & caliginem obducite, fundentes flumina lacrymarum ...* Sunt haec quidem satis puerilia Ambrosii pueri proludia : at ne illa quidem sunt prorsus virilia, quae juvenis Ambrosius in V. Exjosippi libro cap. 2. sub initium, eodem schemate, quo olim in Sebastiani Passione usus, lamentatur. *Exsurge nunc Moyses, & vide gentem tuam .. perire manibus suis. Aspice* &c. *Exsurge Aaron* &c. *Suscitare & tu, Jesu Nave, qui* &c. *Suscitare David* &c. *Suscitare Helisaee, qui* &c.

(16) Cujusmodi illa sunt ubi n. 35. & deinceps, ordo nominum datorum exponitur; & qualia plura fragmenta, opinor, supersunt a num. 65. ad finem usque. Quam porro sunt illa plena simplicitatis num. 85. *Tunc iratus Diocletianus jussit eum* (Sebastianum) .. *ligari quasi signum ad sagittam. Tunc .. eum ita sagittis repleverunt, ut quasi ericius ita esset hirsutus... Tunc relicta martyris Castuli Zetarii, nomine Irene* &c. illum curavit. Num. 88. *Tunc jussit eum in hippodromo palatii duci, & tamdiu fustigari, quamdiu spiritum exhalaret. Tunc tulerunt corpus ejus .. dicentes, ne forte Christiani eum sibi Martyrem faciant. Tunc B. Sebastianus apparuit S. Lucinae .. dicens: In cloaca illa, quae est juxta Circum, invenies corpus meum pendens in gompho. Hoc tu dum levaveris, perduces ad Catacumbas, & sepelies in initio cryptae juxta Vestigia Apostolorum. Tunc B. Lucina .. eum posuit in pavone suo* [genus vehiculi est] *et ... sepelivit*. Quorum mira simplicitas non potest non ex antiquioribus Actis integra in hanc S. Ambrosii scriptionem redundasse. Ad eamdem simplicitatem antiquiorum actorum refer, quod tot numero periodi paene continenti serie a TUNC semper incipiant. Par est repetitio in Actis SS. Hippolyti & soc. (apud Baron. ad an. 259.) extremo num. XV. *TUNC jussit judex omnes in custodia publica poni .... TUNC .. fustibus caedebantur. TUNC beata Paulina .. reddidit Deo spiritum.*

descripsit. Quin & in ipsis concionibus, in quibus liberas juvenili ingenio habenas auctor permisit, saepe quidem pleniore alveo fluit, ibiq. maxime ubi collocutoris dignitas eloquentiam requirit: contra vero, ubi res aliud poscit, exiliter ac simpliciter in morem verbalium actorum partes interloquentes facit. Hinc ubi S. Tiburtius in Torquatum Pseudo-Christianum & sub ovina pelle lupum invehitur, quia is adolescens sese ad causidicinam comparans, haud segniter eloquentiae studuerat (uti legitur num. 62. unde etiam num. 77. v. 5. idem Tiburtius *Vir scholasticissimus* appellatur) ideo decori gratia is juvenis nerviplenissima, quaeq. vix aliunde quam ab Ambrosiana vehementia fuerint exspectanda, contorquens inducitur: quorum partem inferne [17] ad specimen adscripsi. Ne Ambrosiana quidem hyperbata ab hoc libello prorsus abesse [18] reperio. Ac de stylo hactenus.

III. Sequitur tertia ferendi de his judicii ratio, quae in locutionibus Ambrosio peculiaribus vertitur: qua maxime methodo Exjosippi Hierosolymitanum excidium [ad 29. Junii Parte I.] Ambrosio vindicavimus. Scatent ne igitur haec acta iis loquendi modis, quos sive Exjosippo sive Ambrosio fuisse familiares novimus?

(17) Inter cetera num. 79. de Torquato haec judici S. Tiburtius fundit: *Reprehendebam tamen in eo Cyclopeam edacitatem, & mersum vino pudorem, & sepultam divini nominis sanctitatem. Ebrius patiebatur sitim; & esuriem* [supple *patiebatur*] *vomens: nec ut Christianus, sed ut Antonianus quondam ille conviva* [h. e. ipse Antonius, de quo in Philippicis] *manducabat, bibebat, vomebat; & nunc Christianos arguit, Christianos accusat, in nos mitem judicem incitat, gladium nolenti judici porrigit, & ut daemoniis cervices nostras inclinemus hortatur.* Hactenus de Torquato ad praefectum: mox statim ad ipsum Torquatum versus, invehitur. *Videmus votum tuum, videmus cruenta consilia; & scelerata arte verborum, venena tui pectoris intuemur. Accingere nunc, crudelissime: utere carnificis officio: vendica tibi & ipsius judicis vocem: applica equuleos: suspende Christianos: damna, percute, incende: universa tormenta adhibe. Bene nos accepisti.* Haec quidem mere Ambrosiana sunt: at quae statim sequuntur incisa densissima [in quibus minus verborum jactat, quam quae animo ingerit] vix est ut ab alterius quam ab usitato Ambrosii acumine profecta sperem. Sic enim Tiburtius in Torquatum pergit. *Si exsilium minaris; hoc philosophantibus totus est mundus: si supplicium; evadimus mundi carcerem* [h. e. vel sic etiam pulchre est, quod ea ratione ex hoc carcere evadimus]: *si ignes; majora horum* (ignium) *in cupiditatibus* (assidue) *vincimus. Decerne quidquid libet: omnis nobis vilis est poena, ubi pura comes est conscientia.*

(18) Hyperbata Ambrosiana ea intelligo, quoties adjectivum ab suo substantivo, aut genitivus a regente casu justo longius removetur: cujusmodi exempla [ad 29. Jun. ubi Ambrosium cum Exjosippo comparabam] plurima protuli. Hac quidem parte, fateor, S. Sebastiani Passio parum Ambrosiana videtur. Tamen ne Exjosippus quidem [qui tamen certo certius ab Ambrosio juvene scriptus fuit] his transpositionibus scatet: ut plane mihi videatur non nisi aetate provectior iis nimium delectatus. Sicuti autem loco cit. quaedam Ambrosianae verborum structurae specimina ex Excidio Exjosippi protuli, sic quaedam etiam ex hoc Martyrio proferam; ne hac parte Sebastiani passio ab Ambrosio prorsus abhorrere videatur. Exempli causa proponantur num. 32. Claudii ad Nicostratum monita: *Hac de causa SVIS te jussit praefectus ASPECTIBVS praesentari. Vide QVALE debeas interrogatus dare RESPONSVM.* Mox ibid. Nicostratus ad praefectum: *Amplitudinis vestrae jussu CHRISTIANAS intra domum meam custodiendas suscepi* PERSONAS. Ac statim: *REORVM illos feci sociari PERSONIS.* Adhaec num. 48. Chromatius ad S. Polycarpum inter cetera ait: *Si.. MEI fuerint membra CORPORIS resoluta.* Num. 55. medio: *Aut IMMOBILIS circa te exstitit CVRSVS in stellis.* Mox: *RATIONIS tibi verisimile assignare nititur ALIQVID, & probare.* Qui locus non tantum genitivum a regente casu, sed & unum verbum a suo socio longius divellit: *Assignare... & probare*: cujus structurae Ambrosianae exempla in superiore Disquis. protuli in fine Adnot. 6. Ex his vides Ambrosianae trajectionis exempla, etsi in hoc libello aeque atque in Exjosippo parciora sunt, hinc tamen haud prorsus abesse, nec impedire quin haec Acta Ambrosius scripserit.

vimus? Non scatent quidem: nam forsitan adolescentior tunc temporis erat Ambrosius, quam ut longo studio ac lectione illam locutionum sibi amicissimarum farraginem fecisset sibi propriam, eumque scribendi characterem, qui pro stylo Ambrosiano habetur, sibi longo usu arrogasset. Etsi vero non scatent; tamen ne hasce quidem locutiones in hac historia deesse, indiculus [19] subjectus ostendet,

IV.

(19) *Hujus Passionis dictio contra Tillemontii reprehensiones defenditur. GLVTO probum esse vocabulum; eoque usum fuisse Ambrosium in sermone haud manifesto* νοθείας. *SCHOLASTICISSIMVS pulchre usurpatur. De ceteris hujus Passionis Ambrosianis locutionibus. CHRISTIANISSIMVS. VEL pro Saltem. EXCLVDO pro Extinguo.* Vulnus *pro Vlcere.* Mereo *pro Obtineo.* Caespes *pro Agro.* Redhibeo. Barbari *pro hostibus.* Orbis Romanus. Non otiosum. LECTIO *pro testimonio. Baptismalium renuntiationum acta verbalia excepta & asservata fuisse, obiter ostenditur.* Halantes odoribus. Esto quod. Depono *pro* demitto. *PRAECANTO in bonam partem acceptum.* Quod nati sumus: quod te natura dictavit. *LEVARE pro eo quod est Efferre ad sepulturam. Hemistichia Maronis, et ejusdem imitationes in his Actis more Ambrosiano. Horum actorum locus corrigitur. Quid proprie sint RECIDIVA, ex antiquis ostenditur. Adhaec* VOLVTANS *pro* Volutatus. Appareo *pro Ministro. IOVIS recto casu.* IPSE *pro* Idem. *AC SI pro Quasi.*

Tillemontius in S. Sebastiano Not. 2. quasdam initio locutiones ex hac Passione decerpit, quas Ambrosii elegantiae, aut aevo parum congruas credidit; veluti INCREMENTVM pro *filio*, SCHOLASTICISSIMVS pro *eloquentissimo*, GLVTO pro *gulae dedito*, EPISCOPORVM EPISCOPVS tamquam Romani Pontificis titulum. At vero nos, quum ad haec Acta commentaremur [ad 18. Junii pag. 677.] has easdem locutiones defendimus. At de GLVTONIS vocabulo tunc supersedimus, quo in his Actis utens S. Sebastianus inducitur num. 10. *Ipsa* (vita praesens) *dat edacitatem glutonibus, ipsa ebrietatem ingerit temulentis* &c. Quocirca; erit heic animadvertendum, eam Ambrosio non indignam videri vocem, quam tanto antea Festus memorasset in INGLVVIES; praesertim quum Ambrosius vetustis nominibus mire capiatur. Quid quod haec eadem dictio in Ambrosiano sermone XLIV. in edit. Rom. legitur? *Patet*, inquit, *quod diabolus non diligit filios suos, sed odit; quia non amat, nisi ut perdat; sicut amat GLVTO porcellum, ut comedat.* In deliciis enim antiquos habuisse porcellum, nemo ignorat. At enim, inquis, Benedictini hunc sermonem Ambrosio abjudicarunt, atque in Appendicem inter spurios rejecerunt, *dictionis humilitatem* causati. Quasi si necesse sit, Ambrosium sibi semper aequalem decurrere; nec umquam [praesertim ubi ex tempore concionaretur, & interim corpore animoque languesceret] consuetos illos spiritus intermisisse. Vide quae initio Disquis. 2. modo praefabar. Interim Benedictini ipsi de hoc sermone [qui est in Appendice num. XXX.] praenotant, cum Decreti Gratiani editores in Vaticanis codicib. Ambrosio tributum reperisse. Ergo vox GLVTO aut Ambrosiana est, si quidem Sermo ille ab Ambrosio prodiit; aut si hic inter νοθευομένους est rejiciendus, saltem eadem dictio erit ingenio Ambrosii, voces antiquas affectantis, non indigna.

Porro de SCHOLASTICISSIMVS praeter ea quae pag. 677. attigi, vide Cangium atque Suiceri Thesaurum. Quibus adde quod junior Plinius *Scholasticas & umbraticas litteras* memorat, quales sunt ad eloquentiam sese exercentis; sicuti & Plutarchus σχολαστικὰς μελέτας, *scholasticas declamationes*. Nec porro superlativus gradus in eo vocabulo offendat, quum sciamus Ambrosium tum in his Actis, tum in confessis operibus suis a *Christianus* fecisse *Christianissimus*: de quo infra dicam. Hactenus Tillemontio satis fecimus: venio ad horum Actorum locutiones plane Ambrosianas.

Ac primum quidem iis non immorabor, quae ita auctor hujus historiae cum Ambrosio communia habet, ut aliis etiam ejusdem aetatis usurpata fuisse videantur. Cujusmodi est QVASSARI aut FATIGARI *morbo*, *doloribus* &c. INTIMARE alicui pro *Admoneo* aut *Certiorem facio*: INTENTIO pro *Scopo*, aut *consilio* [ut num. 45. v. 2. *Ab hac intentione tolleres*] ACCERSIRE pro *Arcessere*, DERELINQVO pro *Relinquo*, & ejusdem generis non pauca. Haec inquam non moror.

At illa sunt paulo Ambrosii ἰδιώματα. CHRISTIANISSIMVS, quod saepe Mediolanensis viris principibus arrogat; itemque hic auctor eo semper elogio Sebastianum donat [ut num. 1. v. 1. num. 9. v. 5. & 33. v. 4. & 69. v. 7.] certe quod quum esset tribunus primae cohortis & maximae auctoritatis, pietate illustrior

erat,

erat. Huc referri potest particula VEL pro *saltem* veterib. JCtis, itemque Ambrosio & Exjosippo amica, sicuti & huic auctori [ut num. 5. v. ult. *Vel admoniti mementote*] itemque EXCLUDO pro *Extinguo* aut *Aufero*, quod in hisce Actis frequens aeque atque in Ambrosianis operibus est. Adhaec SEDULUS ea notione, quam explicuit Gronovius in Monobiblo: qua etiam hic auctor num. 2. utitur. VULNERA pro *ulceribus* hic scriptor num. 34. & 36. usurpavit, sicuti etiam passim Exjosippus & Ambrosius. Hic idem num. 22. *Possessiones sidereas*, sicuti & n. 84. *Siderea regna*: quae sunt Ambrosianae consuetudinis. MEREO Ambrosius pro *Nanciscor*, *Obtineo* usurpabat [ut de fide resurr. *Post usum vota fastidio sunt, & quae mereri optavimus, cum meruerimus, abdicamus*] itemque in his Actis n. 37. v. 3. *Dilationi, quam* (martyres) *meruerant*. Hic idem num. 66. *Lati caespitis* [h. e. latifundiorum] *dominus*. Nec aliter Ambrosius de Nabuthe num. 5. *Caespitem* pro agro usurpavit: *Iste* (Nabuthe) *angusti soli caespitem possidebat*. Verbum REDHIBEO, quod Exjosippo & Ambrosio amicum fuisse ad 29. Jun. Part. I. ostendimus, haec Acta usurpant num. 84. v. 4. *Quousque diis debitum redhibeatis officium*. Atque haec quidem & siqua sunt alia, Ambrosio (ut ipsemet scil. auctor horum Actorum esse quiverit) adstipulantur quidem, sed non plane cogunt. .

At vero quae porro addam, si minus compellunt, at plane urgent. Amat Ambrosius itemque Exjosippus hostes universos cujuslibet generis BARBAROS nuncupare: cujus usurpationis exempla Disquisitione 1. Adnot. 5. protulimus. Haud aliter vero in his Actis num. 16. post medium: *Si transires per medias acies barbarorum*: Mox: *Barbari insidiantur*. Postremo v. penult. Quid *barbaros* vocaverit, ipsemet scriptor explicat dicens, *Te ipsum ab hostibus liberaret*. Adhaec Romanum imperium haud aliter Exjosippo & Ambrosio quam ROMANUS ORBIS vocatur; ut & in hac historia num. 42. bis; & num. 85. v. 9. Jam vero quod ibid. nu. 56. v. antep. scribitur, *Et hoc nolo ut OTIOSUM existimes, quod* &c. apud Ambrosium chartis omnibus millies legitur, maxime ubi in explanandis Scripturis sollemne illud usurpat, *Nec otiose* &c. Praeterea quid magis Ambrosianum, quam LECTIO pro *testimonio*? de quo vide dicta in eod. Ambrosiano glossario inter legales locutiones. At ne hoc quidem abest ab hac Passione: cujus num. 61. v. 3. scribitur: *Quam plenissimae fidei fuerit* (Chromatius) *quamque acris ingenii . . sequens LECTIO manifestat*. Ubi *Lectionem* non aliud vocat, quam testimonium, quod ex actis verbalibus baptismalium interrogationum [quae acta a notariis excepta atque asservata fuisse hinc constat] statim idem hic scriptor sic recitat: *Interrogatus, si crederet, dixit, CREDO. Iterum interrogatus, utrum abrenuntiaret omnibus idolis, respondit, ABRENUNTIO. Prosecuta est interrogatio sacerdotis, utrum renuntiaret omnibus peccatis. At ille ait: Ista prius debuisti inquirere, antequam has aulas Regis caelorum intrarem*. Obiter hinc discis, in Occidente Renuntiationis ritum intra Baptisterium, non extra ut in Oriente, fuisse peractum. Pergit Chromatius. *Nunc autem reinduam*. Nam ante Renuntiationes exteriora vestimenta & calceos deposuerat, tunica sola [quam tantum in lavacrum descensurus deponebat, uti constat ex Cyrilli Catech. Mystag. 2. cap. 2.] indutus. Pergit ergo Chromatius. *Nunc autem reinduam me non* (dum) *baptizatus, ut omnibus prius, quibus sum iratus, indulgeam: omnibus debitoribus meis chirographa restituam: si cui aliquid violenter abstuli, integrum restitui praecipiam*. Et quae plura sequuntur: quorum quasi judicialium actorum recitatio, huic scriptori haud secus, atque Ambrosio (utpote diu in tribunalibus volutato) *Lectio*, forensi locutione, nuncupatur. Plane dignus animadversione locus: ex quo acta baptismalia perscripta & custodita fuisse, modo adnotabam.

Age vero sunt illa quoque mere Ambrosiana, etsi paullo leviora, quod num. 13. *HALANTES campi . . odoribus*, scribitur: & quod num. 13. v. 4. ESTO QUOD [h. e. licet] usurpatur: pro quo Ambrosius Apologia David altera, & alibi, ESTO UT. Adhaec vero quid magis Ambrosianum quam DEPONO pro *Demitto*? At in his quoque Actis num. 53. v. 1. *Nolite vosmetipsos ad hanc injuriam deponere*. Item num. 56. v. 5. *Alter ad mendicitatem deponitur, ascendit alter ad regnum*. Illud vero paene singulare, quod num. 71. S. Tiburtius ait: *Permittite me PRAECANTARE ei* (qui ex alto delapsus, videbatur exanimatus) *forsitan recuperabit sanitatem*. Ubi *praecantandi* verbum, alioqui magicum, meliorem in partem accipitur; nam certe orationem Dominicam & Symbolum supra ejus vulnera recitans, sanitatem exanimato tribuit. Nec aliter Ambrosius Hexa. lib. IV. num. 33. *Nihil incantatores valent, ubi Christi canticum quotidie decantatur. Habet* (Ecclesia) *INCANTATOREM suum Dominum Jesum, per quem magorum incantantium carmina . . evacuavit*.

His

His adde & illud Ambrosio ἰδιώτατον loquendi genus, *Quod nascimur* &c. ut: *Prius est quod nati sumus, quam quod* (postea) *effecti. Victus sim licet bello, manebo tamen* (id) *quod natus sum*. Cujusmodi ex Ambrosio & Exjosippo exempla multa Gronovius Monob. pag. 16. protulit, sed longe plura afferri possint. Nec aliter haec Passio num. 46. *Numquid.. possunt* (latrantes canes) *nobis de animo tollere hoc, quod nos homines sumus rationabiles* &c. Quod brevius Ambrosius, judicio maturior: *Quod nati sumus*. In eamdem sententiam in his Actis n. 80. initio: *Fabianus praefectus dixit:.. Hoc esto, quod te natura dictavit*.

Porro ne id quidem omittam, quod in his Actis bis verbum LEVO reperitur pro eo quod est *Effero ad* sepulturam: semel num. 88. ubi Sebastianus Lucinae ait, *Hoc* (corpus) *tu dum levaveris, perduces ad Catacumbas*: rursus num. 89. *Lucina.. levans eum* (Sebastianum) *posuit in pavone* [genus lecticae est] *suo*. At id verbum ea notione [quae postea Christianis frequens evasit] primus forsitan usurpaverat Ambrosius lib. de Tobia cap. 10. num. 37. *Jussi*, inquit, *LEVARI corpus* [defuncti debitoris] *& ad foeneratoris domum exsequiarum ordinem duci*. Legesis ibi lepidissimum Ambrosii factum. De hac verbi LEVO notione vide quae dixi inter Additiones, nempe ad pag. XXXI. Diatribae praeliminaris.

Illud nescio cur mente effluxerat, quod hujus opusculi auctor Ambrosianum in morem haud raro Virgilianus est. Nec enim solum hemistichia Maronis, uti Mediolanensis, usurpat [cujusmodi illud est num. 41. *Juno quod ET SOROR ET CONIVX fuerit, gloriatur; & RAPTI GANYMEDIS HONOR turpissimus... non negatur*] verum etiam quod interdum Virgilianas locutiones aucupatur. Tale enim illud est, quod sicuti Ambrosius post vatem suum saepissime VICTRICIA neutraliter usurpavit; haud secus haec Acta num. 9. Qui locus his verbis paullo ante finem sectionis concipitur: *Nolite* (inquit S. Sebastianus adhortans martyres).. *subjectas pedibus vestris hostis devicti cervices ad victricia & rediviva iterum bella laxare*. Quem locum eo integrum adscripsi, ut ex Ambrosii [qui ipse hujus Passionis auctor, ut dixi, fuit] similibus aliis corrigam. Ergo Ambrosius in Exjosippo suo non *rediviva* sed *recidiva bella* scribere amat. Vt I. Excidii 22. *Aristobulus in Judaea recidiva sibi bella parare tentaverat*. Et lib. III. cap. ult. *Recidiva praelia resuscitare*. In quo pro more Ambrosius Maronem est imitatus: cui *Recidiva* sunt *Renascentia*. Nam illud X. Aen. 58. *Recidiva Pergama*, Servius interpretatur, post casum renascentia; idemque repetit ad IV. Aen. 344. & VII. 322. At nostri nunc homines eum definiunt *Recidivum*, qui rursum cadit. Non ita: sed qui post casum resurgit aut reparatur. Hinc Tertullianus de resurr. carnis c. 18. *Scripturae recidivatum* (i.e. resurrectionem) *carnis pollicentur*. Ibid. cap. 30. eadem notione, *Recidivatus Judaici status*. Nec alio sensu ibid. cap. 1. ex mente Pythagoreorum *Recidivatum animae* usurpavit. Sicut & alibi eod. significatu, *Recidiva memoria: Recidiva anni fides: Recidiva est universa conditio*. Pulchre etiam de pudic. c. 16. *Sylvam libidinum caedat, & eradicet, & excaudicet, ne quidquam de recidivo* [h. e. de stolonum renascentium sobole] *fruticare permittat*. Servio enim l. cit. ad X. Aen. *Recidiva proprie in arborib. sunt, quae secta repullulant*. Ob eam causam in recitato Actor. S. Sebastiani loco *Recidiva* [more Tertulliani & Ambrosii] quam *rediviva bella*, malim. Praesertim quia Charisius ita inter utrumque distinguit, quod *Recidiva* dicuntur quae post casum, *Rediviva* quae post interitum resurgunt. At in hoc Actorum loco hostes victi ceciderant, non penitus interierant.

Illud quoque Virgilianae consuetudinis est, quod sicuti Maro in III. Aen. v. 607. VOLVTANS παθητικῶς usurpavit: *Et genua amplexus, genibusque volutans* (pro *Volutatus*) *Haerebat*: sic etiam in his Actis num. 44. *Si hodie annulum tuum.. videas in cloaca aut in sterquilinio volutantem*. Sic & Tertullianus consueverat. Apol. cap. 40. *Nos vero jejuniis aridi.. in sacco & cinere volutantes*. Extremo lib. 2. ad Nat. *Sors temporum ita volutat*. In III. adv. Marcion. c. 18. *Facie humi volutante*.

Ad summam animadverti, Latinorum verborum retrusas notiones [quas Ambrosium fuisse consectatum, ad 29. Junii Par. I. in Glossario Ambrosiano demonstravi] ne adolescenti quidem Ambrosio, dum stylo simpliciore in S. Sebastiani Passione sese exerceret, fuisse prorsus inusitatas; non ita tamen ut eas ultro adsciisceret, sed ut se offerentes haud semper rejiceret. Cujusmodi illud est num. 82. v. antep. *Et in eodem loco* (S. Tiburtius) *APPARENTE quodam Christiano sepultus est*. Vbi *Apparere* non est sese videndum offerre [nec enim mortuo vivus per visum comparet] sed est officii causa praesto adesse: qua notione Cicero, Livius, Corn. Nepos, Virgilius, Seneca, & quis non? id verbum usurpabant: quae notio etiam Tertulliano percara fuit, ut quum

alibi

IV. Postremo quarta relinquitur κρισεως ratio ex familiaribus Ambrosio sententiis petitum. Et quamvis a tantula hac scriptione puerili similia Ambrosianis scitis loca parum exspectanda videantur; horum tamen satis superq. est copiae. Ac primum illud levissimum est [quod ad Scripturas similiter tractatas referri potest] quod, inquam, num. 17. Apostoli focus Ambrosiano plane modo usurpatur: de quo vide subjectam [20] Adnotationem. Nec verbum de Scripturis amplius addam: quippe quarum usus in hac scriptiuncula non immerito parcissimus est.

Illud vero gravius, quod haec ipsa S. Sebastiani historia cũ celeberrimo S.Ambrosii loco (qui unus de Sebastiano Martyre in ejus operibus nunc reperitur serm. 20. in Ps. CXVIII. num. 44. atque utinam plura exstarent) pulchre cohaeret. Ejus vero loci partes duae sunt, una de Sebastiani patria loquitur, altera de incipientis Diocletianeae persecutionis indole. De priore sic ibi loquitur: *Vtamur exemplo Sebastiani martyris, cujus hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est.* Paullisper resistamus. Hic enim locus pluribus concertationibus mire discerpitur, dum alii Narbone, alii Mediolani natum martyrem volunt. Quaeritur autem quid heic sit *Mediolanensis oriundus*. Ajo tantumdem esse, quod *Mediolani natus, sed postea tamen inde alium in locum profectus:* de qua *Oriundi* notione vide quae inferne [21] adnotamus. Atqui Ambrosiana haec Sebastiani origo pulchre cum

alibi *Ignem apparere judicio Dei, alibi carnem apparere animae* [h. e. ministrare & apparitorem agere] pulchre dixit. Quo verbo & non raro Ambrosius in Exjosippo suo usus fuit. Eodem refer parum usitatas quasdam locutiones, ut IOVIS recto casu [de quo dixi in commentario ad haec Acta ad XVIII. Junii] itemque IPSE pro *Idem*, quod num. 55. pluries usurpatur illis verbis: *Interroga alterum mathematicum, cui IPSAS horas, IPSVMQVE tempus in bonis tibi exuberasse casibus dicas: illico ... adprobet, quia in IPSIS tibi temporibus evenire debuerint bona*: quod postea frequens in Mrologior. scriptorib. fuit, apud quos familiare est unius ejusdemque diei annuntiationes sanctorum sic exordiri: *IPSO* aut *IPSA die*, pro *Eodem* aut *eadem*. Adhaec AC SI pro *quasi* frequens in hac Passione est, quinquies sexiesve in ea usurpatum. Vt num. 1. *Hunc* (Sebastianum) *milites ac si patrem venerabantur*: quod memini etiam in Ambrosio legere.

(20) Num. 17. S. Sebastianus ex ad Rom. VIII. 20. 21. creaturas sic loquentes inducit: *Breviabuntur dies, ut servitus nostra non sit longa. Injustis quidem servimus festino cursu: impiis, sceleratis, & turpibus servimus non sponte, sed propter eum qui nos subdidit. Liberabimur tamen a servitute corruptionis, & revocabimur ad libertatem gloriae filiorum Dei.* Porro qui in Ambrosianis operibus contrivere tempus, testari possint quantopere haec creaturarum prosopopoeia, ab Apostolo hausta, crebra planeque perpetua Mediolanensi fuerit. Non licebit autem alia Scripturarum loca Ambrosiano more pertractata huc afferre; quia auctor hujus Martyrii in adhibendis Scripturis praeparcus est.

(21) *Quid inter* Oriundus *&* Ortus *intersit.*

Oriundum inter, & *Ortum* ita distinguit Alciatus ad l. 147. & 190. *de verb. sign.* quod prior sic dicatur respectu majorum suorum originis, posterior respectu suae. Nec ferme aliter Valla lib. 3. Hinc Livius lib. 24. *Hippocrates & Epicydes nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis*. Nec dubium quin in eam notionem alia quoque exempla conveniant. Verum id adeo perpetuum non est, ut saepius *Oriundus* sit idem quod *Ortus*. Columella: *Si modo liberis parentibus est oriundus*. Lucretius l. 2. v. 990.

Denique caelesti sumus omnes semine oriundi.

In Philoxeni Glossis *Oriundi* sunt iidem qui γεννηθέντες h. e. *Nati*.

Verum, ut quod est fatear, sic posse distingui censeo. *Oriundus*, si absolute usurpetur, nec πρός τι referatur, ferme tantumdem est quod *Ortus*: ubi vero ad aliud sive expressum sive tacitum respectum habeat, tunc iterum est distinguendum. Nam si *Orto* opponitur; tunc quidem illud a Valla & Alciato assignatum discrimen valebit. Contra si *Oriundus* incolatui opponatur; tum vero locum nativitatis designat, & tantumdem est quod *Ortus*. Plautus Poenulo V. sc. 2. v. 94.

Ag. *Nam haud repudio hospitium, neque Carthaginem;*

Inde

cum Sebastiani actorum initio consentit, quod tale est: *Sebastianus.. Mediolanensium partibus eruditus, civis vero Narbonensis, Diocletiano.. carus erat.* Quae si vera lectio est (de quo dubito; eamque mihi animus inquies gestit sollicitare [22] multis

Inde sum oriundus. Poe... *Qui potuit fieri ut Carthagini*
Gnatus sis, hic autem habuisti Aetolum patrem?
Ag. *Surreptus sum illinc.* Vbi vides *Oriundus* opponi domicilii loco, ideoque idem esse ac quod mox dicitur *Natus.* Scatet vero similibus exemplis supra ceteros Apuleius. Itaque in Apologia Zenonem illum antiquum *Velia oriundum* [h. e. Veliae in Lucanis natum] dicit. In *De habit. doctr. Plat.* prope ab initio Platoni *in palaestra Aristonem Argis oriundum* h. e. Argivum doctorem assignat. Floridorum cap. XIV. Crates ille Thebanus dicitur *Thebis oriundus.* Ibid. cap. XV. Pherecydes Syrius Pythagorae praeceptor, *Syro ex insula oriundus* memoratur. His vero locis omnibus τὸ *oriundus* de eo usurpatur, qui ibi natus, alio postea commigrasset.

Itaq. scite Ambrosius *Mediolanensem oriundum* dixit Sebastianum, certe Romani domicilii respectu; quia statim atque ex praeceptorum ludo prodiit, eo prosiliit, ubi furebat maxime insectatio. At, inquis, cum Ambrosio non belle Sebastiani Actis convenit, in quibus is *Mediolanensium partibus eruditus, civis vero Narbonensis* dicitur, h. e. [uti videtur] Narbone natus, in Mediolanensium partibus educatus. Verum mitto quod is locus aliter alibi legitur, de quo in seq. Adnot. Atqui vel si sic legatur, τὸ *Civis* πολιτείαν h. e. *civilitatem* sive jura civitatis cui adscriptus erat, designat; *Eruditus* vero per βραχυλογίαν pro nativitate simul ac puerili institutione usurpatur. Sed vide seq. Adnot.

(22) *Actorum S. Sebastiani exordio verior lectio restituitur. Sebastianum origine & civilitate Narbonensem, ortu Mediolanensem fuisse.*

Benedictinus Ambrosii editor ad recitatum ex eo locum ex Serm. 19. ad Ps. 118. dum horum Actorum initium recitat, pro *Mediolanensium partibus Eruditus,* affert *Med. par. Educatus,* forsitan labente memoria. Hoc vero nihili est: illud gravius, quod alicubi legi testatur, *Mediolanensium partium civis*: quod Bollandus ante notaverat. Quod non eo dico, quasi Narbonensibus quidquam ex eo periculi immineat, qui satis trita lectione juvantur; verũ quod varie hunc locum initio fuisse lectum, appareat. Nec dubito, quin si veteres excutiantur membranae, sanius aliquid, quam quod nunc legitur, deprehendatur. Scio Reginae Suecorum laudari codicem, in quo haec Acta X. fere saeculo scripta reperiantur. Haec & alia cum editis conferre praestabit. Interim quid me ipso in limine offendat, candide aperiam.

Nam illud ERVDITVS valde mihi suspectum est. Quid enim attinebat de loco, ubi *eruditus* fuerat, monere, interim de loco nativitatis unice securum? Certe natale solum vitarum scriptores numquam omittunt; aut si certe exploratum non habent, varias opiniones referunt. Dixerint fortasse, iis verbis *Civis Narbonensis* designari natale solum. At praeterquam quod id aliud significat: ineptissimum fuisset prius de loco institutionis, postea nativitatis, ὕστερον πρότερον meminisse. Ergo non est dubium, quin aliud participium eo loco fuerit, quod nativitatis significantiam haberet. Ambrosius enim, ut vidimus, martyrem Mediolani natum ad Ps. 118. narrat. Adhaec aevo sequiore Beda quum suum Sebastiani elogium eisd. verbis ex his Actis [nec enim alia fide digna exstabant] contraxisset, diserte, *S. Sebastiani de Mediolano,* initio scripsit, certe quod Mediolanum non pro scholae loco, sed pro natali solo memorari in Actis legisset. Bedae verba Rabanus exscripsit. Sed & Metaphrastes suam Sebastiani historiam ex his Actis composuit, in quibus quia Sebastiano Mediolanum pro patria assignari vidit, ob eam unice caussam eum Mediolani ortum diserte narrat. Quod si vestigiis hodiernae lectionis insistimus, facile est primitus scriptum fuisse ORIVNDVS (i. e. *Ortus,* ut in superiore Adnotatione docuimus) ut plane Ambrosius juvenculus cum Ambrosio provectiore concinat: quorum ille scripserit *Mediolanensium partibus oriundus,* hic vero, *Mediolanensis oriundus.* At postea sive in vocis *Oriundus* fugientibus elementis librarius sibi videre visus fuit τὸ *Eruditus*: sive quod absurda hoc loco vox *Oriundus* visa semidoctis fuit, ratis τὸ *Oriundus* remotiorem originem [uti nunc vulgo accipitur] designare: utcumque fuit, falso suspectam vocem in affinem *Eruditus* mutaverunt. Quid si ORTVS aut EDITVS scriptum initio fuerit, deinde intrudendo syllabam, ERVDITVS effecerint? Horum trium aliquod certe prius Beda & Metaphrastes in Actis pro *Eruditus* legerunt.

Notandum est autem hujus historiae auctorem, ubi scripsit, *Mediolanensium partibus*

multis modis) eaque cum Ambrosii loco conferatur ; tria de Sebastiahi genere discimus, I. Sebastiani majores fuisse origine Narbonenses, in quam civitatem ipsemet martyr adscriptus erat, unde *Narbonensis civis* vocatur. II. Sebastianum in Mediolani partibus natum atque eruditum fuisse : vide Adnot. 21. Postremo III. non alia de causa Sebastianum *Mediolanensem ORIVNDVM* Ambrosio dici, quam ut τὸ ORIVNDVS opponatur incolatui, quem vix exacta pueritia Romae contraxit, militiae adscriptus. Confer quae in Adnot. 21. modo adnotavimus. Ad Romanum enim incolatum mox digreditur ibid. Ambrosius, itemque Passio num. 1. 2. 60. 64. & alibi passim. Sed cetera Ambrosii audiamus.

Apud quem in eodem comment. statim sic sequitur : *Fortasse autem, aut jam discesserat* (Mediolano) *persecutor, aut adhuc non venerat in haec partium, aut mitior erat. Advertit* (Sebastianus) *heic aut nullum esse aut tepere certamen. Romam profectus est, ubi propter fidei studium persecutionis acerba fervebant : ibi passus est.. Itaq. illic, quo hospes advenit, domicilium immortalitatis perpetuae collocavit* : Non alia igitur de causa Mediolano Romam processit, quam quia Romae persecutio, cujus studio acuebatur, fervebat. Hoc vero dumtaxat ibi dicit, quia id tantum locus ille [23] poscebat. At in Passione Sebastiani & hoc (cur scil. Romae tantum saeviretur) ex historia [24] docetur; ac simul accurate ac minutim Martyris consilium exponitur, quid scil. moliturus Sebastianus Romam processerit. Id enim agebat, ut christianos Romae vexatos omni ope [25] foveret, per hoc autem viam sibi ad passionem, ad quam incitabatur, sterneret. Hactenus Ambrosius senior scriptae a se puero Sebastiani passioni concinit.

Jam

oriundus, aut tale aliud, voce illa *Partibus* totius Mediolanensis *perticae* [uti scriptores agrarii loquebantur] sive territorii ambitum intellexisse, ita ut videatur Martyr non in Mediolanensi urbe, sed in ejus agro editus in lucem fuisse. Neque id cum Ambrosii verbis ad Ps. 118. pugnat ; quis enim dubitat, quin is qui in agro Mediolanensi paritur, is recte *Mediolanensis* dicatur ? Certe Virgilius, Andibus extra Mantuam ortus, tamen Mantuanus audit.

Ergo ex hac historici hujus accuratissima λεπτολογία discimus, natale Martyris solum in incerto aliquo Mediolanensi pago fuisse. Ibi quidem nativitas ejus fuit : at vero jura πολιτείας (*civilitatis*) longe alibi, nempe Narbone Martio, radices fixas habebant; sequitur enim, *Civis vero Narbonensis*. Civilitatis enim locum cum solo natali non modo antiqui, sed ne hodierni quidem mores confundunt. Vides quanta accuratione hic historicus locum nativitatis ab jure civitatis distinxerit. Nec video quid ultra discidii inter Narbonenses interque Mediolanenses supersit; quum sua quibusque decora historiographi Ambrosii diligentia secreverit.

At, inquis, si de civilitate agitur, *civis Romanus* potius quam Narbonensis dicendus erat; quia ex Antonini Caracallae lege universus Romanus orbis Romanam civitatem est consecutus. Verum post eam legem, adhuc sua civitatibus privilegia salva manserunt ; ita ut juverit *Narbonensem* [aut alterius civitatis] *civem* haberi. Ac de his satis.

(23) Laudato enim loco id sibi proxime Mediolanensis pontifex proposuerat, ut locum illum (Act. XXIV. 21.) *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*, enarraret, & exemplis illustraret.

(24) Id in hac Passione agitur potissimum num. 64. Nisi quod ibi multa peradolescens scriptor in historia peccat, dum vivo Carino Diocletianum cum Maximiano sociat ; & hos posteriores, vivente Carino, Romae moratos docet. Sed tamen quod ibi sequitur, probum est, & cum Ambrosii loco ad Ps. 118. non male cohaeret. *Carinus autem*, inquit, *erat cum omni exercitu in partibus Galliarum* (Ambrosius, nequid dissimulem, simili locutione in loco recitato utitur : *Persecutor adhuc non venerat in HAEC PARTIVM*) *Carinus*, inquit, *erat.. in partibus Galliarum positus ; & ejus intuitu lenta persecutio Diocletiani* (sive Carini potius, quae tamen Diocletianea vocatur) *circa Christianos esse coeperat* [illud *Esse* ejiciendum videtur : vult enim, Diocletianeam persecutionem coepisse sed lentam] *quia Carinus habebat aliquos amicos, quos hujus tituli professio decorabat*.

(25) De Sebastiani consilio [ut scil. sub chlamyde latens, laborantes confessores confirmaret, juvaret, foveretque) vide num. 2. 60. & passim alibi.

Jam vero illud longe graviſſimum (quod unum, vel ſi cetera deſint, facile Sebaſtiani hiſtoriam arrogare Ambroſio queat) quod num. 27. Marcus martyr a Chriſtianis merito contemni mortem hoc maxime argumento ſuadet: *Qua ratione*, inquit, *mori timeant*, *qui ſciant*, *hanc hominis naturam eſſe*, *non poenam?* Quae quidem ſententia periculoſior viſa Tillemontio fuit, ac Pelagiano fermento imbuta; nec aliter excuſanda, quam quod hujus opuſculi auctor haec innocue ante Pelagiana tempora ſcripſiſſet. At nos ad 18. Junii, quum ad haec ipſa S. Sebaſtiani Acta commentaremur, pag. 677. ſatis luculenter quamlibet laevam ſuſpicionem ab ea ſententia deterſimus. Quae quum ſcriberem; nondum tamen animadverteram quam familiaris ea ſententia tum Exjoſippo, tum in primis profeſſo Ambroſio fuerit. Verum poſtea ad 29. Junii Par.I. pag. 846. & ibidem in Adnot. 671. gemellas tum Exjoſippi, tum Ambroſii ſententias, uno ſcil. ovo editas, protulimus: quas uti conferas, etiam atq. etiam rogo: praeſertim quod ea me plane cauſa tunc coegit, ut in eadem Adnot. hanc Appendicem Ambroſianam me daturum promitterem in qua accuratius expenderetur, annon haec S. Sebaſtiani hiſtoria re vera ab eodem parente Ambroſio prodierit. Ab eodem inquam auctore, adhuc per adoleſcentulo tamen: id quod & concionum copia plus nimio luxurians, & in eiſdem haud ſatis conſtans judicii firmitudo declarat.

Et hactenus quidem fere ſuaſimus, Sebaſtiani hiſtoriam ab Ambroſio adhuc juniore fuiſſe profectam: at ex iis duobus, quae initio promiſi, alterum (quod jam expoſitum eo) id prope certum efficiet. Etenim in hoc, quem prae manibus habemus, libello num. 54. 55. 56. S. Polycarpus ita copioſe & accurate contra *mathematicos* (quorum nomine Ambroſius ſaepe alibi genethliacos intelligit) diſputans inducitur, ut in pluribus [26] rerum argumentis ea diſputatio cum altera prolixiore Ambroſii in Hexaemeri toto cap.4. libri V. conſentiat. Atque id quidem per ſe ſolum haud levi argumento eſt, Ambroſium (cui ſcimus familiare fuiſſe ad ea retractanda recurrere, quae accurate, alibi commodeq. aliquando dixiſſet, ut ad 29. Jun. Par.3. cap.ult. oſtendimus) quum Hexaemeron ſcriberet,

(26) Ac primum quod in Actis num. 56. legitur: *Nam diverſis temporibus nati uno naufragio perierunt, & una hora diei vel noctis exorti, alter ad mendicitatem deponitur, aſcendit alter ad regnum: & in uno praelio innumerabilis multitudo proſternitur, & uno die, imo uno puncto in una domo duae feminae, pudiciſſima altera, altera efficitur impudica: utriuſque ſtellae ſi meritum contulerint, nec meritrix vituperanda eſt, nec caſta laudanda.* Hoc inquam quod heic paucis exponitur, id latiſſime, ſed eiſdem plane argumentis atque ſententiis, amplificatum ab Ambroſio fuit Hexa. lib.IV. cap. 4. tota ſect. 15. & alibi: quae vide, ſi tanti res viſa fuerit.

Statim vero ibidem Paſſionis ſcriptor ſic pergit: *Certe legum latores & principes ſacra ſua praevaricata puniunt.* Notabis hic obiter, principum juſſiones ſive epiſtolas, non tantum SACRAS genere ſequiore vocatas, verum etiam neutraliter SACRA. In Actis S. Felicis epiſc. Tabyzacenſis, *Ut ſacra imperatorum recitarentur.* Geſta ſub nomine Acacii, *Epiſcopum ſacra principis deferentem.* Greg.M.I. ep.47. *Ad Endaeium ... ſacra imperialia cucurrerunt.* Sed eodem redeo. *Principes ſacra ſua praevaricata puniunt: & ideo forum, ideo judex, ideo jura, ut juſti laudentur recte, & injuſti merito puniantur.* Ubi minus dicitur, quem quod colligi jubetur. Hinc enim concludi vult, ſi merito juſti praemiis, ſceleſti poenis afficiuntur, ſtellarum neceſſitatem fore vaniſſimam. At quae heic tener adhuc Ambroſius primoribus labris delibavit, eadem natu grandior Hexa. IV. 4. tota ſectione 19. oratorie dilatavit. Confer ſi libet, locum pulcherrimum.

Adhaec de beneficis maleficiſque aſpectibus haud pauca uterque κατὰ τεχνικὴν γλῶτταν eloquitur. In Paſſione num. 55. mathematicus ſic conſultus reſpondet: *Tempus tuum* (h. e. tui naſcentis hora) *a malitioſo* (h. e. malefico) *Marte ſuſceptum* [corr. *ſuſpectum* h. e. aſpectum: ſic etiam corriges paullo inferius] *eſt; aut Saturnus apocataſtaticus fuit; aut annus tuus ex diametro ſuſpectus eſt* &c. Quae confer cum Ambroſio ibid. tota ſect. 17.

ex ſua S. Sebaſtiani hiſtoria id argumentum arceſſiviſſe. At illud longe notabilius, quod eod. Hexaemeri loco tanquam intento digito hanc S. Sebaſtiani Paſſionem a ſe ſcriptam commonſtraſſe videatur, dum ſe quondam PVERVM in eodem argumento luſiſſe ſignificat. En ejus verba in IV. Hexaem. ubi poſt abſolutam Chaldaeorum refutationem, ſic caput V. orditur: *Plura diximus* (contra mathematicos) *plura nolumus*; *ne quis ea*, *quae a nobis de illorum adſertionibus uſurpantur ad refellendum*, *ad recognoſcendum aſſumpta arbitretur*. *Nam quae PVERI riſimus*, *ea ſenes commemorare qui poſſumus?* Heic quaero: ubinam Ambroſius puer contra mathematicos ſcripſerat? In excidio nihil tale occurrit. In Hiſtoria Regnorum (quam deſideramus) vix videtur ei argumento fuiſſe locus. Scimus autem hanc Sebaſtiani Paſſionem decimo ſaeculo palam pro Ambroſiana habitam: in qua de genethliacorum vanitate locus eſt copioſiſſimus. Aut ergo toto aberro caelo: aut hoc opuſculum ſibi ſenex Ambroſius, dum Hexaemeron ſcriberet, vindicavit. Ac primum id opuſculum a ſe PVERO (h. e. facile ante vigeſimum [27] annum conſcriptum fuiſſe dicit: quae aetas non male ſcriptionis ſtylo convenit. Deinde quod ſe tunc RISISSE mathematicorum ſcita teſtatur, id non male cum ea ratione, qua ibi Chaldaeos refutaverat [28] congruit. Poſtremo quum diſputatio, quae in Paſſione Sebaſtiani legitur, pleraque ex Origene αὐτολεξεὶ [29] deſcripta fuerit;

(27) Ante annum, inquam, vigeſimum, aut ſummum vigeſimo circiter: quod eo dico, quod aevo Ambroſii vox *Puer* longius interdum, quam olim, prorogabatur: de quo alibi dixiſſe memini. In quodam Campano marmore ejusd. ferme ſaeculi memoratur quidam SECVNDVS PVER XXII. ANNOR. Verum diſcrimen ſtyli Paſſionis ab Exjoſippo cogit *pueri* vocem ſtrictius accipere.

(28) Eſt enim quoddam deridendi genus, ubi non aliud agitur, quam nude arcana quaedam, per ſe ridicula, detegere. Sic ubi ſub Chriſtianis principibus diruto Serapidis fano, turpiſſima numinis ſacra, quae ad eum diem ſedulo celata fuerant, poſita in aprico fuerunt; ſcimus quos cachinnos ea ſola arcanorum oſtentatio exciverit. Nec aliud puero Ambroſio conſilium fuit, ubi in ſuo Sebaſtiano hunc S. Martyrem haud alia via Chaldaeos ridentem inducit, quam abdita illorum artis myſteria detegendo. Sic enim Sebaſtianus Chromatium, futura a Chaldaeis vere praenuntiari credentem, revocat num. 55. *Praecipe hodie ad te matheſis venire doctorem*, *cui dicas*, *illo tempore te aſperis caſibus laboraſſe*; *&* *inquire per quas ſtellas hoc tibi evenerit mali*. *Reſponſa ejus erunt procul dubio talia*: *quod tempus tuum* (h. e. tui naſcentis) *a malitioſo* (ſive malefico) *Marte ſuſceptum eſt*; *aut Saturnus apocataſticus* [cor. *apocataſtaticus*: ἀποκατάστασις eſt planetae reditus ad idem caeleſte ſignum] *fuit*; *aut annus tuus ex diametro ſuſceptus eſt* [heic, & paullo ſuperius in Adnot. 26. *Suſcipio* pro *Suſpicio*, quod peculiare genethliacorum eſt verbum, ex librariis eſt: certe Origenes, unde haec ſumpta habet, ἐπεθεώρησεν] *aut climacterica tibi in centro ſunt nata*; *aut ſyndetus* [at in Origene ἀσύνδετος] *fuit cum malo*, *aut inviſibilis*, *aut in ſchemate*, *aut immobilis circa te exſtitit curſus in ſtellis*. *Haec & his ſimilia cum dixerit*, *rationis tibi veriſimile aſſignare nititur aliquid & probare*. *Age nunc interroga alterum mathematicum*, *cui ipſas* (h. e. eaſdem) *horas ipſumque tempus in bonis tibi exuberaſſe caſibus dicas*: *illico videbimus eum tibi rationabilia ſchemata infinita afferre*, *quibus adprobet*, *quia in ipſis tibi temporibus evenire debuerint bona*. *Circulum etenim tenet ex omni parte collectum* [Origenes dixerat .... ἰσομερής: quod Rufinus vertit, *Circulus enim eſt aequaliter ex omni parte collectus*] *in quo diverſas & varias cauſas accipit*, *ex quibus occaſionem capiat dicendi quod voluerit*. *Nam futura dum penitus praevidere non poſſunt*, *climactericas* (corr. *Climacteras*: Origenes, unde haec hauſta ſunt, κλιμακτῆρας ἐπενόησαν) *dicunt*, *ideſt naturae rei incerta profugia*. Hoc ultimum ſic immutat Cotelerius ad Recogn. Clem. *Natura rei incertae perfugia*. Sed *profugia* ex Cicerone ſcripſiſſe Ambroſium verius eſt: in ceteris viro doctiſſ. aſſentior. Hoc igitur illud eſt: *Quae pueri RISIMVS* (dumtaxat eorum ſcita ridicula detegendo] *ea ſenes commemorare qui poſſumus?* Ne ſcil. ſi id dem operam, repueraſcere videar, ſenex jam ipſe & ſacerdos.

(29) Actorum locum, quem proxime adſcripſimus, ex Origene fuiſſe αὐτολεξεὶ in pleriſque

fuerit; hoc ipſum in cauſa fuit, ut Hexaemeron ſcribenti Ambroſio, eorum quae in S. Sebaſtiano luſerat, memoria occurſaverit, ut inferne [30] adnotamus.

Atque hactenus dicta non eo pertinent, ut Mediolanenſi pontifici hoc opuſculum certiſſime adjudicem: tamen quominus inter ejuſdem juvenilia cum maxima veri ſpecie (praeſertim Odilone duce) referatur, adeo non prohibeo, ut potius in id me ducem & ſuaſorem praebeam. Quod ſi ejuſdem alia plura puerilia exercitamenta exſtarent; facilius de hoc opuſculo judicium ferri poſſet. Nunc hujus tam feracis ingenii plurima, quae adoleſcens protuliſſe debuit, opuſcula ob eam tantum periiſſe videntur cauſam, quod poſterior aetas Ambroſii jam epiſcopi libros in unum corpus collegit, cetera adhuc laici opuſcula parum curavit. Quae extra corpus Ambroſianum vagantia, tandem magna ex parte perierunt; ſicuti *Quatuor libros Regnorum*, *quos Scriptura complexa eſt Sacra* (quos ante Excidium ſcripſerat, ut in praefat. Excidii ipſe teſtatur) intercidiſſe dolemus. Aut ſiqua adhuc aetatem ferunt, ea tamquam ἀδέσποτα, ad nullum certum parentem digitum intendere poſſunt: excepto Excidio, & hac Paſſione; quae tamen duo iniquis ſtatus controverſiis vexare critici non deſiſtunt. Ob eam cauſam optandum eſſet, ut ſiquando nova Ambroſii editio parabitur; inter ejus juvenilia non tantum Exjoſippo, ſed & S. Sebaſtiani Actis locus pateat: illi quidem ut certiſſimo ejus operi, huic vero vero ut prope explorato.

riſque deſcriptum, jampridem Cotelerius ad X. Recognitionum Clem. cap. XI. oſtendit: ubi non tantum Origenem cum Recognitore [unde ſua deſcripſerat Adamantius] comparavit, verum etiam cum utroque ſuperiorem paſſionis S. Sebaſtiani locum commiſit.

(30) Sic equidem rationes ineo. Paſſionis Sebaſtiani auctor ſuperiorem contra mathematicos locum ex Origene potius [cui magis accedit] quam ex ἀναγνωρισμῷ deſcripſiſſe mihi videtur; etſi ſua Origenes ex Recognitore hauſerat. Et ceteroqui ſcimus Ambroſium [quem prorſus ipſum Sebaſtiani geſta perſcripſiſſe cenſeo] ſtudioſiſſimum fuiſſe Origenis, ab eoque ubique plurima, tacito auctoris nomine hauſiſſe, ac ſua feciſſe.

Jam vero celeberrimus ille Origenis locus exſtat Philocaliae cap. 22. ubi ea diſputatio ſumpta dicitur ex tom. 3. explanationum ejus in Geneſim, nempe ad Gen. I. 14. Atqui in Hexaemero Ambroſium cum plurima paſſim ab Origene, ſummo cum judicio, ejus ſuppreſſo nomine, mutuatum certo conſtat; tum eo ipſo certe loco Hexa. IV. 4. ubi contra mathematicos agit, non potuit non Origenem ſibi imitandum proponere. Quid ni enim, quum uterque in eumdem Geneſeos locum commentaretur, nempe ad illa verba I. Gen. 14. *Et ſint in ſigna & in tempora & dies & annos*? Ea ipſa quippe verba tum Origenes loco cit. tum Ambroſius explananda ſuſceperant, quum ad diſputandum contra Chaldaeos digreſſi fuere. Quumque eadem in Mediolanenſi argumenta quae in Origene reperiantur; fieri non poteſt quin ex illo Ambroſius ſuos hortos irrigarit. Id porro quum faceret; tum vero ei in mentem venit illorum, quae PUER in S. Sebaſtiani Actis contra mathematicos ſcribens, eumdem plane Origenis locum totidem verbis expreſſerat. Quorum ſimul atque commeminit; plura forſan dicturus, curſum tamen orationis inhibuit. *Plura*, inquit, *nolumus.. Nam quae* [diſciplinae Chaldaicae myſteria olim dumtaxat enuntiando] *pueri riſimus, ea ſenes commemorare* [ſine levitatis nota] *qui poſſumus*?

Atque heic ſane piget, quod Cotelerius, vir plane ſummus, proxime recitatum paſſionis Sebaſtiani locum producturus, ejus auctorem ſibi alium a S. Ambroſio videri profiteatur. Qui ſi ad ea, quae tota hac Diſquiſitione diſputavi, adtendiſſet, in primis vero ſi cum Paſſionis loco contuliſſet verba Ambroſii ſemet citantis in Hexa. IV. 5. haud dubito, quin alia omnia cenſuiſſet. Equidem qui ad XVIII. Junii pro negante ſententia ſteteram, nunc cogor hunc pro primitivo Ambroſii fetu agnoſcere. Tamen quid alii de eo judicaturi ſint, videro.

INDEX I.

Sanctorum qui hoc priore Kal. Neap. semestri inscribuntur.

S.Gre-

S. Sa-

INDEX II.

Auctorum, qui in hoc Commentario laudantur, explicantur, illustrantur, restituuntur, emaculantur, refutantur.

Numerus prior paginam, posterior praecedente littera C. *columnam, praecedente littera* N. *numerum notae designat.*

D.

Marty-

N.

O.

P.

Sallu-

S.

T.

F I N I S.

INDEX III.

RERVM ET VERBORVM

Numerus Arabicus paginas libri designat. Littera (c) *columnam*, *&* (n) *numerum* Notae *sive Adnotationis indicat*.

Ae-

537.

anno

logi

stea

Cu-

E.

Ἡλι-

opus

G.

id

S. Hi-

I.

Acta

Ma-

can-

O.

solus

Prae-

Prima-

Sardi-

Συνόν-

Tutio

ERRATA

ERRATA NOTABILIORA

Pag. XVIII. col. 1. v. 9. trans prius ferrentur ,	prius transferrentur
Pag. 6. col. 1. v. 13. Lituprandus	Luitprandus
Ibid. v. 20. anno 910.	anno 903.
Pag. 8. col. 2. v. 27. Hic idem anno 580.	Hic idem anno 680.
Pag. 9. col. 2. v. 20. *ſaeculorum*	*Siculorum* .
Pag. 10. col. 2. v. penult. *ξυνοςίαι*	*ξυνωςίδες*
Pag. 11. n. 10. v. 1. S. Marcianum	S. Marcianam
Pag. 13. n. 13. v. 2. Adnot. 10.	Adnot. 12.
Pag. 36. in not. v. 15. quidem	quidam
Pag. 38. col. 2. v. 1. ad XVIII.	ad XIX.
Pag. 43. col. 2. v. 15. etiam	tum etiam .
Pag. 46. col. 2. v. ult. commentariorum	commentariolum
Pag. 49. col. 2. v. 14. *γενιμώτερον*	*γενικώτερον*
Pag. 53. col. 2. in not. v. 1. *poſt ῥοδίζω adde*	ſignificare *roſam refero* nempe
Pag. 54. in n. col. 2. v. 14. exoluit	exolevit
Pag. 59. n. 37. v. 7. ann. 756.	ann. 759.
Pag. 60. col. 1. v. 5. ante finem . pro ann. 757.	ann. 759. *et ſic etiam* col. 2. v. 17.
Pag. 64. col. 2. v. 11. apocopam	aphaereſin .
Pag. 74. col. 1. Adn. 55. v. 2. annum 365.	annum 395.
Pag. 83. col. 2. v. 11. haud diu poſt	haud diu ante
Pag. 94. col. 1. v. 13. Corbejenſi	Antuerpienſi
Pag. 105. Adn. 28. col. 2. v. 20. præſidens	praeſidens
Pag. 111. Adn. 43. col. 2. v. 19. de Euſebio	Euſebio
Pag. 118. col. 2. v. penult. Epiſcopum	presbyterum
Pag. 119. col. 2. v. 3. ab anno 529. ad 534.	ab anno 429. ad 434.
Ibid. v. 19. Sexto .	Septimo
Pag. 123. col. 1. v. 1. *dele a* ſive *uſque ad* anni 578.	
Pag. 124. Adn. 63. col. 1. v. 8. anno 910.	anno 893.
Pag. 128. v. 1. Romanae	Romae
Pag. 130. v. 5. Obtinuiſſe	obtuliſſe
Pag. 131. v. 7. ut	ne
Pag. 148. Adn. 18. col. 2. v. 6. ex XII.	ex XXII.
Pag. 156. col. 2. v. 27. *dele* autem	
Pag. 159. col. 1. v. 3. *dele* qui vel	
Pag. 176. Adn. 37. col. 2. v. 7. anno 551.	anno 511.
Pag. 222. Adn. 83. v. 2. paſſionem	paſſio
Pag. 223. col. 1. v. 29. ferant	fuerant
Pag. 225. in Adnot. col. 1. v. 18. Dux erat Thracii limitis	Thraciae praeſes erat .
Pag. 235. col. 2. v. 16. Adnot. 78.	Adnot. 98.
Pag. 260. Adn. 114. col. 2. v. 19. Adnot. III.	Adnot. 111.
Pag. 263. in Adn. col. 1. v. 22. mirando	miranda
Pag. 265. col. 2. v. ult. narrationem univerſam	narratio univerſa
Pag. 269. Adn. 2. col. 1. v. 23. verſu 4.	verſu 2.
Pag. 273. in Adn. col. 2. v. 15. ſine liquida	ſine muta
Pag. 302. col. 1. v. 33. *δηλαμένον*	*διναλμένον*
Pag. 356. Adn. 131. v. 10. Olymp. 37.	Olymp. 27.
Pag. 431. in inſcriptione diei 29. ſupplenda eſt littera P. quæ eſt nota paſſionis in hunc modum : XXVIIII. P.S. THEOD. &c.	
Pag. 434. col. 1. v. 16. triceſimo	quinquageſimo
Pag. 458. col. 1. v. 5. ante finem : praenomine	nomine
Pag. 540. col. 1. v. 6. continuas	continuans
Pag. 580. Adn. 288. v. 3. Valentinianus	Arcadius
Pag. 604. col. 2. v. ult. *ἄποπον*	*ἄτοπον*
Pag. 621. col. 1. dele totum verſum quintum	
Pag. 631. col. 2. v. 4. hoc .	hos
Pag. 667. col. 2. v. 22. Adnot. 377.	Adnot. 407.
Pag. 805. Adnot. 636. v. 3. dele totum hoc : *Rogare convivali notione.*	

LECTORIBVS
AVCTOR


PLurimum effluxerat temporis, ex quo hic Commentarius ad Junii finem perductus erat, cum partim languorum pertinacia fractus, partim inevitabilibus aliis super alios laboribus avocatus, inceptum Kalendarii filum interrumpere coactus fui; spem tamen meliorem alens, fore ut aliquando vires simul opusque resumerem. Verum dum requies nulla dabatur; visum amicis fuit, tertium Commentarii volumen (quod ad finem usque Junii pertinet) jam diu excusum, non ultra premere; eique Indices quam copiosissimos sex mensium priorum adnectere. Interea eruditus is juvenis, cui condendi catalogi negotium dederam, longo difficillimoque morbo implicatus, vix solido revoluto anno ab eo recreari coepit, ac tandem Deo juvante Indicibus finem imposuit. Verum quia ea tota compages ad immanem spissitudinem creverat; totius recensendi catalogi consilium subiit, simulque recidendi levissima quaeque, ne quemquam sua immensitate offenderet. Tamen (quis crederet?) nihil unquam a curis recurrentibus laxamenti fuit, quo tam ingentes indices nec manu exaratos, nec redactos in typographicas formas, antequam prela subirent, recognoscere atque contrahere liceret. Itaque excudi tandem tam grande auctarium praestabilius fuit, quam ulterius editionem voluminis procrastinari: quod volumen quinto nunc demum, ex quo prela evaserat, anno prodit.

Ac sane nunc quoque fateor, nihil mihi posse optatius accidere, quam si curarum remissione impetrata, aliquando miles causarius queam sex alios menses sicciore aliquo commentario persundere. At interim, quo lectores si minus reliquorum mensium, Commentarium, at saltem marmorei monumenti textum integrum, quo se oblectent, prae oculis habeant; ad hujus calcem voluminis tabulam aeneam inserendam curavi, qua alterum geminorum marmorum, quibus totus Kalendarii cursus absolvitur (nam prius illud primo volumini praemissum fuerat ante hos annos undecim) in aes incisum exhibetur: quo fratre gemello altero sex menses posteriores scalpti oculis subjiciuntur.

Ad haec exteros lectores moneo, densiorem quamdam de Sanctis XXX. Neapolitanae Sedis Episcopis Dissertationem, duobus voluminibus comprehensam, jussu Eminentiss. JOSEPHI Card. SPINELLI (cujus etiam stimulis ductuique Commentarius in marmoreos hos Fastos debebatur) Anno 1753. prodiisse. In ea Dissertatione lector Sanctos nostros Antistites, quos in utroque marmore ephemerides Neapolitanae adnuntiant, copiosius, quia res ita ferebat, tractatos reperiet. Ibidem, praeter SS. Neap. Antistites, illustravi & alios marmorei Kalendarii Sanctos, in primis de SS. Maxima & Marciano [signatis in Marmoribus his die XXX. Octob.] non brevem commentationèm inserui. Ibidem Kalendarium nostrum Tutinianum exhibui, cum hoc Marmoreo comparandum. Praeterea ad calcem Aprilis mensis [h. e. primi voluminis] S. Januarii M. Acta antiquissima primus vulgavi: quibus si addantur, quae de ejusd. cultu, Ecclesiis, deq. eliquati sanguinis epocha edisserui in Differt. de Eccles. Neap. &c. anno 1751. edita haud multo plura de eod. S. Patrono a me nostrates requirent.

Ac spero hos qualescumq. labores praesertim afflicto semper corpusculo susceptos & exantlatos, ab hoc gloriae Famulorum Dei cupidissimo saeculo in partem meliorem accipiendos. Vtinam vero ex inflammato in Dei Sanctos studio, cives Sanctorum, Deique domestici aliquando CHRISTI misericordiâ efficiamur.

SEX PRIORVM MENSIVM
KALENDARII MARMOR. NEAPOLIT.
FINIS.



Scala palmor. Neapolitanor.